EXCERPTA EX ORDINARIO

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.
Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.
Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli et univérsæ Potestátes,
Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:
Sanctus,
Sanctus,
Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra * maiestátis glóriæ tuæ.
Te gloriósus * Apostolórum chorus,
Te Prophetárum * laudábilis número rus,
Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.
Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia:
Patrem * imménsæ maiestátis;
Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;
Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ, * Christe.
Tu Patris * sempitérnus es Fílius.
Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.
Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.
Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.
Iudex créderis * esse ventúrus.

Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.
Ætérna fac cum sanctis tuis * in glória numerári.
Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.
Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.
Per síngulos dies * benedícimus te.
Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.
Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.
Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.
Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.
In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ,

Et eréxit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum eius:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos,

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testaménti sui sancti:

Iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis,

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi

In sanctitáte et iustítia coram ipso * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi eius * in remissiónem peccatórum eórum

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Magníficat * ánima mea Dóminum;

Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo,

Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,

Quia fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen eius,

Et misericórdia eius a progénie in progénies * timéntibus eum.

Fecit poténtiam in bráchio suo, * dispérsit supérbos mente cordis sui.

Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.

Esuriéntes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.

Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,

Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini eius in sæcula.

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace,

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium * et glóriam plebis tuæ Israël.

CONFESSIO

Prælatus:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis, Fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicit:

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua: líberet te ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam.

Respondet Prælatus: Amen.

Postea chorus replicat:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi, Pater: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor te oráre pro me.

Prælatus subiungit:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra: líberet vos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam ℟. Amen.

¶ Quando non præest sacerdos, semel tantum ac simul ab omnibus sic dicitur:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Quo finito, qui præest dicit:

Misereátur nostri omnípotens Deus, et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra: líberet nos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat nos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

¶ Quando autem Frater solus dicit Primam vel Completorium, dicat sic:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Misereátur mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea: líberet me ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. Amen.

AD PRETIOSA

De Evangelio occurrente legendum est in omnibus dominicis et festis, infra octavas et in Officio de beata Maria in sabbato; pariter in vigilia Nativitatis Domini, feria IV cinerum, feria V in Cena Domini et in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum.

Ceteris vero diebus legendum est de Regula beati Augustini Episcopi, præmisso semper:

Séquitur in Régula
beáti Augustíni Epíscopi

Feria II Lectio

Hæc ígitur sunt: quæ ut observétis præcípimus in monastério constitúti. Primum, propter quod in unum estis congregáti, ut unánimes habitétis in domo: et sit vobis ánima una et cor unum in Deo. Tu autem.

Feria III Lectio

Et non dicátis áliquid próprium: sed sint vobis ómnia commúnia. Et distribuátur unicuíque vestrum a præpósito vestro victus et teguméntum; non æquáliter ómnibus, quia non æquáliter valétis omnes: sed pótius unicuíque, prout cuíque opus fúerit.

Feria IV Lectio

Oratiónibus instáte horis et tempóribus constitútis. In oratório nemo áliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accépit; ut si forte áliqui, étiam præter horas constitútas (si eis vacat) oráre volúerint, non eis sint impediménto qui ibi áliquid agéndum putáverint. Psalmis et hymnis cum orátis Deum: hoc versétur in corde, quod proférтur in ore.

Feria V Lectio

Lites, aut nullas habeátis, aut quam celérrime finiátis; ne ira crescat in ódium, et trabem fáciat de festúca et ánimam fáciat homicídam. Sic enim légitis: Qui odit fratrem suum, homicída est.

Feria VI Lectio

Carnem vestram domáte ieiúniis et abstinéntia escæ et potus: quantum valetúdo permíttit. Quando autem áliquis non potest ieiunáre; non tamen extra horam prándii áliquid alimentórum sumat: nisi cum ægrótat.

Sabbato Lectio

Donet Dóminus ut observétis hæc ómnia, tamquam spirituális pulchritúdinis amatóres; et bono Christi odóre de bona vestra conversatióne fragrántes: non sicut servi sub lege, sed sicut líberi sub grátia constitúti.

BREVIARIUM

IUXTA RITUM

ORDINIS PRÆDICATORUM

APOSTOLICA AUCTORITATE
APPROBATUM

REVERENDISSIMI PATRIS

FRATRIS MICHAELIS BROWNE

EIUSDEM ORDINIS MAGISTRI GENERALIS

IUSSU EDITUM

PARS PRIOR

ROMÆ
AD S. SABINÆ
MDCCCCLXII

BX
2049
D6
B7
1962
v.1

IN DEI FILIO NOBIS DILECTIS
PATRIBUS AC FRATRIBUS
NECNON MONIALIBUS ET SORORIBUS
ORDINIS PRÆDICATORUM
NOS

FR. MICHAEL BROWNE

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSOR
EIUSDEM ORDINIS
HUMILIS MAGISTER GENERALIS ET SERVUS

Salutem et in divinis laudibus devotionem.

Rubricis Breviarii et Missalis ritus nostri novo rubricarum codici ritus Romani conformatis, calendario quoque nostro ad normam Instructionis Sacræ Rituum Congregationis diei 14 februarii 1961 reviso, novum Ordinis nostri Breviarium novis rubricis et novo calendario conforme in lucem tandem prodire potest.

In hac editione, ab Instituto Liturgico nostro parata, multa invenietis faciliori usui accomodata, sæpe repetitis quæ in editionibus præcedentibus non sine legentium tædio immo et devotionis amittendæ periculo passim quærere necesse erat.

Igitur tenore Præsentium Nostrique auctoritate Officii hanc Breviarii editionem approbamus eiusque usum Pa-

tribus, Fratribus, Monialibus et Sororibus Nostris permittimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

In quorum fidem, his litteris Officii Nostri sigillo munitis manu propria subscripsimus.

Datum Romæ ad S. Sabinæ die 4 iulii anno Domini 1961.

fr. MICHAEL BROWNE O. P.
Magister Generalis.

Reg. Gen. 51/61 IL



fr. CHRYS. VIJVERBERG O. P.
Provincialis Lithuaniæ et socius.

CLEMENS PAPA XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Thomas Ripoll Magister Generalis totius Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod alias emanarunt a felicis recordationis Innocentio Papa XI Prædecessore nostro ad instantiam tunc in humanis agentis Antonini Cloche eiusdem Ordinis, dum viveret, Magistri itidem Generalis, litteræ in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Innocentius, PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam. Cum, sicut dilectus filius Antoninus Cloche, Magister Generalis Ordinis Prædicatorum, Nobis nuper exponi fecit, ipse Missale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Processionale, Psalterium, Officium beatæ Mariæ Virginis, Kalendarium perpetuum, et reliquos libros chorales, quibus personæ utriusque sexus dicti Ordinis utuntur, in alma Urbe nostra, prævia debita approbatione, propediem typis mandare intendat; vereatur autem, ne alii eosdem libros postea, nec ea, qua decet, sedulitate et castigatione edi curent, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem ipsi Antonino Magistro Generali gratiam facere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati: Universis, et singulis utriusque sexus Christifidelibus, præsertim vero Typographis, librorum Impressoribus, Bibliopolis ubilibet exsistentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, in nostra vero temporali ditione commorantibus etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, ac amissionis typorum, et librorum omnium eidem Cameræ applicandorum, absque aliqua declaratione incurrendis et exigendis pœnis, interdicimus et inhibemus, ne Missale, Breviarium, Diurnum, Martyrologium, Rubricarium, Processionale, Psalterium, Officium beatæ Mariæ Virginis, Kalendarium perpetuum, aliosque libros chorales præfatos, vel eorum aliquos, aliquamve partem posthac in perpetuum, absque expressa, et in scriptis accepta dicti Antonini moderni, et pro

tempore exsistentis Magistri Generalis dicti Ordinis facultate, cuius exemplum in principio, vel fine cuiusque librorum huiusmodi impressum una cum præsentibus nostris Litteris semper addendum erit, imprimere, aut ab aliis impressa vendere, seu venalia habere, vel proponere quovis modo audeant, vel præsumant: Mandantes universis, et singulis Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, Episcopis, et aliis locorum Ordinariis, eorumque Vicariis in spiritualibus generalibus, seu Officialibus, ac in Statu nostro Ecclesiastico Legatis, Vice-Legatis, Gubernatoribus, Potestatibus et aliis Officialibus, cæterisque, ad quos quomodolibet spectat, et spectare poterit, ut quando, et quoties pro parte dicti Magistri Generalis, seu nomine dicti Ordinis requisiti fuerint, prædicta contra inobedientes quoscumque, etiam per censuras ecclesiasticas, et alia opportuna iuris et facti remedia auctoritate Apostolica exsequantur, et observari faciant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis necnon, quatenus opus sit, dicti Ordinis, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque indultis, et Litteris Apostolicis, in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores, præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Litterarum transumpta, seu exempla etiam in ipsis libris impressa, manu alicuius Notarii publici subscripta, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munita, eamdem prorsus fidem ubique locorum in iudicio, et extra faciant, quam ipsæ præsentes facerent, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die XIV Augusti MDCLXXXVIII, Pontificatus Nostri Anno duodecimo. I. F. Albanus. Loco ✠ Anuli Piscatoris. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, ipse Thomas Magister Generalis Litteras Innocentii Prædecessoris huiusmodi, ne ulla ratione, seu arte infringi, eludi, aut labentis temporis decursu labefactari valeant, sed ut eo validius subsistant, ac exactius serventur, quo multiplici firmitatis vinculo sæpius fuerint ab hac sancta Sede constabilitæ, Apostolicæ confirmationis Nostræ præsidio communiri summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, quatenus in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eiusdem Thomæ Magistri

Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, benigna annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, a iure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus exsistit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, præinsertas Innocentii Prædecessoris Litteras, et in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica harum serie approbamus, et confirmamus, ac, quatenus opus sit, innovamus, illisque perpetuæ ac inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur, vim, et efficaciam adiungimus. Præterea omnibus, et singulis dicti Ordinis utriusque sexus personis, nunc, et pro tempore exsistentibus, sub privationis vocis activæ, et passivæ, ne aliis quibuscumque Missali, Breviario, Diurno, Martyrologio, Rubricario, Processionali, Psalterio, Officio beatæ Mariæ Virginis, Kalendario perpetuo, ceterisque libris choralibus, vel eorum aliquo, aliquave parte, quam iis, quæ in alma Urbe præfata, vel de expressa, et in scriptis accepta eiusdem Thomæ moderni, seu pro tempore exsistentis Magistri Generalis Ordinis prædicti facultate, et licentia, cuius exemplum in principio, vel fine cuiusque librorum huiusmodi per extensum impressum, una cum præinsertis, aut præsentibus Litteris semper additum sit, typis mandata, seu impressa fuerint, deinceps perpetuis futuris temporibus uti; Superioribus vero dicti Ordinis cuiusvis gradus, dignitatis, ac præeminentiæ exsistant, sub suspensionis ab Officio, quod obtinent, ac perpetuæ ad idem, vel quodcumque aliud simile, vel dissimile in futurum obtinendum inhabilitatis, pœnis eo ipso, absque alia declaratione per transgressores respective incurrendis, ne dictorum librorum, vel alicuius, seu partis eorum aliter, quam ut supra dictum est, impressorum usum præfatis personis sibi subditi permittere audeant similiter, vel præsumant, eadem auctoritate, tenore præsentium præcipimus, et mandamus. Decernentes, ipsas præsentes Litteras semper firmas, validas et efficaces exsistere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et exacte observari; sicque, et non aliter in præmissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, dictæque Sedis Nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter conti-

gerit attentari. Non obstantibus præmissis, necnon omnibus et singulis, quæ in præinsertis Innocentii Prædecessoris Litteris concessa sunt non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum volumus pariter, ut præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam in ipsis libris impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ eisdem præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub Anulo Piscatoris die XIX Septembris MDCCXXXVI Pontificatus Nostri Anno septimo.

PRO D. CARDINALI OLIVERIO P. L. JACQUET.

SACRA RITUUM CONGREGATIO

Prot. Num. O. 126/960

ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM

Post editum novarum Rubricarum Breviarii et Missalis Romani corpus per Breve Apostolicum « Rubricarum instructum » diei 25 iulii anni huius, Rev.mus P. Magister Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum, vota sui Consilii Generalis excipiens, ut eædem Rubricæ ritui Ordinis sui aptentur viris de re liturgica peritis commisit, qui commissum sibi munus diligenti studio absolverunt, quod idem Rev.mus P. Magister Generalis Sacrorum Rituum Congregationis iudicio reverenter subiecit pro opportuna approbatione. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi a Sanctissimo Domino nostro Ioanne Papa XXIII tributarum, attentis expositis peculiaribus adiunctis, exhibitum schema Rubricarum Breviarii et Missalis iuxta ritum Ordinis Prædicatorum, accurate revisum et emendatum, uti in adiecto prostat exemplari, probavit et adhibendum benigne concessit. Quibuslibet contrariis non obstantibus. Die 16 decembris anno 1960.

C. Card. CICOGNANI
S. R. C. Præfectus

L. ✠ S.

HENRICUS DANTE, a secretis

Rubricæ generales Breviarii Romani, et *Rubricæ generales Missalis Romani*, a Sacra Nostra Rituum Congregatione mox evulgandum, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, servandum esse præcipimus. Qui vero alium ritum latinum observant, quamprimum sive novo rubricarum codici, sive Calendario se conformare tenentur, in iis omnibus, quæ illi ritui stricte propria non sunt.

2) Eodem die 1 ianuarii anni 1961 vigere cessant *Rubricæ generales* Breviarii et Missalis Romani, necnon *Additiones et Variationes* in rubricis Breviarii et Missalis Romani, ad normam Bullæ Prædecessoris Nostri S. Pii X *Divino afflatu*, quæ hucusque his libris præpositæ habentur. Pariter vigere cessat Decretum generale S. R. C. diei 23 martii anni 1955 *De rubricis ad simpliciorem formam redigendis*, in hac nova rubricarum redactione assumptum. Abrogantur denique eiusdem S. Congregationis decreta et ad dubia responsiones, quæ cum nova hac rubricarum forma non conveniunt.

3) Item statuta, privilegia, indulta et consuetudines cuiuscumque generis, etiam sæcularia et immemorabilia, immo specialissima atque individua mentione digna, quæ his rubricis obstant, revocantur.

4) Librorum liturgicorum editores, rite a S. Sede approbati et admissi, novas parare possunt editiones Breviarii et Missalis Romani, iuxta novum rubricarum codicem dispositas; ad necessariam vero novarum editionum uniformitatem præcavendam, S. Rituum Congregatio peculiares tradat instructiones.

5) In novis Breviarii vel Missalis Romani editionibus, omissis rubricarum textibus de quibus n. 2, novarum rubricarum textus præponantur, Breviario quidem *Rubricæ generales* et *Rubricæ generales Breviarii Romani;* Missali autem item *Rubricæ generales* et *Rubricæ generales Missalis Romani.*

6) Omnes denique ad quos spectat quamprimum Calendaria et Propria, sive diœcesana sive religiosa, ad normam et mentem novæ redactionis rubricarum et Calendarii conformari curent, a S. Rituum Congregatione approbanda.

His itaque firmiter statutis, muneri Nostro Apostolico consentaneum ducimus, nonnulla addere hortamenta.

Nova sane hac rubricarum dispositione, dum ex una parte universus rubricarum Breviarii et Missalis Romani instructus in meliorem formam est redactus, clariore ordine digestus et in unicum textum contractus, ex altera parte aliquæ quoque introductæ sunt peculiares modificationes, quibus Officium divinum paulisper contrahitur. Hoc siquidem

quamplurium Episcoporum erat in votis, intuitu præsertim multorum sacerdotum, qui in dies magis magisque pastoralibus sollicitudinibus onerantur. Hos autem et omnes qui Officio divino persolvendo tenentur, paterno hortamur animo, ut si quid in eodem divino Officio breviatur, hoc maiore diligentia ac devotione compensetur. Cum porro lectio quoque sanctorum Patrum aliquantisper quandoque minuatur, omnes enixe clericos hortamur, ut volumina Patrum, tanta sapientia ac pietate referta, assidue præ manibus legenda ac meditanda teneant.

Quæ autem per Nostras has Litteras, motu proprio datas, decrevimus ac statuimus, rata atque firma sunto, contrariis quibuslibet minime obstantibus, peculiarissima quoque et individua mentione dignis.

Datum Romæ, apud S. Petrum, die 25 mensis iulii, anno 1960, Pontificatus Nostri secundo.

IOANNES PP. XXIII

DECRETUM GENERALE S. CONGREGATIONIS RITUUM

QUO NOVUS RUBRICARUM BREVIARII AC MISSALIS ROMANI CODEX PROMULGATUR

Novum rubricarum Breviarii ac Missalis romani codicem, quem Ss.mus Dominus Noster Ioannes Papa XXIII, per Litteras Apostolicas *Rubricarum instructum*, die 25 iulii huius anni *motu proprio* datas approbavit et huic S. Congregationi promulgandum mandavit, S. Rituum Congregatio, per hoc Decretum generale, et promulgat et promulgatum esse declarat, in novas Breviarii et Missalis romani editiones inserendum, et ab omnibus ad quos spectat, inde a die 1 ianuarii proximi anni 1961, servandum.

Ut autem libri liturgici qui in usu habentur adhuc adhiberi possint, rubricarum codici adduntur « Variationes » Breviariis et Missalibus necnon Martyrologio aptandis.

Ex ædibus S. Rituum Congregationis, die 26 iulii anni 1960.

C. Card. CICOGNANI
S. R. C. Præfectus

L. ✠ S.

HENRICUS DANTE, a secretis

RUBRICÆ BREVIARII ET MISSALIS

IUXTA RITUM ORDINIS PRÆDICATORUM

PARS PRIMA

RUBRICÆ GENERALES (1)

CAPUT I

NORMÆ GENERALES

1. Ordo Prædicatorum universus utitur ritu proprio a Sancta Sede specialiter approbato et confirmato, in quo absque eiusdem Sanctæ Sedis auctoritate nihil mutari aut innovari potest (*Const. O. P.* n. 561).

2 (2). Nomine calendarii veniunt tum calendarium Ordinis universi, tum calendaria particularia provinciarum et domorum.

3 (3). Rubricæ generales quæ sequuntur, valent tam pro Breviario quam pro Missali. Ipsis tamen exceptiones dantur per particulares rubricas, quæ aliquando in Breviario et in Missali ad normam harum rubricarum redactis occurrunt.

CAPUT II

DE DIE LITURGICO IN GENERE

4 (4). Dies liturgicus est dies sanctificatus actionibus liturgicis, præsertim Sacrificio eucharistico et publica Ecclesiæ prece, id est Officio divino; et decurrit a media nocte ad mediam noctem.

5 (5). Celebratio diei liturgici decurrit per se a Matutino ad Completorium. Sunt tamen dies solemniores, quorum Officium inchoatur a I Vesperis, die præcedenti.

Habetur denique celebratio liturgica non plena seu sola *memoria* in Officio et Missa diei liturgici currentis.

6 (6). Singulis diebus fit aut de dominica, aut de feria, aut de vigilia, aut de festo, aut de octava, aut de B. Maria in sabbato, iuxta calendarium et præcedentiam dierum liturgicorum.

7 (7). Præcedentia inter singulos dies liturgicos unice per peculiarem tabellam (n. 84) determinatur.

8 (8). Dies liturgici sunt primæ, secundæ, tertiæ aut quartæ classis.

CAPUT III

DE DOMINICIS

9 (9). Nomine dominicæ intellegitur dies Domini initio cuiusque hebdomadæ occurrens.

10 (10). Dominicæ sunt I aut II classis.

11 (11). *Dominicæ I classis* sunt:

a) I-IV Adventus;
b) I-IV Quadragesimæ;
c) I-II Passionis;
d) dominica Resurrectionis seu Paschatis;
e) dominica in albis;
f) dominica Pentecostes.

Dominicæ Paschatis et Pentecostes sunt pariter festa I classis cum octava.

12 (12). Omnes aliæ dominicæ sunt *II classis*.

13 (13). Officium dominicæ incipit a I Vesperis, sabbato præcedenti, et explicit post Completorium dominicæ.

14 (14). Dominica celebratur suo die, iuxta rubricas. Officium et Missa dominicæ impeditæ nec anticipantur nec resumuntur.

15 (15). *Dominica I classis*, in occurrentia, festis quibuslibet præfertur.

Festum tamen Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virg. præfertur occurrenti dominicæ Adventus.

Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quæ nn. 97-98 traditur.

16 (16). *Dominica II classis*, in occurrentia, festis II classis præfertur.

Attamen:

a) festum Domini I aut II classis, in dominica II classis occurrens, locum tenet ipsius dominicæ cum omnibus iuribus et privilegiis; de dominica, proinde, nulla fit memoria;

b) dominica II classis præfertur Commemorationi omnium Fidelium defunctorum.

Ad concurrentiam vero quod attinet, servetur norma, quæ nn. 97-98 traditur.

17 (17). Dominica excludit, per se, assignationem perpetuam festorum. Excipiuntur:

a) festum Ss.mi Nominis Iesu, celebrandum dominica quæ occurrit a die 2 ad 5 ianuarii (secus die 2 ianuarii);

b) festum S. Familiæ Iesu, Mariæ, Ioseph, celebrandum dominica prima post Epiphaniam;

c) festum Ss.mæ Trinitatis, celebrandum dominica prima post Pentecosten;

d) festum D. N. Iesu Christi Regis, celebrandum dominica ultima mensis octobris;

e) festa Domini I classis quæ, in calendariis particularibus, dominicæ II classis nunc assignantur.

Hæc festa locum tenent dominicæ occurrentis cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit memoria.

18 (18). Dominicæ post Epiphaniam quæ, superveniente Septuagesima, impediuntur, transferuntur post dominicam XXIII post Pentecosten, hoc ordine:

a) si dominicæ post Pentecosten fuerint 25, dominica XXIV erit quæ inscribitur dominica VI post Epiphaniam;

b) si dominicæ fuerint 26, dominica XXIV erit quæ inscribitur V post Epipha-

(1) Numeri marginales uncis inclusi numeros marginales codicis rubricarum seu Rubricas Breviarii et Missalis romani indicant.

niam; et XXV, quæ inscribitur VI;

c) si dominicæ fuerint 27, dominica XXIV erit quæ inscribitur IV post Epiphaniam; XXV, quæ inscribitur V; et XXVI, quæ inscribitur VI;

d) si dominicæ fuerint 28, dominica XXIV erit quæ inscribitur III post Epiphaniam; XXV, quæ inscribitur IV; XXVI, quæ inscribitur V; et XXVII, quæ inscribitur VI.

Ultimo tamen loco semper ponitur ea quæ in ordine est XXIV post Pentecosten, omissis, si opus sit, ceteris, quæ aliquando locum habere non possunt.

19 (19). Dominica prima mensis ea intellegitur, quæ prima occurrit in mense, scilicet a die primo ad septimum mensis; dominica autem ultima, quæ diem primum mensis sequentis proxime præcedit.

Item ad computandam primam dominicam mensium augusti, septembris, octobris et novembris, ratione lectionum Scripturæ occurrentis, ea dicitur prima dominica mensis, quæ cadit a die primo ad septimum mensis.

20 (20). Dominica I Adventus ea est, quæ cadit die 30 novembris vel est ipsi proximior.

Caput IV
DE FERIIS

21 (21). Nomine feriæ intelleguntur singuli dies hebdomadæ, præter dominicam.

22 (22). Feriæ sunt primæ, secundæ, tertiæ aut quartæ classis.

23 (23). *Feriæ I classis* sunt:

a) feria IV cinerum;

b) omnes feriæ Hebdomadæ sanctæ.

Hæ feriæ festis quibuslibet præferuntur, et nullam admittunt memoriam, nisi unam privilegiatam.

24 (24). *Feriæ II classis* sunt:

a) feriæ Adventus a die 17 ad diem 23 decembris;

b) feriæ Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et mensis septembris.

Hæ feriæ præferuntur festis particularibus II classis; si vero impediuntur, commemorari debent, exceptis feriis Quatuor Temporum mensis septembris, quæ non commemorantur in Officio, sed tantum in Missa.

25 (25). *Feriæ III classis* sunt:

a) feriæ Quadragesimæ et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II in Passione inclusive, superius non nominatæ, quæ præferuntur festis III classis;

b) feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, superius non nominatæ, quæ cedunt festis III classis.

Hæ feriæ, si impediuntur, commemorari debent.

26 (26). Omnes feriæ, numeris 23-25 non nominatæ, sunt *feriæ IV classis;* quæ numquam commemorantur.

27 (27). Officium feriæ incipit a Matutino et explicit per se post Completorium; Officium vero sabbati, excepto Officio Sabbati sancti, explicit post Nonam.

Caput V
DE VIGILIIS

28 (28). Nomine vigiliæ intellegitur dies liturgicus, qui aliquod festum præcedit, et rationem habet præparationis ad illud.

Vigilia Paschatis vero, cum non sit dies liturgicus, modo sibi proprio, seu pervigilio, celebratur.

29 (29). Vigiliæ sunt primæ, secundæ aut tertiæ classis.

30 (30). *Vigiliæ I classis* sunt:

a) vigilia Nativitatis Domini quæ, in occurrentia, locum tenet dominicæ IV Adventus, de qua, proinde, nulla fit memoria;

b) vigilia Pentecostes.

Hæ vigiliæ festis quibuslibet præferuntur, et nullam admittunt memoriam.

31 (31). *Vigiliæ II classis* sunt:

a) vigilia Ascensionis Domini;

b) vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.;

c) vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistæ;

d) vigilia Ss. Petri et Pauli Apostolorum.

Hæ vigiliæ præferuntur diebus liturgicis III et IV classis; et, si impediuntur, commemorantur, iuxta rubricas, exceptis vigiliis Sanctorum, quæ non commemorantur in Officio, sed tantum in Missa.

32 (32). *Vigilia III classis* est vigilia S. Laurentii.

Hæc vigilia præfertur diebus liturgicis IV classis; si impeditur, non commemoratur in Officio, sed tantum in Missa.

33 (33). Vigilia II aut III classis penitus omittitur, si occurrat in dominica quavis, aut in festo I classis, vel si festum cui præmittitur in alium diem transferri aut ad memoriam reduci contingat.

34 (34). Officium vigiliæ incipit a Matutino et explicit quando initium habet Officium festi subsequentis.

Caput VI
DE FESTIS ET CALENDARIO

A) *De natura et proprietate festorum*

35 (35). Nomine festi intellegitur dies liturgicus in quo cultus publicus Ecclesiæ peculiari modo ad mysteria Domini recolenda, vel ad B. Mariam Virg., aut Angelos, aut Sanctos vel Beatos venerandos dirigitur.

36 (36). Festa sunt primæ, secundæ aut tertiæ classis.

37 (37). Ratio celebrationis festorum hæc est:

a) festa I classis inter dies solemniores adnumerantur, quorum Officium incipit a I Vesperis, die præcedenti; in his festis tantum Officium in utrisque Vesperis, in Ma-

tutino, in Laudibus et in Missa in dextro choro inchoatur;

b) festa II et III classis Officium habent quod per se decurrit a Matutino ad Completorium ipsius diei;

c) festa vero Domini II classis I Vesperas acquirunt, quoties, in occurrentia, locum tenent dominicæ II classis.

38 (38). *Festa* sunt *universalia* aut *particularia;* particularia autem sunt *propria* aut *indulta.*

39 (39). Festa *universalia* ea sunt quæ a Sancta Sede in calendario Ecclesiæ universæ inscribuntur. Hæc festa ab omnibus qui ritum romanum sequuntur, celebrari debent, iuxta rubricas.

Festa universalia in calendario Ordinis Prædicatorum ea sunt quæ calendario Ordinis universi cum calendario Ecclesiæ universæ communia sunt.

40 (40). Festa *particularia* sunt:

a) festa quæ ex iure aut ex indulto Sanctæ Sedis in calendario Ordinis universi, non autem in calendario Ecclesiæ universæ inscribuntur;

b) festa quæ ex iure aut ex indulto Sanctæ Sedis in calendariis particularibus provinciarum vel domorum inscribuntur.

Hæc festa ab omnibus qui calendario Ordinis Prædicatorum tenentur, celebrari debent, iuxta rubricas, et nonnisi ex speciali Sanctæ Sedis indulto e calendario expungi vel gradu mutari possunt.

41 (41 et 46). Festa particularia, *ipso iure* in calendario inscribenda, sunt festa propria, scilicet:

a) festum S. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum (I classis);

b) festum Patroni principalis rite constituti cuiusque provinciæ Ordinis, in singulis provinciis (I classis);

c) festum Patroni secundarii, ut supra (II classis);

d) festa Sanctorum et Beatorum, qui Ordinis sodales fuerunt (II vel III classis, aut memoria).

42 (45). *Festa propria cuiusque ecclesiæ aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiæ*, ipso iure in calendario inscribenda, sunt:

a) anniversarium Dedicationis, si sint consecrata (I classis);

b) festum Tituli, si sint consecrata aut saltem solemniter benedicta (I classis);

c) festum Sancti, in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (II classis);

d) festum Beati, item in Martyrologio vel eius Appendice rite descripti, cuius corpus ibi asservatur (III classis).

43 (47). Festa particularia *indulta* sunt festa quæ, ex indulto Sanctæ Sedis, sive in calendario Ordinis universi, sive in calendariis particularibus provinciarum vel domorum, inscribuntur.

B) *De calendario et festis in eo inscribendis*

44 (48). Calendarium est *universale* aut *particulare* seu proprium.

45 (49). *Calendarium universale* est calendarium in usum Ecclesiæ universæ, quod Breviario ac Missali romano præficitur.

46 (50). *Calendarium particulare* seu proprium est diœcesanum aut religiosum.

47 (50). Ordo Prædicatorum universus proprio utitur calendario. Nullum festum huic calendario inseri vel ex eo expungi, aut gradu mutari potest, nisi, Capitulo generali vel, in casibus particularibus, Magistro generali de consensu sui Consilii petente, a S. Rituum Congregatione fuerit concessum.

48 (54). Calendario Ordinis utuntur tum Fratres tum Moniales ac Sorores eiusdem Ordinis, necnon Tertiarii eidem aggregati in communi viventes et vota simplicia emittentes.

49 (56). Super calendario Ordinis conficitur:

a) calendarium cuiusque provinciæ religiosæ, addendo festa propria (n. 41) et indulta;

b) calendarium cuiusque ecclesiæ aut oratorii, item addendo festa propria (n. 42) et indulta, necnon et alia de quibus numero sequenti: quod calendarium vocatur etiam domus religiosæ.

50 (57). In singulis diœcesibus et locis, Religiosi celebrare tenentur, una cum clero diœcesano:

a) festum Patroni principalis nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis, loci seu oppidi vel civitatis (I classis);

b) anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis (I classis);

c) alia festa actu feriata, si quæ sint, eodem gradu quo in calendario diœcesano inscribuntur;

d) Litanias minores seu Rogationes (n. 80).

51 (58). Religiosi, in celebrandis festis Sanctorum Ordinis, quoad diem et Officium magis proprium, clero diœcesano se conformare tenentur, sicubi iidem Sancti tamquam Patroni principales (n. 50 *a*) recoluntur.

Item, si festa Sanctorum aut Beatorum Ordinis gradu superiore aut Officio magis proprio a clero alicuius diœcesis vel loci celebrantur, ibidem etiam a Religiosis eodem gradu superiore aut Officio magis proprio celebrari possunt, dummodo eadem festa, in utroque calendario, eodem die inscripta sint.

C) *De festorum die proprio*

52 (59). Festa in calendaria iam inducta eo die celebrentur, quo nunc in calendariis inscripta inveniuntur.

53 (60). Pro novis festis *universalibus* inducendis, hæc serventur:

a) festa Sanctorum ordina-

rie diei natalicio assignentur, diei nempe quo Sanctus æternæ vitæ natus est; hoc die ex qualibet causa impedito, eadem festa assignentur diei a S. Sede determinando, qui proinde habebitur tamquam dies quasi-natalicius;

b) pro ceteris festis, dies a S. Sede assignabitur.

54 (61). Pro novis festis *particularibus* inducendis, hæc serventur:

a) festa propria Sanctorum vel Beatorum ordinarie diei natalicio assignentur, nisi sit impeditus aut aliter a S. Sede dispositum sit. Festa tamen alicuius loci vel ecclesiæ propria, quæ etiam in calendario universali vel diœcesano vel religioso gradu quidem inferiore inscribuntur, eodem die celebranda sunt ac in calendario universali vel diœcesano vel religioso;

b) si dies natalicius ignoretur, festa assignentur, cum approbatione S. Sedis, diei qui, in calendario perpetuo diœcesano vel religioso, sit IV classis;

c) si vero dies natalicius perpetuo impediatur pro universa diœcesi vel Religione vel ecclesia propria, festa in tali calendario particulari, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei, qui ab aliis festis et Officiis paris aut superioris gradus liber exsistat;

d) festa particularia indulta inscribantur in calendario die a S. Sede in concessione assignato.

55 (62). Sancti vel Beati qui in calendario, ex quavis ratione, unico festo inscribuntur, semper simul celebrantur prout in Breviario habentur, quoties eodem gradu sunt colendi, etsi unus aut aliqui eorum sint magis proprii.

Proinde:

a) si unus aut aliqui ex his Sanctis festo I classis essent colendi, fit Officium de his tantum, omissis sociis;

b) si unus aut aliqui ex his Sanctis vel Beatis essent magis proprii et gradu superiore essent colendi, fit integrum Officium de magis propriis, cum commemoratione sociorum.

Caput VII
DE OCTAVIS

A) *De octavis in genere*

56 (63). Octava est celebratio summorum festorum per octo dies continuos protracta.

57 (64). Celebrantur tantum octavæ Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, exclusis omnibus aliis, sive in calendario Ordinis universi sive in calendariis particularibus.

58 (65). Octavæ sunt I aut II classis.

B) *De octavis I classis*

59 (66). Octavæ I classis sunt octavæ Paschatis et Pentecostes. Dies infra has octavas sunt I classis.

C) *De octava II classis*

60 (67). Octava II classis est octava Nativitatis Domini. Dies infra octavam sunt II classis; dies autem octavus est I classis.

61 (68). Octava Nativitatis Domini modo peculiari ordinatur, scilicet:

a) die 26 decembris, fit festum S. Stephani Protomart. (II classis);

b) die 27 decembris, fit festum S. Ioannis Ap. et Evang. (II classis);

c) die 28 decembris, fit festum SS. Innocentium Mart. (II classis);

d) die 29 decembris, fit memoria S. Thomæ Episcopi et Mart.;

e) die 31 decembris, fit memoria S. Silvestri I Papæ et Conf.;

f) ex festis particularibus ea tantum admittuntur quæ sunt I classis et in honorem Sanctorum qui in calendario universali his diebus inscribuntur, etsi tantum ad modum memoriæ; cetera transferuntur post octavam.

62 (69). De dominica infra octavam Nativitatis Domini, quæ scilicet a die 26 ad 31 decembris occurrit, semper fit Officium cum memoria festi forte occurrentis, iuxta rubricas, nisi dominica incidat in festum I classis: quo in casu, fit de festo cum memoria dominicæ.

63 (70). Normæ peculiares pro ordinandis Officio et Missa infra octavam Nativitatis Domini inveniuntur in rubricis Breviarii et Missalis.

Caput VIII
DE ANNI TEMPORIBUS

A) *De tempore Adventus*

64 (71). Tempus sacri Adventus decurrit a I Vesperis dominicæ I in Adventu usque ad Nonam inclusive vigiliæ Nativitatis Domini.

B) *De tempore natalicio*

65 (72). Tempus natalicium decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) *tempus Nativitatis*, quod decurrit a I Vesperis Nativitatis Domini usque ad Nonam inclusive diei 5 ianuarii;

b) *tempus Epiphaniæ*, quod decurrit a I Vesperis Epiphaniæ Domini usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

C) *De tempore Septuagesimæ*

66 (73). Tempus Septuagesimæ decurrit a I Vesperis dominicæ in Septuagesima usque post Completorium feriæ III hebdomadæ Quinquagesimæ.

D) *De tempore quadragesimali*

67 (74). Tempus quadragesimale decurrit a Matutino feriæ IV cinerum usque ad Missam Vigiliæ paschalis exclusive.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) *tempus Quadragesimæ*,

quod decurrit a Matutino feriæ IV cinerum usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I in Passione;

b) tempus Passionis, quod decurrit a I Vesperis dominicæ I in Passione usque ad Missam Vigiliæ paschalis exclusive.

68 (75). Hebdomada a dominica II in Passione seu in ramis palmarum usque ad Sabbatum sanctum inclusive dicitur *Hebdomada sancta;* tres autem ultimi dies eiusdem hebdomadæ nomine *Tridui sacri* designantur.

E) *De tempore paschali*

69 (76). Tempus paschale decurrit ab initio Missæ Vigiliæ paschalis usque ad Nonam inclusive sabbati in octava Pentecostes.

Huiusmodi autem temporis spatium comprehendit:

a) tempus Resurrectionis, quod decurrit ab initio Missæ Vigiliæ paschalis usque ad Nonam inclusive vigiliæ Ascensionis Domini;

b) tempus Ascensionis, quod decurrit a I Vesperis Ascensionis Domini usque ad Nonam inclusive vigiliæ Pentecostes;

c) octavam Pentecostes, quæ decurrit a Missa vigiliæ Pentecostes usque ad Nonam inclusive sabbati sequentis.

F) *De tempore « per annum »*

70 (77). Tempus « per annum » decurrit a die 14 ianuarii usque ad Nonam sabbati ante dominicam in Septuagesima, et a I Vesperis festi Ss.mæ Trinitatis, id est dominicæ I post Pentecosten, usque ad Nonam inclusive sabbati ante dominicam I in Adventu.

Caput IX
DE BEATA MARIA IN SABBATO

71 (78). In sabbatis, in quibus occurrit Officium de feria IV classis, fit de beata Maria in sabbato.

72 (79). Officium beatæ Mariæ in sabbato incipit a Matutino et explicit post Nonam.

Caput X
DE LITANIIS MAIORIBUS ET MINORIBUS

A) *De Litaniis maioribus*

73 (80). Litaniæ maiores assignatæ sunt diei 25 aprilis; si vero eo die occurrit dominica Paschatis vel feria II post Pascha, transferuntur in sequentem feriam III.

74 (81). De Litaniis maioribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa. Earum autem memoria non est habenda memoria « de Tempore ».

75 (82). Iuxta ecclesiarum et locorum condiciones et consuetudines, cuius rei iudex est Ordinarius loci, hoc die fit processio, in qua dicuntur Litaniæ Sanctorum cum suis precibus.

76 (83). Si autem processio fieri nequit, locorum Ordinarii instituant peculiares supplicationes, in quibus dicantur Litaniæ Sanctorum et aliæ preces in processione fieri solitæ.

77 (84). Omnes qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus, de quibus numero præcedenti, non intersunt, tenentur dicere, hoc die, Litanias Sanctorum cum suis precibus, lingua latina.

78 (85). Si Litaniæ Sanctorum cum suis precibus, iuxta locorum consuetudinem, in processione vel aliis peculiaribus supplicationibus, lingua vernacula, una cum fidelibus dicuntur, ii qui ad recitationem divini Officii obligantur, et his supplicationibus rite intersunt, non tenentur has preces lingua latina iterare.

79 (86). Missa de Rogationibus regulariter dicenda est expleta processione, iuxta ea quæ in nn. 313-314 statuuntur. Convenit autem ut Missa de Rogationibus dicatur etiam post peculiares supplicationes, quæ locum tenent processionis, etsi horis vespertinis peragantur.

B) *De Litaniis minoribus seu de Rogationibus*

80 (87). Litaniæ minores seu Rogationes, per se, assignantur feriis II, III et IV ante festum Ascensionis Domini.

Ordinariis autem locorum facultas tribuitur eas transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitatem.

81 (88). De Litaniis minoribus nihil fit in Officio, sed tantum in Missa quæ connectitur cum processione aut aliis peculiaribus supplicationibus.

82 (89). Ad processionem aut alias peculiares supplicationes et Missam aut memoriam quod attinet, serventur quæ supra de Litaniis maioribus statuta sunt (nn. 74-76 et 79).

83 (90). Litaniæ Sanctorum cum suis precibus, his diebus, dicuntur tantum in processione aut aliis supplicationibus (cfr. n. 78). Proinde, qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus non intersunt, non tenentur dicere, his diebus, Litanias Sanctorum cum suis precibus.

Caput XI
DE PRÆCEDENTIA DIERUM LITURGICORUM

84 (91). Præcedentia dierum liturgicorum, sublatis quibuslibet aliis titulis vel normis, unice regitur ex sequenti

TABELLA DIERUM LITURGICORUM SECUNDUM ORDINEM PRÆCEDENTIÆ DISPOSITA

Dies liturgici I classis

1. Festum Nativitatis Domini, dominica Resurrec-

tionis et dominica Pentecostes (I classis cum octava).
2. Triduum sacrum.
3. Festa Epiphaniæ et Ascensionis Domini, Ss.mæ Trinitatis, Corporis Christi, Cordis Iesu et Christi Regis.
4. Festa Immaculatæ Conceptionis et Assumptionis B. Mariæ Virg.
5. Vigilia et dies octavus Nativitatis Domini.
6. Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Passionis, et dominica in albis.
7. Feriæ I classis superius non nominatæ, nempe: IV cinerum et II, III et IV Hebdomadæ sanctæ.
8. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quæ tamen locum cedit dominicæ occurrenti.
9. Vigilia Pentecostes.
10. Dies infra octavas Paschatis et Pentecostes.
11. Festa I classis Ecclesiæ universæ superius non nominata.
12. Festa *propria* I classis, nempe:
    1) Festum Patroni principalis rite constituti: *a*) nationis, *b*) regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, *c*) diœcesis.
    2) Anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis.
    3) Festum Patroni principalis rite constituti loci seu oppidi vel civitatis.
    4) Festum et anniversarium Dedicationis ecclesiæ propriæ, aut oratorii publici vel semipublici, quod locum tenet ecclesiæ.
    5) Titulus ecclesiæ propriæ.
    6) Festum S. Dominici, Fundatoris Ordinis Prædicatorum.
    7) Festum Patroni principalis rite constituti provinciæ religiosæ.
    8) Cetera festa propria I classis.
13. Festa *indulta* I classis, primum mobilia, deinde fixa.

Dies liturgici II classis

14. Festa Domini II classis, primum mobilia, deinde fixa.
15. Dominicæ II classis.
16. Festa II classis Ecclesiæ universæ, quæ non sunt Domini.
17. Dies infra octavam Nativitatis Domini.
18. Feriæ II classis, nempe: Adventus a die 17 ad diem 23 decembris inclusive, et feriæ Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et mensis septembris.
19. Festa *propria* II classis, nempe:
    1) Festum Patroni secundarii rite constituti: *a*) nationis, *b*) regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, *c*) diœcesis, *d*) loci seu oppidi vel civitatis.
    2) Festa Sanctorum alicui ecclesiæ propria (n. 42 *c*).
    3) Festum Patroni secundarii rite constituti provinciæ religiosæ (n. 41 *c*).
    4) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 41 *d*.
    5) Cetera festa propria II classis.
20. Festa *indulta* II classis, primum mobilia, deinde fixa.
21. Vigiliæ II classis.

Dies liturgici III classis

22. Feriæ Quadragesimæ et Passionis, a feria V post cineres usque ad sabbatum ante dominicam II in Passione inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.
23. Festa III classis, in calendariis particularibus inscripta, et quidem primum festa *propria*, nempe:
    1) Festa Beatorum alicui ecclesiæ propria (n. 42 *d*);
    2) Festa Sanctorum aut Beatorum, de quibus n. 41 *d*;

    deinde festa *indulta*, primum mobilia, deinde fixa.
24. Festa III classis, in calendario Ecclesiæ universæ inscripta, primum mobilia, deinde fixa.
25. Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, exceptis feriis Quatuor Temporum.
26. Vigilia III classis.

Dies liturgici IV classis

27. Officium beatæ Mariæ in sabbato.
28. Feriæ IV classis.

Caput XII

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA

85 (92). *Occurrentia* dicitur occursus duorum vel plurium Officiorum uno eodemque die.

Occurrentia autem dicitur *accidentalis*, quando dies liturgicus mobilis et dies liturgicus fixus certis solummodo annorum intervallis simul occurrunt; *perpetua* vero quando duo dies liturgici quotannis simul occurrunt.

86 (93). Effectus occurrentiæ est, ut Officium diei liturgici gradus inferioris Officio gradus superioris cedat: quod fieri potest per minus nobilis omissionem, aut memoriam, aut translationem, aut repositionem, prout numeris sequentibus indicatur.

87 (94). Memoria die fixo statuta non transfertur vel reponitur cum festo transferendo vel reponendo, sed fit suo die vel omittitur, iuxta rubricas.

Caput XIII

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA ACCIDENTALI EORUMQUE TRANSLATIONE

88 (95). Ius translationis in alium diem ob occurrentiam

accidentalem cum die liturgico, qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, competit solummodo festis I classis. Alia festa, ab Officio gradus superioris accidentaliter impedita, aut commemorantur aut, eo anno, penitus omittuntur, iuxta rubricas.

Si vero duo festa eiusdem Divinæ Personæ aut duo festa eiusdem Sancti vel Beati simul occurrunt, fit de festo, quod in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, et aliud omittitur.

89 (96). Festum I classis impeditum a die qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, transfertur in proximum sequentem diem qui non sit I vel II classis.

Attamen:

a) festum Annuntiationis B. Mariæ Virg., quando est transferendum post Pascha, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II post dominicam in albis;

b) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum, quando occurrit cum dominica, transfertur, tamquam in sedem propriam, in feriam II sequentem.

90 (97). Si *eodem die* plura festa I classis simul occurrant, ipso die celebratur festum, quod in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum; et alia transferuntur secundum ordinem quo in eadem tabella præcedentiæ inscripta sunt.

91 (98). Item, si plura festa I classis transferri contingat, quæ *diebus subsequentibus* occurrunt, servetur ordo quo in tabella præcedentiæ inscribuntur; in paritate autem Officium prius impeditum præcedit.

92 (99). Festa translata sunt eiusdem gradus ac in sede propria.

Caput XIV

DE DIERUM LITURGICORUM OCCURRENTIA PERPETUA EORUMQUE REPOSITIONE

93 (100). Ius repositionis in alium diem, ob occurrentiam perpetuam cum die liturgico, qui in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, competit omnibus festis I et II classis, necnon festis particularibus III classis extra Adventum et Quadragesimam occurrentibus, quæ in toto Ordine vel in tota provincia vel in propria ecclesia impediuntur.

Festa autem III classis Ecclesiæ universæ, in calendario Ordinis vel provinciæ vel domus, et festa III classis totius Ordinis in aliquibus tantum provinciis vel ecclesiis, et festa III classis provinciæ in aliquibus tantum ecclesiis perpetuo impedita, perpetuo aut commemorantur aut penitus omittuntur, iuxta rubricas.

94 (101). Festa reponenda, si sint I vel II classis, assignentur proximiori diei sequenti qui non sit I vel II classis; si sint III classis, assignentur proximiori diei sequenti, qui ab aliis Officiis paris aut superioris gradus liber exsistat.

95 (102). Dies in quem festa perpetuo impedita reposita sunt, habetur tamquam dies proprius, in quo festum repositum celebratur sub eodem gradu ac in sede propria.

Caput XV

DE CONCURRENTIA DIERUM LITURGICORUM

96 (103). Concurrentia dicitur concursus Vesperarum diei liturgici currentis cum I Vesperis diei liturgici subsequentis.

97 (104). In concurrentia præferuntur Vesperæ diei liturgici classis superioris, et alteræ commemorantur vel non, iuxta rubricas.

98 (105). Quando vero dies liturgici, quorum Vesperæ concurrunt, sunt eiusdem classis, dicuntur integræ secundæ Vesperæ de Officio currenti et fit memoria sequentis, iuxta rubricas.

Caput XVI

DE MEMORIIS

99 (106). Quæ hic de memoriis statuuntur, valent tam pro Missa quam pro Officio, sive in occurrentia sive in concurrentia.

100 (107). Memoriæ sunt aut *privilegiatæ* aut *ordinariæ*.

101 (108). Memoriæ *privilegiatæ* fiunt in Laudibus et in Vesperis necnon in omnibus Missis; memoriæ vero *ordinariæ* fiunt tantum in Laudibus, in Missis conventualibus et in omnibus Missis lectis.

102 (109). Memoriæ *privilegiatæ* sunt memoriæ:

a) de dominica;

b) de die liturgico I classis;

c) de diebus infra octavam Nativitatis Domini;

d) de feriis Quatuor Temporum mensis septembris, in Missa;

e) de feriis Adventus, Quadragesimæ et Passionis;

f) de Litaniis maioribus, in Missa.

Omnes aliæ memoriæ sunt memoriæ *ordinariæ*.

103 (111). Ratio admittendi memorias hæc est:

a) in diebus liturgicis I classis et in Missis in cantu non conventualibus, nulla admittitur memoria, præter unam privilegiatam;

b) in dominicis II classis, una tantum admittitur memoria, scilicet de festo II classis, quæ tamen omittitur si memoria privilegiata facienda sit;

c) in aliis diebus liturgicis II classis, una tantum admittitur memoria, scilicet aut una privilegiata aut una ordinaria;

d) in diebus liturgicis III et IV classis, duæ tantum admittuntur memoriæ.

104 (112). Ad memorias et orationes quod attinet, hæc insuper serventur:

a) Officium, Missa aut me-

moria de aliquo festo vel mysterio unius Divinæ Personæ excludit memoriam aut orationem de alio festo vel mysterio eiusdem Divinæ Personæ;

b) Officium, Missa aut memoria de dominica excludit memoriam aut orationem de festo vel mysterio Domini, et vicissim;

c) Officium, Missa aut memoria de Tempore excludit aliam memoriam de Tempore;

d) item, Officium, Missa aut memoria de B. Maria Virg. aut de aliquo Sancto vel Beato excludit aliam memoriam aut orationem in qua eiusdem B. Mariæ Virg., vel Sancti aut Beati intercessio imploretur: quod tamen non valet de oratione dominicæ vel feriæ, in qua fit invocatio eiusdem Sancti.

105 (113). Memoria de Tempore fit primo loco. In admittendis et ordinandis aliis memoriis servetur ordo tabellæ præcedentiæ.

106 (114). Quælibet memoria, quæ numerum pro singulis diebus liturgicis statutum superet, omittitur.

Caput XVII
DE CONCLUSIONE ORATIONUM

107 (115). Conclusio orationum tam in Missa quam in Officio hæc est:

a) si oratio dirigitur ad Patrem, concluditur: Per Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen;

b) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in eius principio fit mentio Filii, concluditur: Per eúndem Dóminum nostrum, etc. ut supra;

c) si oratio dirigitur ad Patrem, sed in fine ipsius fit mentio Filii, concluditur: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen;

d) si oratio dirigitur ad Filium, concluditur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti, Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen;

e) si in oratione facta est mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: ... in unitáte eiúsdem Spíritus Sancti, etc.

108 (116). Servandæ sunt etiam aliæ peculiares conclusiones in libris liturgicis quandoque notatæ.

Caput XVIII
DE COLORIBUS PARAMENTORUM

A) *De coloribus paramentorum in genere*

109 (117). Indumenta celebrantis et ministrorum, et paramenta altaris debent esse coloris convenientis Officio et Missæ diei aut alteri Missæ celebrandæ, secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit: albo, rubro, viridi, violaceo et nigro.

Indulta tamen et consuetudines legitimæ circa usum aliorum colorum in suo robore manent.

Sicubi vero in regionibus Missionum, ex probata et originali traditione gentis indigenæ, significatio unius vel alterius coloris liturgici Ecclesiæ Romanæ cum significatione quæ illis populis congenita est non congruit, Conferentiæ episcopali eiusdem regionis, vel maioris territorii, si ita magis conveniat, facultas datur, ut in locum coloris inepti alium colorem magis aptum substituant; hoc tamen non fiat inconsulta S. Rituum Congregatione.

110 (118). Ad colorem indumentorum in Missis votivis lectis IV classis quod attinet, ea quæ n. 290 traduntur, recolantur.

B) *De colore albo*

111 (119). Colore albo utendum est in *Officio et Missa de Tempore:*

a) a festo Nativitatis Domini usque ad expletum tempus Epiphaniæ;

b) a Vigilia paschali usque ad Missam vigiliæ Pentecostes exclusive.

112 (120). Adhibetur color albus in *Officio et Missa de festis:*

a) Domini, exceptis festis de mysteriis et instrumentis Passionis;

b) B. Mariæ Virg., etiam in benedictione et processione candelarum die 2 februarii;

c) Ss. Angelorum;

d) Omnium Sanctorum (1 novembris);

e) Sanctorum non Martyrum;

f) S. Ioannis Ap. et Ev. (27 decembris); Cathedræ S. Petri (22 februarii); Conversionis S. Pauli (25 ianuarii); Nativitatis S. Ioannis Baptistæ (24 iunii).

113 (121). Colorem album requirunt *Missæ votivæ:*

a) quæ respondent festis, de quibus numero præcedenti;

b) de D. N. Iesu Christo, summo atque æterno Sacerdote;

c) de coronatione Summi Pontificis, et de anniversariis Summi Pontificis et Episcopi diœcesani;

d) « Pro Sponsis »;

e) Pro gratiis Deo reddendis.

114 (122). Demum adhibetur color albus dominica II in Passione seu in ramis palmarum ad benedictionem et processionem ramorum, et feria V Hebdomadæ sanctæ, in Missa in Cena Domini.

C) *De colore rubro*

115 (123). Rubro colore utendum est in *Officio et Missa de Tempore* a Missa vigiliæ Pentecostes usque ad Nonam sabbati sequentis.

116 (124). Item adhibetur color ruber in *Officio et Missa de festis:*

a) mysteriorum et instrumentorum Passionis Domini;

b) Sanctorum Apostolorum et Evangelistarum, in eorum

die natalicio, excepto festo S. Ioannis (27 decembris);

c) Commemorationis S. Pauli Apostoli (30 iunii);

d) Commemorationis omnium Ss. Summorum Pontificum;

e) Sanctorum Martyrum, quorum colitur aut martyrium, aut inventio, aut translatio;

f) Sanctarum Reliquiarum.

117 (125). Colorem rubrum requirunt *Missæ votivæ :*

a) de Passione Domini;

b) de Quinque Vulneribus D. N. I. C.;

c) de Spiritu Sancto;

d) de Mysteriis et Sanctis, de quibus numero præcedenti;

e) pro eligendo Summo Pontifice.

D) *De colore viridi*

118 (127). Color viridis adhibetur in *Officio et Missa de Tempore :*

a) a die 14 ianuarii usque ad sabbatum ante Septuagesimam;

b) a feria II post dominicam I post Pentecosten, usque ad sabbatum ante Adventum.

Excipiuntur feriæ Quatuor Temporum mensis septembris et vigiliæ II et III classis, extra tempus paschale.

E) *De colore violaceo*

119 (128). Color violaceus adhibetur in *Officio et Missa de Tempore :*

a) a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive;

b) a dominica in Septuagesima usque ad Vigiliam paschalem exclusive, exceptis: benedictione et processione ramorum in dominica II in Passione; Missa in Cena Domini feria V Hebdomadæ sanctæ; Actione liturgica feria VI in Passione et Morte Domini usque ad Communionem exclusive;

c) in feriis Quatuor Temporum mensis septembris;

d) in vigiliis II et III classis, extra tempus paschale.

120 (129). *Missæ votivæ*, quæ colorem violaceum requirunt, sunt:

a) Pro Fidei propagatione;
b) Pro Ecclesiæ defensione;
c) Pro unitate Ecclesiæ;
d) Tempore belli;
e) Pro pace;
f) Pro vitanda mortalitate;
g) Pro remissione peccatorum;
h) Pro peregrinantibus et iter agentibus;
i) Pro navigantibus;
l) Pro infirmis;
m) Pro morientibus;
n) Ad postulandam gratiam bene moriendi;
o) Pro quacumque necessitate;
p) Pro pluvia;
q) Pro serenitate;
r) Pro conservandis fructibus terræ.

121 (130). Adhibetur color violaceus etiam:

a) ad processionem et Missam in Litaniis maioribus et minoribus;

b) ad benedictionem cinerum;

c) ad Communionem in Actione liturgica feriæ VI in Passione et Morte Domini;

d) in Missis de Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, quæ celebrantur tempore expositionis Ss.mi Sacramenti pro oratione Quadraginta Horarum.

122 (131). Paramenta *coloris rosacei* adhiberi possunt, dominica III in Adventu et dominica IV in Quadragesima, sed in Officio et Missa diei dominici tantum.

F) *De colore nigro*

123 (132). Nigro colore utendum est:

a) in Actione liturgica feriæ VI in Passione et Morte Domini, usque ad Communionem exclusive;

b) in Officiis ac Missis defunctorum, excepto casu de quo supra, n. 121 *d*.

Caput XIX
DE INDUMENTIS SERICIS

124 (133). In Missa sacerdos utitur manipulo, stola et casula seu planeta.

125 (135). Quod attinet ad usum cappæ sericæ seu pluvialis et dalmaticæ ac tunicellæ, serventur rubricæ suis locis in libris liturgicis positæ.

126 (136-137). Cum celebrans utitur cappa serica, numquam adhibet manipulum. Cum autem celebrans stat sine cappa serica, etiam ministri sacri stant sine dalmatica et tunicella.

127. In Missa solemni de feria, vigilia II et III classis, et Litaniis maioribus et minoribus, subdiaconus et diaconus albis vestiti ministrant, subdiaconus cum manipulo, diaconus cum manipulo et stola ab humero sinistro pendente sub dexterum.

PARS SECUNDA

RUBRICÆ GENERALES BREVIARII IUXTA RITUM ORDINIS PRÆDICATORUM

Caput I
NORMÆ GENERALES

128 (138). Horæ canonicæ Breviarii Ordinis Prædicatorum sunt: Matutinum, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ et Completorium.

Ex his Matutinum, Laudes et Vesperæ dicuntur *Horæ maiores ;* Prima, Tertia, Sexta, Nona et Completorium *Horæ minores* appellantur. Completorium vero a rubricis plerumque separatim consideratur. *Pretiosa* adnectitur Laudibus vel Primæ.

129 (139). Obligatio dicendi divinum Officium comprehendit omnes Horas canonicas cursus quotidiani.

130 (140). Officium divinum absolvitur aut *in choro*, aut *in communi*, aut *a solo*.

Dicitur autem *in choro*, si absolvitur a communitate per leges ecclesiasticas choro obligata; *in communi* vero, si idem fit a communitate, quæ choro non est adstricta.

131 (141). Normæ quæ sequuntur valent tam pro absolutione divini Officii *in choro* vel *in communi* (etsi fiat a duabus vel tribus personis tantum) quam pro absolutione *a solo*, nisi aliter expresse caveatur.

Caput II

DE TEMPORE DICENDI HORAS CANONICAS

132 (142). Horæ canonicæ Officii divini ordinantur, ex earum constitutione, ad sanctificationem diversarum horarum diei naturalis. Præstat, proinde, sive ad diem revera sanctificandum sive ad ipsas Horas cum fructu spirituali recitandas, ut in earum absolutione, tempus servetur quod proxime accedat ad tempus verum uniuscuiusque Horæ canonicæ.

133 (143). Attamen ad satisfaciendum obligationi divini Officii recitandi, sufficit ut omnes Horæ canonicæ intra spatium vigintiquatuor horarum diei dicantur.

134 (144). *Matutinum*, ex iusta causa, horis postmeridianis diei præcedentis anticipare licet, non tamen ante horam quartamdecimam.

135 (145). *Laudes*, cum sint precatio matutina, *in choro* et *in communi* primo mane dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta. *Pretiosa* dicitur post Laudes vel post Primam.

136 (146). *Vesperæ*, etiam tempore Quadragesimæ et Passionis, *in choro* et *in communi*, horis postmeridianis dicuntur: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

137 (147). *Completorium*, ab omnibus qui ad recitationem divini Officii obligantur, valde opportune dicitur tamquam ultima precatio in fine diei, etiam si, ob iustam causam, Matutinum diei sequentis iam anticipatum fuerit.

Hoc in casu, Pater noster, alias dicendum post versum Adiutórium nostrum, omittitur et eius loco, *in choro* et *in communi*, fit examen conscientiæ per rationabile tempus protractum; deinde dicuntur Confíteor et reliqua, more solito; quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo* facta.

Caput III

DE CALENDARIO ADHIBENDO IN RECITATIONE DIVINI OFFICII

138 (148). Officium divinum absolvendum est iuxta calendarium proprium.

139 (151). *Religiosi* utriusque sexus servant calendarium suæ domus (n. 49 *b*); aut, quando choro intersunt in alia domo Ordinis, calendarium illius domus in qua actu versantur.

140 (156). In domibus interprovincialibus, nationalibus et internationalibus Ordinis, pro absolutione divini Officii in choro vel in communi, adhibendum est calendarium proprium Ordinis universi, additis tantum festis propriæ ecclesiæ (n. 42) necnon festis de quibus n. 50. *

141 (157). Quivis tamen religiosus utriusque sexus, Officio divino quolibet titulo adstrictus, qui Officio participat *in choro* vel *in communi* iuxta aliud calendarium aut alium ritum quam suum, hoc modo suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit.

Item cum quis Vesperis votivis alicuius solemnitatis externæ participat, suo muneri, quoad hanc partem Officii, satisfacit, dummodo prædictæ Vesperæ integræ et servatis rubricis celebratæ fuerint.

Caput IV

DE ORDINANDO DIVINO OFFICIO

A) *De ordinando divino Officio in genere*

142 (158). De extensione divini Officii pro singulis diebus liturgicis, supra dictum est, numeris scilicet 13, 27, 34, 37.

143 (159). De qualitate divini Officii recitandi, et de ratione sumendi singulas Horarum partes, iuxta dierum liturgicorum diversitatem, infra nn. 149-161 dicetur.

144 (160). Ratio dicendi singulas Horas habetur in Ordinario divini Officii.

145 (161). *Matutinum cum*

* (154). In seminariis et collegiis clericorum diœcesanis, Religiosis commissis, pro absolutione divini Officii in communi, sive a clericis sive a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi dicunt, adhibendum est calendarium loci, additis festis ecclesiæ seminarii vel collegii (n. 45 codicis rubricarum), data insuper facultate adiungendi festa Tituli necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

(155). In seminariis et collegiis clericorum interdiœcesanis, regionalibus, nationalibus et internationalibus, pro absolutione divini Officii in communi, adhibendum est calendarium Ecclesiæ universæ, additis festis Patroni principalis nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis, oppidi seu civitatis, anniversario Dedicationis ecclesiæ cathedralis diœcesis et aliis festis actu feriatis, si quæ sint, necnon festis ecclesiæ seminarii vel collegii (n. 45 codicis rubricarum).

Si autem huiusmodi seminariorum regimen Religiosis commissum sit, calendarium Ecclesiæ universæ adhibendum est etiam a Religiosis qui una cum clericis Officium in communi absolvunt, data tamen facultate addendi festa tituli Ordinis seu Congregationis necnon sancti Fundatoris Religiosorum quibus regimen seminarii commissum est.

tribus Nocturnis, scilicet *novem psalmorum cum novem lectionibus* habent:

a) festa I et II classis extra tempus paschale;

b) feriæ Tridui sacri;

c) dies octavus Nativitatis Domini;

d) Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

146 (162). *Matutinum cum unico Nocturno novem psalmorum et trium lectionum* habent:

a) dominicæ omnes, præter dominicas temporis paschalis;

b) omnes feriæ, præter ferias Tridui sacri et ferias temporis paschalis;

c) omnes vigiliæ extra tempus paschale;

d) festa III classis extra tempus paschale;

e) dies infra octavam Nativitatis Domini;

f) Officium beatæ Mariæ in sabbato extra tempus paschale.

147 (163). *Matutinum cum unico Nocturno trium psalmorum et trium lectionum* dicitur per totum tempus paschale, sive fiat Officium de Tempore, sive de Sanctis.

148 (164). Festa quæ non habent I Vesperas et, ob quamlibet causam, iuxta rubricas eas acquirunt, omnia sumunt e I Vesperis respectivi Communis, iis tantum exceptis, quæ forte pro I Vesperis propria ponuntur.

B) *De Officio dominicali*

149 (165). *Officium dominicale* competit diebus dominicis, in quibus non occurrat festum quod ipsi dominicæ præferatur.

Habent tamen peculiarem ordinationem Officii:

a) dominicæ Paschatis, in albis et Pentecostes;

b) dominica infra octavam Nativitatis Domini.

150 (166). Officium dominicale ordinatur hoc modo:

a) *Ad I Vesperas:* omnia ut in Psalterio, sabbato præcedenti, et in Officio de Tempore.

b) *Completorium* subsequens: de sabbato.

c) *Ad Matutinum:* invitatorium et hymnus ut in Psalterio vel Officio de Tempore; antiphonæ, psalmi et versiculus unici Nocturni, ut in Psalterio dominicæ; benedictiones, extra tempus paschale: Ille nos, Divínum auxílium, Evangélica léctio, tempore vero paschali: tres ultimæ; tres lectiones cum suis responsoriis, extra tempus paschale: prima et secunda de Scriptura occurrenti (n. 203 A, *a*), tertia de homilia in Evangelium diei (n. 203 A, *b*), tempore vero paschali: tres lectiones de homilia in Evangelium diei (n. 203 B); hymnus Te Deum, qui omittitur in dominicis Adventus et a dominica in Septuagesima usque ad dominicam II in Passione.

d) *Ad Laudes:* antiphonæ, nisi propriæ assignentur, de Psalterio; psalmi e Psalterio dominicæ, e I vel II schemate, iuxta diversitatem temporum (n. 180); capitulum, hymnus et versiculus, ut in Psalterio vel Officio de Tempore; reliqua ut in Officio de Tempore.

e) *Ad Primam:* antiphona, nisi propria habeatur, et psalmi e Psalterio de dominica; capitulum et reliqua ut in Ordinario vel Psalterio.

Ad Pretiosa lectio de Evangelio.

f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam:* omnia ut in Psalterio et Officio de Tempore.

g) *Ad II Vesperas:* omnia ut in Psalterio et Officio de Tempore.

h) *Completorium:* de dominica.

C) *De Officio festivo*

151 (167). *Officium festivum* competit festis I classis; et ordinatur hoc modo:

a) *Ad I Vesperas:* omnia e Proprio vel Communi.

b) *Completorium* subsequens: de dominica.

c) *Ad Matutinum:* omnia e Proprio vel Communi; et dicitur hymnus Te Deum.

d) *Ad Laudes:* omnia e Proprio vel Communi, cum psalmis de dominica, primo loco.

e) *Ad Primam:* antiphona prima e Laudibus; psalmi 53, 118[1] et 118[2]; capitulum et reliqua, ut in Ordinario vel Psalterio. Ad *Pretiosa* lectio de Evangelio.

f) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam:* antiphonæ secunda, tertia et quinta e Laudibus, per ordinem; psalmi de dominica; reliqua e Proprio vel Communi.

g) *Ad II Vesperas:* omnia e Proprio vel Communi.

h) *Completorium:* de dominica.

D) *De Officio semifestivo*

152 (168). *Officium semifestivum* competit festis II classis; et ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum, Laudes et Vesperas:* omnia ut in Officio festivo.

b) *Ad Primam:* antiphona et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario. Ad *Pretiosa* lectio de Evangelio.

c) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam:* antiphonæ et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadæ die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

d) *Completorium:* de dominica.

E) *De Officio ordinario*

153 (169). *Officium ordinarium* competit festis III classis necnon Officio beatæ Mariæ in sabbato; et ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum:* invitatorium et hymnus e Proprio vel Communi; antiphonæ, psalmi et versiculus unici Nocturni e Psalterio de currenti hebdomadæ die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 161); lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, de Scriptura, ut n. 205 *a* indicatur; lectio tertia de festo (n. 205 *b*) cum suo responsorio; et dicitur hymnus Te Deum.

b) *Ad Laudes et ad Vesperas :* antiphonæ et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadæ die, nisi propria aut de Communi assignentur (n. 161); reliqua ut in Proprio vel Communi.

c) *Ad Primam :* antiphona et psalmi e Psalterio de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario. Ad *Pretiosa* lectio de Evangelio.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam :* antiphonæ et psalmi ut in Psalterio de currenti hebdomadæ die; reliqua de festo, ut in Proprio vel Communi.

e) *Completorium :* de currenti hebdomadæ die.

F) *De Officio feriali*

154 (170). *Officium feriale* competit omnibus feriis et vigiliis, exceptis:

a) Triduo sacro;

b) vigilia Nativitatis Domini.

155 (171). Officium feriale ordinatur hoc modo:

a) *Ad Matutinum :* invitatorium et hymnus e Psalterio vel Officio de Tempore, iuxta diversitatem temporum; antiphonæ, psalmi et versiculus unici Nocturni e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; *in feriis*, tres lectiones de Scriptura occurrenti vel de homilia in Evangelium diei cum suis responsoriis; *in vigiliis*, tres lectiones propriæ de homilia cum responsoriis de feria currenti.

Non dicitur hymnus Te Deum.

b) *Ad Laudes et ad Vesperas :* omnia ut in Psalterio, de currenti hebdomadæ die, et in Officio de Tempore, iuxta diversitatem temporum. In feriis sumitur oratio propria, si habeatur, secus de dominica præcedenti; in vigiliis Sanctorum dicitur oratio de dominica præcedenti, in ceteris vigiliis oratio propria.

c) *Ad Primam :* antiphona, iuxta diversitatem temporum, et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua, ut in Ordinario.

Ad *Pretiosa* lectio de Regula, nisi aliter notetur.

d) *Ad Tertiam, Sextam et Nonam :* antiphona, iuxta diversitatem temporum, et psalmi e Psalterio, de currenti hebdomadæ die; capitulum et reliqua ut in Psalterio vel Officio de Tempore. In feriis temporis quadragesimalis dicitur oratio Laudum, in ceteris feriis de dominica præcedenti; in vigiliis Sanctorum dicitur oratio de dominica præcedenti, in ceteris vigiliis oratio ut ad Laudes.

e) *Completorium :* de currenti hebdomadæ die.

G) *De quibusdam peculiaritatibus in ordinando Officio divino*

156 (172). *In dominicis Paschatis et Pentecostes*, et diebus infra earum octavas, necnon in dominica in albis, ad Horas minores, dicuntur

psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis, scilicet psalmi 53, 118[1] et 118[2].

157 (173). *In Triduo sacro, in vigilia Nativitatis Domini et in Officiis defunctorum*, Officium ordinatur iuxta speciales rubricas quæ, suis locis, in Breviario inveniuntur.

158 (174). *In festis Domini II classis*, quæ in dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ aut Quinquagesimæ occurrant, ad Horas minores sumuntur antiphonæ e Laudibus, ut in Officio festivo, retentis tamen, ad Primam, psalmis de dominica, scilicet psalmis 117, 118[1] et 118[2].

159 (175). *Diebus infra octavam Nativitatis Domini*, liberis a festis Sanctorum, Officium ordinatur hoc modo:

a) *Matutinum* habet novem psalmos sub unica antiphona et tres lectiones. Invitatorium, hymnus et psalmi dicuntur ut in festo Nativitatis; antiphona, versiculus et tres lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis, ut singulis diebus indicatur.

b) *Ad Laudes :* psalmi de dominica sub unica antiphona; capitulum et hymnus de dominica infra octavam; ℣. Benedictus, ant. Nésciens, oratio Concéde.

c) *Ad Horas minores* dicuntur antiphonæ et psalmi de currenti hebdomadæ die; reliqua ut in festo Nativitatis.

d) *Ad Vesperas*, excepto die 31 decembris, antiphonæ et psalmi sumuntur e II Vesperis diei Nativitatis; a capitulo autem fit de octava, ut in Breviario, nisi faciendum sit de sequenti dominica aut de sequenti festo I classis.

e) *Completorium :* ut in festo Nativitatis.

160 (176). *In dominica infra octavam Nativitatis Domini*, Officium ordinatur ut nunc in Breviario habetur, sed:

Matutinum habet novem psalmos cum novem antiphonis et versiculo e I Nocturno festi, et tres lectiones.

Ad lectiones vero Matutini quod attinet, hæc serventur:

a) si dominica die 26, 27 aut 28 decembris occurrit, lectiones prima et secunda, cum suis responsoriis, sumuntur e primo Nocturno diei Nativitatis, modo in n. 205 indicato; tertia vero de homilia in Evangelium diei (n. 203 A, *b*) cum responsorio nono;

b) si aliis diebus occurrit, lectiones prima et secunda dicuntur de Scriptura occurrenti, et tertia de homilia in Evangelium diei, ut in Officio dominicali (n. 203).

Ad Horas minores antiphonæ et psalmi de dominica.

161 (177). In festis III classis, tam universalibus quam particularibus, quæ ad certas Horas habent aut antiphonas proprias et psalmos de Communi, aut antiphonas proprias et psalmos specialiter assignatos, serventur rubricæ particulares quæ, in Breviario, suis locis occurrunt.

Caput V
DE DIVERSIS OFFICII PARTIBUS

A) *De initio et fine Horarum*

162 (178). Horæ canonicæ sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, inchoantur absolute hoc modo:

a) *Matutinum* a versiculo Dómine, lábia mea apéries;

b) *Laudes* a versiculo « sacerdotali », quem immediate sequitur versiculus Deus, in adiutórium.

c) *Horæ minores et Vesperæ*, a versiculo Deus, in adiutórium meum inténde;

d) *Completorium* a versu Iube, domne, benedicere.

163 (179). Item Horæ canonicæ sive *in choro*, sive *in communi*, sive *a solo*, absolvuntur hoc modo:

a) *Matutinum* (si a Laudibus separetur), Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona et Vesperæ: versiculo Fidélium ánimæ, nisi aliqua Hora vel Missa conventualis sequatur.

b) *Completorium*, benedictione Benedíctio Dei omnipoténtis.

164 (180). In Officiis Tridui sacri et defunctorum, Horæ inchoantur et absolvuntur ut in Breviario notatur.

B) *De conclusione Officii*

165 (181). Cursus quotidianus divini Officii concluditur post Completorium, antiphona Salve, Regina cum suo versiculo et oratione, antiphona de S. P. Dominico O lumen (vel de alio Sancto, pro more provinciæ vel conventus) cum suo versiculo et oratione, et Fidélium ánimæ.

C) *De invitatorio*

166 (182). Invitatorium cum psalmo 94, Venite, exsultémus, dicitur, modo in Ordinario descripto, in initio Matutini cuiusque Officii, exceptis Officiis Tridui sacri et defunctorum et festi Epiphaniæ Domini.

167 (183). In fine invitatorii, tempore paschali, additur Allelúia, nisi iam habeatur.

168 (184). Ratio sumendi invitatorium, iuxta diversitatem dierum liturgicorum, habetur supra, ubi agitur de ordinando Officio (nn. 149-161).

D) *De hymnis*

169 (185). Hymni dicuntur in qualibet Hora, loco in Ordinario indicato. Omittuntur vero in Laudibus Nativitatis Domini, in Matutino Epiphaniæ Domini, a Matutino feriæ V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

170 (186). Ad Horas minores et ad Completorium semper dicuntur hymni in Psalterio vel Ordinario pro iisdem Horis assignati, præterquam in festo Pentecostes et infra octavam, ad Tertiam.

171 (187). Hymni proprii, certis Horis assignati, numquam ad aliam Horam transferuntur.

172 (188). Quilibet hymnus

semper dicitur sub conclusione quæ ipsi in Breviario assignatur, exclusa quavis conclusionis mutatione ratione festi vel Temporis.

173 (189). Officium commemoratum numquam doxologiam propriam inducit in fine hymnorum Officii diei.

E) *De antiphonis*

174 (190). Antiphonæ dicuntur ad omnes Horas ante et post psalmos et cantica, una vel plures iuxta diversitatem Officii et Horarum, ut suis locis indicatur.

175 (191). Antiphonæ dicuntur semper integræ ante et post psalmos et cantica, ad omnes Horas, tam maiores quam minores. Antiphona Média vita, ad canticum Nunc dimíttis a sabbato ante dominicam III in Quadragesima ad sabbatum ante dominicam I in Passione exclusive dicenda, ante canticum dicitur sine versu et resumptione, post autem canticum integra, i. e. cum versu et resumptione.

Asteriscus, qui post prima antiphonæ verba notatur, indicat eousque intonationem esse producendam.

176 (192). Antiphonæ propriæ certis Horis assignatæ, si dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

177 (193). Antiphona ad Magníficat in I Vesperis dominicæ primæ mensis augusti, septembris, octobris et novembris ea est, quæ in Breviario ante dominicam primam cuiusque mensis invenitur, et respondet libro sacræ Scripturæ in dominica legendo.

178 (195). In fine antiphonarum, tempore paschali, additur Allelúia, nisi iam habeatur. A Septuagesima autem usque ad Sabbatum sanctum, Allelúia, si forte in antiphonis occurrat, omittitur.

F) *De psalmis et canticis*

179 (196). Psalmi, ad singulas Horas, sumuntur secundum normas de ordinando Officio iuxta diversitatem dierum liturgicorum (nn. 149-161).

180 (197). Ad Matutinum feriæ IV et, singulis hebdomadæ diebus, ad Laudes, in Psalterio, duplex ponitur psalmorum schema.

Alterum psalmorum schema adhibetur:

a) in dominicis temporis Septuagesimæ, Quadragesimæ et Passionis;

b) in omnibus feriis temporis Adventus, Septuagesimæ, Quadragesimæ et Passionis, Quatuor Temporum septembris, et in vigiliis II et III classis extra tempus paschale.

Reliquis diebus, sumitur primum psalmorum schema.

181 (198). Quando psalmus vel canticum incipit per eadem verba quibus constat antiphona, hæc verba omittuntur, et psalmus vel canticum inchoatur ab eo verbo ante quod desinit antiphona, dummodo post antiphonam non sit addendum Allelúia.

182 (199). Psalmus, qui in Hora cui specialiter assignatur dici nequit, non transfertur, sed omittitur.

183 (200). Cantica Benedictus, Magníficat et Nunc dimíttis dicuntur suo loco, ut in Ordinario indicatur.

184 (201). In fine psalmorum et canticorum, excepto cantico Benedícite, dicitur Glória Patri, quod omittitur per Triduum sacrum.

In Officio defunctorum tamen, loco versus Glória Patri dicitur versus Réquiem ætérnam, ut suo loco notatur.

In Commemoratione omnium Fidelium defunctorum ad Horas minores post singulos psalmos neque Glória Patri neque Réquiem ætérnam dicitur, sed tres psalmi sub sola antiphona Réquiem ætérnam dicuntur.

185 (202). Hoc signum ℣ indicat flexionem in priore parte versus psalmorum et canticorum, asteriscus autem metrum seu pausam in medio versus *in choro* et *in communi* servandam.

G) *De symbolo athanasiano*

186 (203). Symbolum athanasianum dicitur solummodo in festo Ss.mæ Trinitatis, ad Primam, expletis psalmis, ante antiphonæ repetitionem.

H) *De versiculis*

187 (204). Versiculi dicuntur ad Matutinum post repetitam antiphonam ultimi psalmi cuiusque Nocturni. Ad Laudes vero, ad Vesperas et ad Completorium versiculus dicitur post hymnum; ad Horas minores post responsorium. Insuper dicitur versiculus ante Laudes.

188 (205). In Triduo sacro versiculus dicitur in singulis Nocturnis tantum, in festo et per octavam Paschatis in Nocturno, ante Laudes, in memoriis Vesperarum et ad processionem post Completorium. In Officio defunctorum dicitur in singulis Nocturnis et ad reliquas Horas, ut suis locis notatur.

189 (206). Tempore paschali versiculis additur Allelúia, nisi iam habeatur. Excipiuntur versiculi qui in Ordinario sine Allelúia ponuntur.

190 (207). Ratio sumendi versiculos, iuxta diversitatem Officiorum et Horarum, habetur supra, ubi agitur de ordinando divino Officio (nn. 149-161).

I) *De benedictionibus ante lectiones*

191 (208). Benedictiones dicuntur, ad Matutinum, ante lectiones cuiusque Nocturni, prout in Ordinario indicatur. Omittuntur in Officiis Tridui sacri et defunctorum.

192 (209). In festis B. Mariæ Virginis et in Officio B. Mariæ in sabbato dicuntur benedictiones propriæ; item dicuntur benedictiones propriæ in III Nocturno Matutini Nativitatis Domini.

193 (210). Ad *Pretiosa* ante lectionem de Evangelio dicitur benedictio Divínum auxílium, ante lectionem de Regula benedictio Reguláribus disciplínis; ad Completorium ante lectionem brevem benedictio numquam mutatur.

L) *De lectionibus ad Matutinum*

I — De lectionibus in genere

194 (211). In fine cuiusque Nocturni dicuntur tres lectiones. Proinde Officia cum tribus Nocturnis habent novem lectiones; Officia vero cum uno Nocturno tres.

195 (212). Nomine « Scripturæ occurrentis » designantur lectiones sacræ Scripturæ primo vel unico Nocturno assignatæ et certo ordine per singulos dies in Officio de Tempore dispositæ.

196 (213). Lectiones de Scriptura occurrenti, si die assignato dici nequeunt, omittuntur, etsi agatur de initiis librorum.

197 (214). Officia commemorata non habent lectionem in Officio diei.

198 (215). Lectiones de Scriptura leguntur cum titulo libri sacri e quo sumuntur, nisi aliter expresse notetur; item lectiones de sermone vel tractatu vel documento pontificio, cum titulo et nomine auctoris; similiter præponitur nomen auctoris lectionibus de homilia in Evangelium diei.

199 (216). Lectiones terminantur semper per clausulam Tu autem, Dómine, miserére nostri, cui respondetur Deo grátias, nisi in Officiis Tridui sacri et defunctorum, et nisi ubi signatum est ut dicatur Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

II — De lectionibus Officii trium Nocturnorum

200 (217). Tres lectiones *primi Nocturni* sunt de Scriptura, et quidem:

a) *in Officio festivo et semifestivo*, aut propriæ aut specialiter assignatæ aut de Communi, præter quam in festo Omnium Sanctorum;

b) *in Officiis Tridui sacri*, propriæ.

Tres lectiones *primi Nocturni* sunt de sermone:

in festo Omnium Sanctorum.

201 (218). Tres lectiones *secundi Nocturni* sunt:

a) *in Officio festivo et semifestivo*, de vita Sancti, aut de sermone vel tractatu diei assignato, ut in Proprio vel in Communi.

Si vero una vel duæ tantum lectiones propriæ aut assignatæ habeantur, numerus ternarius completur lectionibus de Communi.

b) *in Officiis Tridui sacri*, de sermone diei assignato.

202 (219). Tres lectiones *tertii Nocturni* sunt:

a) *in Officio festivo et semifestivo*, de homilia in Evangelium diei, præter quam in festo Omnium Sanctorum;

b) in festo Omnium Sanctorum et in Officiis Tridui sacri, de sermone diei assignato.

III — De lectionibus Officii unius Nocturni

203 (220). *In Officio dominicali*, ordo trium lectionum hic est:

A. Extra tempus paschale

a) *Lectio prima et secunda* dicuntur de Scriptura occurrenti, ut in Proprio.

Prima autem lectio Sacræ Scripturæ ea est, quæ in Breviario nunc ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) *Lectio tertia* dicitur de homilia in Evangelium diei; et sumitur ea quæ nunc in Breviario ponitur tamquam prima tertii Nocturni.

B. Tempore paschali

tres lectiones de homilia in Evangelium diei.

204. *In Officio festivo et semifestivo tempore paschali* ordo trium lectionum hic est:

vel tres lectiones de homilia in Evangelium diei (in festis Paschatis, Ascensionis Domini, Pentecostes, Annuntiationis B. M.V., S. Ioseph Opificis, B. Mariæ V. Reginæ);

vel lectio prima et secunda de Scriptura, propriæ vel specialiter assignatæ; tertia de vita Sancti (in ceteris festis, sc. Apostolorum et Evangelistarum, et Sanctorum O. P.).

205 (221). *In Officio ordinario*, sive extra tempus paschale sive tempore paschali, ordo trium lectionum hic est:

a) *Lectio prima et secunda* dicuntur de Scriptura; et quidem ordinarie de Scriptura occurrenti, nisi propriæ vel specialiter assignatæ habeantur.

Prima autem lectio Sacræ Scripturæ ea est, quæ in Breviario ut prima notatur; altera vero efficitur ex secunda et tertia in unam coniunctis, omisso responsorio intermedio.

b) *Lectio tertia* dicitur de festo, scilicet propria; qua deficiente, dicuntur lectiones propriæ (olim secundi Nocturni) simul coniunctæ. Si vero festum careat lectionibus propriis, pro tertia lectione sumitur quarta de Communi.

206 (222). *In Officio feriali*, ordo trium lectionum hic est:

a) si agitur de Officio *vigiliæ* vel *feriæ cum homilia*, tres lectiones dicuntur de homilia in Evangelium diei;

b) si agitur de Officio *feriæ sine homilia*, leguntur tres lectiones de Scriptura occurrenti, prout in Breviario exhibentur.

IV — De quibusdam peculiaritatibus circa lectiones

207 (223). Lectiones Officii defunctorum modo proprio ordinantur, ut suis locis notatur.

208 (224). Per octavas Paschatis et Pentecostes dicuntur tres lectiones de homilia in Evangelium diei.

209 (225). Superveniente dominica in Septuagesima, lectiones dominicis et feriis post Epiphaniam assignatæ, quæ locum habere non possunt, eo anno penitus omittuntur. Idem valet de lectionibus dominicarum post Pentecosten, et de lectionibus feriarum, easdem dominicas sequentium, quæ impediuntur superveniente prima dominica mensis augusti; necnon de lectionibus mensium augusti, septembris, octobris et novembris quæ impediuntur superveniente prima dominica mensis sequentis, vel prima dominica Adventus.

M) *De responsoriis post lectiones Matutini*

I — De responsoriis in genere

210 (226). Post quamlibet lectionem dicitur responsorium.

211 (227). Responsoria adeo cum lectionibus connectuntur, ut eadem ratione ac lectiones sumenda sint, nisi aliter expresse caveatur.

212 (228). Responsoria quæ suo die dici nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

213 (229). Tempore paschali, in fine cuiuslibet responsorii, ante versum, additur Allelúia, nisi iam habeatur; minime vero additur Allelúia post versum.

214 (230). In fine tertii responsorii cuiusque Nocturni, post repetitam ultimam partem responsorii, dicitur Glória Patri, et deinde iterum resumitur eadem ultima pars responsorii, nisi suo loco alter notetur. Tempore paschali post Glória Patri statim resumitur Allelúia.

In dominicis diebus quando non dicitur Te Deum, tertium responsorium usque ad versum exclusive repetitur.

In Officiis temporis Passionis, in tertio responsorio omittitur Glória Patri, et eius loco repetitur responsorium usque ad versum exclusive.

215 (231). Peculiaritates in dicendis responsoriis forte occurrentes, suis locis indicantur.

II — De responsoriis in Officiis trium Nocturnorum

216 (232). Responsoria *trium Nocturnorum* hac ratione ordinantur:

a) *in Officio festivo et semifestivo*, dicuntur propria aut de Communi;

b) *in Officiis Tridui sacri*, dicuntur propria.

III — De responsoriis in Officiis unius Nocturni

217 (233). *In Officio dominicali*, responsoria hoc modo ordinantur:

A. Extra tempus paschale

a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;

b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem olim inveniebatur. In fine huius responsorii omittitur Glória Patri et repetitio ultimæ partis responsorii;

c) tertium, est responsorium quod post tertiam lectionem de homilia exstabat.

B. Tempore paschali dicuntur tria responsoria post lectiones posita.

218 (234). *In Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura occurrenti, responsoria, nisi habeantur propria, hoc modo ordinantur:

a) primum, est responsorium quod ponitur post primam lectionem;

b) secundum, est responsorium quod post tertiam lectionem invenitur, omisso Glória Patri;

c) tertium, est responsorium nonum respectivi Communis vel proprium.

219 (235). *In Officio ordinario* cum lectionibus de Scriptura propriis vel specialiter assignatis, responsoria dicuntur propria aut de Communi, eodem ordine ac supra (n. 218).

220 (236). *In Officio feriali*, sive fiat de feria sive de vigilia, dicuntur responsoria de feria currenti, prout habentur in Officio de Tempore.

N) *De hymno* Te Deum

221 (237). Hymnus Te Deum dicitur ad Matutinum, post ultimum responsorium:

a) in dominica in albis, in dominica Pentecostes, et in Matutino dominicæ Resurrectionis, quod recitatur ab iis qui Vigiliæ paschali non interfuerunt;

b) in dominicis II classis, exceptis dominicis in Septuagesima, in Sexagesima et in Quinquagesima;

c) in omnibus festis;

d) per octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes;

e) in Officio beatæ Mariæ in sabbato.

222 (238). Omittitur vero hymnus Te Deum:

a) in Officiis de Tempore a dominica I Adventus usque ad vigiliam Nativitatis Domini inclusive; et a dominica in Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum inclusive;

b) in vigiliis;

c) in omnibus feriis;

d) in Officio defunctorum.

O) *De capitulis, et de lectione brevi ad* Pretiosa

223 (240). Capitulum dicitur ad omnes Horas, Matutino excepto, expletis psalmis cum suis antiphonis. Omittitur in Laudibus Nativitatis Domini, et a Laudibus feriæ V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

224 (241). Ad Primam in Officio feriali dicitur capitulum Pacem et veritátem, in ceteris Officiis capitulum Regi sæculórum (cf. n. 232).

Ad Completorium semper dicitur capitulum Tu in nobis es.

Ad alias Horas sumitur capitulum e Psalterio vel Officio de Tempore, e Proprio vel Communi, iuxta Officiorum diversitatem (nn. 149-161).

225 (242). Ad *Pretiosa* legendum est de Evangelio: in omnibus dominicis et festis, infra octavas et in Officio B. Mariæ in sabbato; pariter

in vigilia Nativitatis Domini, feria IV cinerum, feria V in Cena Domini et in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum. Ceteris diebus legendum est de Regula.

P) *De responsoriis ad Vesperas et Horas minores*

226. In primis Vesperis cuiusvis festi post capitulum dicitur responsorium; pariter in primis Vesperis dominicæ, quando historia dominicalis in sua prima dominica inchoatur.

227 (243). Responsoria dicuntur ad Horas minores et ad Completorium post capitulum; omittuntur vero a feria V in Cena Domini usque ad Nonam sabbati in albis, et in Officio defunctorum.

Omittitur insuper responsorium ad Primam in Officio sive dominicali sive feriali temporis Passionis.

228 (244). Ad Primam, in responsorio Iesu Christe, Fili Dei vivi, versus Qui sedes mutatur iis in Officiis et anni temporibus pro quibus proprius assignatur; numquam tamen dicitur versus proprius festi commemorati.

Tempore Quadragesimæ in Officio dominicali atque in Officio festivo et semifestivo ad Completorium loco responsorii In manus dicitur responsorium In pace.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam responsoria brevia sumuntur ex eodem loco ac capitula.

229. Tempore natalicio et tempore paschali, necnon in festis I classis extra tempus Septuagesimæ, Quadragesimæ et Passionis, responsoria ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam et Completorium dicuntur cum duplici Allelúia.

Q) *De orationibus*

230 (246). Oratio dicitur in fine cuiuslibet Horæ, loco in Ordinario indicato. Excipitur Matutinum, quando una cum Laudibus recitatur.

231 (247). Orationi præmittitur, in recitatione *in choro* vel *in communi*, Dóminus vobíscum, cui respondetur Et cum spíritu tuo. In recitatione *a solo* facta, et ab iis qui in ordine diaconatus non sunt constituti, dicitur, nisi iam præcedat, Dómine, exáudi oratiónem meam et respondetur Et clamor meus ad te véniat. Deinde dicitur Orémus, et subiungitur oratio.

Et sic in recitatione *a solo*, loco Dóminus vobíscum, semper dicitur Dómine, exáudi oratiónem meam, ut supra.

232 (248). Ad Primam, si dictum est capitulum Pacem, dicitur oratio Dómine Deus omnípotens; si dictum est capitulum Regi sæculórum et ultimis quatuor diebus hebdomadæ Paschæ, dicitur oratio In hac hora; ad Completorium dicitur oratio Vísita, quæsumus. Aliæ autem orationes dicuntur in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum ad Primam, et feria V in Cena

Domini et deinceps usque ad feriam III post Pascha inclusive, ad Primam et Completorium.

Ad alias Horas sumitur oratio quæ ponitur ad Laudes; in feriis autem Quatuor Temporum Adventus et mensis septembris ad Tertiam, Sextam et Nonam dicitur oratio dominicæ præcedentis, et in feriis Quadragesimæ et Passionis ad Vesperas exstat oratio propria.

Ad primas Vesperas festorum quibus præmittitur vigilia, dicitur oratio propria vigiliæ. Si autem vigilia penitus omittatur aut festum ad alium diem transferatur, ad primas Vesperas dicitur oratio Laudum.

233 (249). Oratio Officii diei semper conclusione longiore terminatur. Si una memoria fuerit facienda, oratio memoriæ terminatur sicut prima. Si duæ memoriæ fuerint faciendæ, ultima oratio terminatur sicut prima, intermedia vero, pro casuum varietate, breviore clausula Per Christum vel Per eúndem Christum vel Qui tecum vivit et regnat vel Qui vivis et regnas terminatur. Ante quamlibet tamen orationem dicitur Orémus.

R) *De memoriis*

234 (250). Memoriæ fiunt iuxta normas in rubricis generalibus, nn. 99-106, datas.

235 (251). Memoriæ ponuntur post orationem Officii diei; et fiunt per antiphonam quæ ponitur respective ad Benedictus vel ad Magníficat in Officio commemorato, per versiculum qui eam præcedit et per orationem.

236 (252). Ad faciendam memoriam Officii dominicæ, octavæ Nativitatis, feriæ et vigiliæ Ascensionis, antiphona, versiculus et oratio sumuntur ex Officio de Tempore; ad faciendam vero memoriam Officii Sanctorum, antiphona, versiculus et oratio sumuntur e Proprio vel Communi.

237 (253). In faciendis memoriis, hæc animadvertantur:

a) in eadem Hora numquam bis repetatur eadem antiphona;

b) in eadem memoria antiphona et versiculus numquam constent iisdem verbis.

238 (258). Si eadem sit oratio festi de quo fit Officium et eius de quo fit memoria, oratio pro memoria mutatur in alteram de eodem vel simili Communi.

239 (259). Antiphona et versiculus propria, si in una Hora pro memoria adhiberi nequeunt, non transferuntur, sed omittuntur.

S) *De precibus*

240 (260). Preces dicuntur in Officio feriali extra tempus natalicium et paschale, ad Laudes, Tertiam, Sextam, Nonam et Vesperas.

DE ANNO ET EIUS PARTIBUS

Annus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum: dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas; tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, bissextus vel bissextilis dicitur.

De anni correctione, eiusque necessitate, ac Calendario Gregoriano

Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas; et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem iuncta constituerint dies decem; qui causam dederunt ut æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII non solum æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua iam a Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 præcedendo recesserat, quod a Concilio ad xii Calendas aprilis fuerat constitutum, et xiv lunam paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit et rationem, qua caveretur ut in posterum et æquinoctium vernum et xiv luna paschalis a propriis sedibus numquam removerentur.

Ut enim æquinoctium vernum ad xii Calendas aprilis restitueretur, statuit ut dicti decem dies in mense octobri ipsius anni 1582 eximerentur; ut post quartam diem octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a xii Calendas aprilis æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, bissextum quarto quoque anno (ut mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis: qui quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps

consequentur, centesimi, non omnes bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900 bissextiles non sint; anno vero 2000 more consueto dies bissextus intercaletur, februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Quatuor Tempora

Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta feria ac sabbato post tertiam dominicam Adventus, post primam dominicam Quadragesimæ, post dominicam Pentecostes, post dominicam tertiam septembris.

De nuptiarum celebratione

Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. — 2. Solemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a dominica I Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. — 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam prædictis temporibus, eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis, ut a nimia pompa abstineant.

De cyclo decennovennali aurei numeri

Cyclus decennovennalis aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577 numerus cycli decennovennalis, qui dicitur aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2; et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius, usque ad 19, qui aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596 aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, etc.

Igitur ut aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella aureorum numerorum, cuius usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim aureus numerus cuiuslibet anni post annum 1582 reperietur hoc modo:

6	7	8	9	10	11	12	13	14	
15	16	17	18	19	1	2	3	4	5

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cuius aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ quotiescumque eam percurreris. Nam numerus in

quem annus propositus cadit, dabit aureum numerum quæsitum.

Modus brevis cognoscendi aureum numerum cuiusque anni

Numero anni de quo quæris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia: 1833 adde 1: summam inde conflatam divide per 19; quod superest, erit aureus numerus ipsius anni; si nihil superest, erit aureus numerus 19.

De epactis et noviluniis

Epacta nihil aliud est quam numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365 annum communem lunarem dierum 354 superat: ita ut epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus solaris communis lunarem annum communem excedat; atque adeo sequenti anno novilunia contingant 11 diebus prius quam anno primo. Ex quo fit epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni efficiunt 22; ac proinde, finito hoc anno, novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno: epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adiciantur, efficietur numerus 33; a quo si reiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abiectis tamen 30, quando reici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam epactam aureo numero 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12, ut abiectis 30, ex composito numero 41, habeatur rursus epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima lunatio embolismica, currente aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex lunationes embolismicæ, non redirent novilunia post 19 annos solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Calendarii romani. Sunt autem novemdecim epactæ, quot et aurei numeri, respondebantque ipsis aureis numeris ante Calendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella epactarum respondentium aureis numeris ante Calendarii correctionem

Aur. num.	1	2	3	4	5
Epactæ	xi	xxii	iii	xiv	xxv

6	7	8	9	10	11	12
vi	xvii	xxviii	ix	xx	i	xii

13	14	15	16	17	18	19
xxiii	iv	xv	xxvi	vii	xviii	xxix

Quia vero cyclus decennovennalis aurei numeri imperfectus est, cum novilunia post 19 annos solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 epactarum. Quam ob rem ita emendatus est, ut in posterum loco aurei numeri et dictarum 19 epactarum, utamur 30 numeris epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *, propterea quod nulla epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 epactis respondent decem et novem aureis numeris variæ decem et novem epactæ, prout solaris anni ac lunaris æquatio exposcit; quæ quidem decem et novem epactæ progrediuntur, ut olim per eundem numerum 11, addunturque semper 12 illi epactæ, quæ respondet aureo numero 19, ut habeatur sequens epacta respondens aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet aureos numeros, et epactas inter se respondentes ab anno correctionis 1582, post detractionem decem dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares epactæ mutentur in martio, reipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum aureo numero, in cuius locum hæ nostræ epactæ succedunt.

Tabella epactarum respondentium aureis numeris ab Idibus octobris anni correctionis 1582 (detractis prius decem diebus) inclusive, usque ad annum 1700 exclusive

Aur. num.	6	7	8	9	10
Epactæ	xxvi	vii	xviii	xxix	x

11	12	13	14	15	16	17
xxi	ii	xiii	xxiv	v	xvi	xxvii

18	19	1	2	3	4	5
viii	xix	i	xii	xxiii	iv	xv

Itaque si epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quærendus est aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur epacta anni propositi, vel certe hoc signum *. Ubi ergo illa epacta vel signum * in Calendario inventum fuerit, eo die novilunium fiet. Invenietur autem aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum aureum numerum illius tabellæ illi anno, a quo usus tabellæ incipit, et secundum aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur epacta sine aureo numero, si prima epacta tabellæ tribuatur illi anno, a quo eius usus incipit, et secunda epacta sequenti anno, etc.

Exemplum: Anno correctionis 1582 aureus numerus est 6, nempe primus primæ tabellæ, cuius usus incipit ab Idibus octobris dicti anni 1582, detractis prius decem diebus. Erit ergo tunc epacta xxvi, quæ sub aureo numero 6 collocatur, fietque novilunium die 27 oct. et 26 nov. et 25 dec. Item anno 1583 iam correcto aureus numerus est 7, cui in eadem tabella supposita est epacta vii, quæ toto eo anno in Calendario novilunia indicabit: ut in ianuario die 24, in februario die 22, in martio die 24, etc.

Alia tabella epactarum respondentium aureis numeris ab anno 1700 inclusive, usque ad annum 1900 exclusive

Aur. num.	10	11	12	13	14	15
Epactæ	ix	xx	i	xii	xxiii	iv

16	17	18	19	1	2	3
xv	xxvi	vii	xviii	*	xi	xxii

4	5	6	7	8	9
iii	xiv	xxv	vi	xvii	xxviii

Alia tabella epactarum respondentium aureis numeris ab anno 1900 inclusive, usque ad annum 2200 exclusive

Aur. num.	1	2	3	4	5
Epactæ	xxix	x	xxi	ii	xiii

6	7	8	9	10	11	12
xxiv	v	xvi	xxvii	viii	xix	*

13	14	15	16	17	18	19
xi	xxii	iii	xiv	25	vi	xvii

Ad tollendam dubitationem de usu huius novæ tabellæ epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1901 tribuatur epacta x, quæ sub aureo numero 2 collocatur; fietque novilunium 21 ianuarii, 19 februarii, 21 martii. Item anno 1902 tribuatur epacta xxi sub aureo numero 3 collocata, quæ toto eo anno in Calendario novilunia monstrabit: ut in ianuario die 10, in febr. die 8, in martio die 10. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium tabellæ quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1911, epacta non signatur numero, sed hoc signo *, quod collocatur sub aureo numero 12, et in Calendario toto eo anno novilunia indicabit, nimirum in ianuario die 1 et 31, in martio (nam in febr. nullum tunc novilunium, cum in eo signum hoc * non reperiatur) die 1 et 31, in aprili die 29, etc.

Postremo: Anno 1916 aureus numerus est 17, sub quo in ordine epactarum quartæ tabellæ, quæ proposito anno congruit, reperitur epacta 25 non antiquo numero, ut aliæ epactæ, sed vulgari numero scripta. Ubicumque ergo anno 1916 in Calendario epacta 25 vulgari numero scripta reperitur, ibi novilunium fit, ut in ianuario die 6, in februario die 4, in martio die 6, in aprili die 4, etc. Quotiescumque enim epacta 25 respondet aureis numeris maioribus quam 11, quales sunt posteriores octo a 12 usque ad 19, sumenda est in Calendario epacta 25 vulgari numero scripta; quando vero eadem epacta respondet minoribus numeris quam 12, quales sunt

priores undecim ab 1 ad 11 inclusive, accipienda est in Calendario epacta xxv antiquo numero scripta: atque hoc solum contingit in epacta 25, in aliis numquam; quod ideo fit, ut anni lunares solaribus annis perfectius respondeant. Ob quam etiam causam in sex locis Calendarii duæ epactæ, scilicet xxv et xxiv, sunt adscriptæ.

Tabella litterarum dominicalium ab Idibus octobris anni correctionis 1582 (detractis prius decem diebus), usque ad annum 1700 exclusive

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus huius tabellæ hic est: Anno correctionis 1582 post Idus octobris (detractis prius decem diebus) tribuatur littera c primæ cellulæ, et sequenti anno 1583 littera b secundæ, et anno 1584 dentur litteræ A g tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700, dabit litteram dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, bissextilis: et tunc superior littera dominicam diem ostendet in Calendario a principio anni usque ad festum sancti Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

Exempli gratia: Sit invenienda littera dominicalis anni 1587. Numera ab anno 1582, quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorem et inferiorem, pro una cellula), cadetque annus 1587 in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera dominicalis anni 1616. Numera ab anno 1582, ut dictum est, usque ad annum 1616, redeundo ad principium tabellæ, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c dominicam diem indicabit a principio anni illius usque ad festum S. Matthiæ, inferior autem b, in reliqua parte anni.

Alia tabella litterarum dominicalium ab anno 1901 inclusive, usque ad annum 2100 exclusive

f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A	g f	e	d
c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d	c	b	A g

Usus autem huius tabellæ hic est: Anno 1901 tribuatur littera f primæ cellulæ, et sequenti anno 1902 littera e, et sic deinceps ceteris annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ quotiescumque eam percurreris; nam cellula, in quam annus propositus cadit, dabit litteram dominicalem propositi anni: quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, bissextilis: et tunc superior littera dominicam diem ostendet in Calendario a principio anni usque ad festum S. Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

De indictione

Indictio est revolutio 15 annorum, ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus huius cycli a ianuario in Bullis pontificiis. Et quoniam indictionum frequens usus est in diplomatibus et scripturis publicis, facile annum indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cuius usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella indictionis ab anno correctionis 1582

10	11	12	13		14	15	1
2	3	4	5	6	7	8	9

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in indictionem quæ quæritur.

De festis mobilibus

Quoniam ex decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua festa mobilia pendent, celebrari debet die dominico qui proxime succedit xiv lunæ primi mensis (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cuius xiv luna vel cadit in diem verni æquinoctii, quod die 21 mensis martii contingit vel propius ipsum sequitur), efficitur, ut si epacta cuiusvis anni inveniatur, et ab ea in Calendario notata inter diem octavum martii inclusive, et quintum aprilis inclusive (huius enim epactæ xiv luna cadit vel in diem æquinoctii verni, id est, in diem 21 martii, vel eum propius sequitur), numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim; proximus dies dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Iudæis conveniamus, si forte dies xiv lunæ caderet in diem dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum: Anno 1605, epacta est x et littera dominicalis b. Et quoniam invenimus epactam x inter diem 8 martii et 5 aprilis inclusive positam esse e regione diei

21 martii, a quo inclusive, si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv lunam die 3 aprilis, quæ est dominica, cum e regione illius sit littera dominicalis b. Ne igitur cum Iudæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv lunæ, sumenda est littera dominicalis b, quæ sequitur xiv lunam, nempe ea quæ e regione diei 10 aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 aprilis. Item anno 1604, epacta est xxix, et duplex littera dominicalis d c, cum annus ille sit bissextilis. Si igitur ab epacta xxix, quæ e regione diei 1 aprilis ponitur inter diem 8 martii et 5 aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet xiv luna in diem 14 aprilis. Et quia tunc currit posterior littera dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 aprilis, id est, post xiv lunam collocata est e regione diei 18 aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 aprilis.

Ceterum ut facilius omnia festa mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita festa mobilia reperientur: In latere sinistro tabulæ accipiatur epacta currens, et in linea litterarum dominicalium sumatur littera dominicalis currens, infra tamen epactam currentem, ita ut si littera dominicalis currens reperiatur e regione epactæ currentis, assumenda sit eadem littera dominicalis proxime inferior. Nam e regione huius litteræ dominicalis omnia festa mobilia continentur.

Exemplum: Anno 1606, epacta est xxi et littera dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera dominicalis A, quæ primo infra epactam xxi occurrit, reperietur e regione huius litteræ dominica Septuag. die 22 ian., dies cinerum 8 febr., Pascha 26 martii, Ascensio Domini 4 maii, Pentecostes 14 maii, et festum Corporis Christi 25 maii. Dominicæ autem inter Pentec. et Advent. eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 dec.; et sic de ceteris. Item anno 1605, epacta est x, et littera dominicalis b, quæ in tabula reperitur e regione epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxime infra epactam invenitur, e regione cuius invenies Septuagesimam die 6 febr., diem cinerum 23 februarii, Pascha 10 aprilis, etc.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera dominicali e regione epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra epactam, ut diximus; ita quoque in anno bissextili, si alterutra duarum litterarum dominicalium tunc currentium e regione epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero paschali nova ita eadem festa mobilia reperientur: In cellula litteræ dominicalis currentis quæratur epacta currens. Nam e directo omnia festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609 in cellula litteræ dominicalis d, tunc currentis, e regione epactæ xxiv, quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 febr., dies cinerum 4 martii, Pascha 19 aprilis, etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula paschali utamur, invenienda sunt omnia festa mobilia in annis bissextilibus per litteram dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum sancti Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc aut illo festo indagando accipienda sit; ita tamen, ut Septuagesimæ et diei cinerum inventæ in ianuario aut februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera dominicalis, quæ in Calendario posteriorem semper sequitur; post festum autem S. Matthiæ in februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24 februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, etc. Quod si dies cinerum cadat in martium, nihil addendum est, quia tunc et littera posterior currit, et dies mensis propriis numeris respondent, cum dies intercalaris februario sit additus. Immo nisi per posteriorem litteram investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno bissextili, currente epacta xxiv vel xxv et littera dominicali d c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088 et 3784. Exempli gratia: Anno 2096 bissextili epacta erit v et litteræ dominicales A g. Si igitur per posteriorem litteram, quæ est g, festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 februarii et dies cinerum 28 febr. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12 febr., quæ est dominica, et dies cinerum in diem 29 febr., quæ est feria iv; Pascha autem et reliqua festa in eos dies cadent qui in tabula expressi sunt. Item anno 4088 bissextili epacta erit xxiv, et litteræ dominicales d c. Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantur festa mobilia, invenietur Septuag. die 21 februarii, et si addatur unus dies, cadet in diem 22 febr., quæ est dominica. Dies autem cinerum cadet in diem 10 martii: quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 bissextili, epacta erit xxv, et litteræ dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem c reperietur Septuages. die 21 februarii, hoc est, addita 1 die 22. Quod si per priorem litteram d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuages. die 15 febr. quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c Pascha offerat die

25 aprilis, ac proinde Septuag. die 22 februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschæ dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula paschali antiqua reformata, epactis ad sinistram præposuimus aureos numeros eodem ordine quo ante emendationem Calendarii collocari solebant, ut ex iis festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha ceteraque festa mobilia a Concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex aureis numeris ita distributis festa mobilia eruuntur, quo ex epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando festa hæc celebrata fuerint anno 1450. Quoniam eo anno aureus numerus fuit 7, et littera dominicalis d, si aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur, et prima littera d, infra eum occurrens, reperietur e regione huius litteræ d, Septuagesima die 1 februarii, dies cinerum 18 februarii, Pascha die 5 aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die dominico, qui propinquior est festo S. Andreæ Apost., nempe a die 27 nov. inclusive usque ad diem 3 dec. inclusive; ita ut littera dominicalis currens, quæ reperitur in Calendario a die 27 nov. usque ad diem 3 dec., indicet dominicam Adventus. Ut verbi gratia, si littera dominicalis est g, dominica Adventus cadet in diem 2 decembris, quia ibi est littera g in Calendario, etc.

Ad finem tandem tabellarum paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia festa mobilia inveniuntur; quæ quidem tabula ex tabulis paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis.

Tabula paschalis antiqua reformata

Aureus num.	Cyclus epact.		Litteræ dom.	Septuagesima	Dies cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Dom. post Pent.	Dom. I Advent.
16		xxiii		ian.	feb.	mar.	apr.	maii	maii		
5		xxii	d	18	4	22	30	10	21	28	29 nov.
		xxi	e	19	5	23	1 maii	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1 dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviii	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvii	b	23	9	27	5	15	26	27	27 nov.
		xvi	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiii	f	27	13	31	9	19	30	27	1 dec.
15		xii	g	28	14	1 apr.	10	20	31	27	2
4		xi	A	29	15	2	11	21	1 iun.	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viii	d	1 feb.	18	5	14	24	4	26	29
		vii	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vi	f	3	20	7	16	26	6	26	1 dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iii	b	6	23	10	19	29	9	25	27 nov.
		ii	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		i	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1 iun.	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1 dec.
11		xxviii	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvii	A	12	1 mar.	16	25	4	15	25	3
19	25	xxvi	b	13	2	17	26	5	16	24	27 nov.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1 dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 iun.	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

Tabula paschalis nova reformata

Litteræ dominical.	Cyclus epactarum	Septuages.	Dies cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Dom. p. Pent.	Domin. I Adventus
D	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	18 ian. 25 ian. 1 febr. 8 febr. 15 febr.	4 febr. 11 febr. 18 febr. 25 febr. 4 mart.	22 mart. 29 mart. 5 apr. 12 apr. 19 apr.	30 apr. 7 maii 14 maii 21 maii 28 maii	10 maii 17 maii 24 maii 31 maii 7 iunii	21 maii 28 maii 4 iunii 11 iunii 18 iunii	28 27 26 25 24	29 nov. 29 nov. 29 nov. 29 nov. 29 nov.
E	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	19 ian. 26 ian. 2 febr. 9 febr. 16 febr.	5 febr. 12 febr. 19 febr. 26 febr. 5 mart.	23 mart. 30 mart. 6 apr. 13 apr. 20 apr.	1 maii 8 maii 15 maii 22 maii 29 maii	11 maii 18 maii 25 maii 1 iunii 8 iunii	22 maii 29 maii 5 iunii 12 iunii 19 iunii	28 27 26 25 24	30 nov. 30 nov. 30 nov. 30 nov. 30 nov.
F	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	20 ian. 27 ian. 3 febr. 10 febr. 17 febr.	6 febr. 13 febr. 20 febr. 27 febr. 6 mart.	24 mart. 31 mart. 7 apr. 14 apr. 21 apr.	2 maii 9 maii 16 maii 23 maii 30 maii	12 maii 19 maii 26 maii 2 iunii 9 iunii	23 maii 30 maii 6 iunii 13 iunii 20 iunii	28 27 26 25 24	1 dec. 1 dec. 1 dec. 1 dec. 1 dec.
G	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	21 ian. 28 ian. 4 febr. 11 febr. 18 febr.	7 febr. 14 febr. 21 febr. 28 febr. 7 mart.	25 mart. 1 apr. 8 apr. 15 apr. 22 apr.	3 maii 10 maii 17 maii 24 maii 31 maii	13 maii 20 maii 27 maii 3 iunii 10 iunii	24 maii 31 maii 7 iunii 14 iunii 21 iunii	28 27 26 25 24	2 dec. 2 dec. 2 dec. 2 dec. 2 dec.
A	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	22 ian. 29 ian. 5 febr. 12 febr. 19 febr.	8 febr. 15 febr. 22 febr. 1 mart. 8 mart.	26 mart. 2 apr. 9 apr. 16 apr. 23 apr.	4 maii 11 maii 18 maii 25 maii 1 iunii	14 maii 21 maii 28 maii 4 iunii 11 iunii	25 maii 1 iunii 8 iunii 15 iunii 22 iunii	28 27 26 25 24	3 dec. 3 dec. 3 dec. 3 dec. 3 dec.
B	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	23 ian. 30 ian. 6 febr. 13 febr. 20 febr.	9 febr. 16 febr. 23 febr. 2 mart. 9 mart.	27 mart. 3 apr. 10 apr. 17 apr. 24 apr.	5 maii 12 maii 19 maii 26 maii 2 iunii	15 maii 22 maii 29 maii 5 iunii 12 iunii	26 maii 2 iunii 9 iunii 16 iunii 23 iunii	27 26 25 24 23	27 nov. 27 nov. 27 nov. 27 nov. 27 nov.
C	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 xxv 25 24	24 ian. 31 ian. 7 febr. 14 febr. 21 febr.	10 febr. 17 febr. 24 febr. 3 mart. 10 mart.	28 mart. 4 apr. 11 apr. 18 apr. 25 apr.	6 maii 13 maii 20 maii 27 maii 3 iunii	16 maii 23 maii 30 maii 6 iunii 13 iunii	27 maii 3 iunii 10 iunii 17 iunii 24 iunii	27 26 25 24 23	28 nov. 28 nov. 28 nov. 28 nov. 28 nov.

Tabula temporaria

Anno Dom.	Litt. dom.	Aur. n.	Epactæ	Septuagesima	Dies cinerum	Pascha
1962	g	6	xxiv	18 febr.	7 mart.	22 apr.
1963	f	7	v	10 febr.	27 febr.	14 apr.
1964	e d	8	xvi	26 ian.	12 febr.	29 mart.
1965	c	9	xxvii	14 febr.	3 mart.	18 apr.
1966	b	10	viii	6 febr.	23 febr.	10 apr.
1967	A	11	xix	22 ian.	8 febr.	26 mart.
1968	g f	12	*	11 febr.	28 febr.	14 apr.
1969	e	13	xi	2 febr.	19 febr.	6 apr.
1970	d	14	xxii	25 ian.	11 febr.	29 mart.
1971	c	15	iii	7 febr.	24 febr.	11 apr.
1972	b A	16	xiv	30 ian.	16 febr.	2 apr.
1973	g	17	25	18 febr.	7 mart.	22 apr.
1974	f	18	vi	10 febr.	27 febr.	14 apr.
1975	e	19	xvii	26 ian.	12 febr.	30 mart.
1976	d c	1	xxix	15 febr.	3 mart.	18 apr.
1977	b	2	x	6 febr.	23 febr.	10 apr.
1978	A	3	xxi	22 ian.	8 febr.	26 mart.
1979	g	4	ii	11 febr.	28 febr.	15 apr.
1980	f e	5	xiii	3 febr.	20 febr.	6 apr.
1981	d	6	xxiv	15 febr.	4 mart.	19 apr.
1982	c	7	v	7 febr.	24 febr.	11 apr.
1983	b	8	xvi	30 ian.	16 febr.	3 apr.
1984	A g	9	xxvii	19 febr.	7 mart.	22 apr.
1985	f	10	viii	3 febr.	20 febr.	7 apr.
1986	e	11	xix	26 ian.	12 febr.	30 mart.
1987	d	12	*	15 febr.	4 mart.	19 apr.
1988	c b	13	xi	31 ian.	17 febr.	3 apr.
1989	A	14	xxii	22 ian.	8 febr.	26 mart.
1990	g	15	iii	11 febr.	28 febr.	15 apr.
1991	f	16	xiv	27 ian.	13 febr.	31 mart.
1992	e d	17	25	16 febr.	4 mart.	19 apr.
1993	c	18	vi	7 febr.	24 febr.	11 apr.

festorum mobilium

Anno Dom.	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Indict.	Dom. post Pentec.	Dom. I Adventus	Litt. Mart.
1962	31 maii	10 iunii	21 iunii	15	24	2 dec.	E
1963	23 maii	2 iunii	13 iunii	1	25	1 dec.	e
1964	7 maii	17 maii	28 maii	2	27	29 nov.	r
1965	27 maii	6 iunii	17 iunii	3	24	28 nov.	H
1966	19 maii	29 maii	9 iunii	4	25	27 nov.	h
1967	4 maii	14 maii	25 maii	5	28	3 dec.	u
1968	23 maii	2 iunii	13 iunii	6	25	1 dec.	P
1969	15 maii	25 maii	5 iunii	7	26	30 nov.	l
1970	7 maii	17 maii	28 maii	8	27	29 nov.	C
1971	20 maii	30 maii	10 iunii	9	25	28 nov.	c
1972	11 maii	21 maii	1 iunii	10	27	3 dec.	p
1973	31 maii	10 iunii	21 iunii	11	24	2 dec.	F
1974	23 maii	2 iunii	13 iunii	12	25	1 dec.	f
1975	8 maii	18 maii	29 maii	13	27	30 nov.	s
1976	27 maii	6 iunii	17 iunii	14	24	28 nov.	N
1977	19 maii	29 maii	9 iunii	15	25	27 nov.	k
1978	4 maii	14 maii	25 maii	1	28	3 dec.	B
1979	24 maii	3 iunii	14 iunii	2	25	2 dec.	b
1980	15 maii	25 maii	5 iunii	3	26	30 nov.	n
1981	28 maii	7 iunii	18 iunii	4	24	29 nov.	E
1982	20 maii	30 maii	10 iunii	5	25	28 nov.	e
1983	12 maii	22 maii	2 iunii	6	26	27 nov.	r
1984	31 maii	10 iunii	21 iunii	7	24	2 dec.	H
1985	16 maii	26 maii	6 iunii	8	26	1 dec.	h
1986	8 maii	18 maii	29 maii	9	27	30 nov.	u
1987	28 maii	7 iunii	18 iunii	10	24	29 nov.	P
1988	12 maii	22 maii	2 iunii	11	26	27 nov.	l
1989	4 maii	14 maii	25 maii	12	28	3 dec.	C
1990	24 maii	3 iunii	14 iunii	13	25	2 dec.	c
1991	9 maii	19 maii	30 maii	14	27	1 dec.	p
1992	28 maii	7 iunii	18 iunii	15	24	29 nov.	F
1993	20 maii	30 maii	10 iunii	1	25	28 nov.	f

CALENDARIUM

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
				IANUARIUS
*	A	Cal.	1	OCTAVA NATIVITATIS DOMINI I cl.
xxix	b	iv	2	
xxviii	c	iii	3	
xxvii	d	Prid.	4	
xxvi	e	Non.	5	
25 xxv	f	viii	6	EPIPHANIA DOMINI I cl.
xxiv	g	vii	7	
xxiii	A	vi	8	
xxii	b	v	9	
xxi	c	iv	10	
xx	d	iii	11	
xix	e	Prid.	12	
xviii	f	Idib.	13	COMMEMORATIO BAPTISMATIS D. N. I. C. II cl.
xvii	g	xix	14	S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl. Memoria S. Felicis Presb. et Mart.
xvi	A	xviii	15	B. Francisci de Capillas Mart. O. P. III cl. Memoria S. Pauli primi Eremitæ Conf. Memoria S. Mauri Abb.
xv	b	xvii	16	S. Marcelli I Papæ et Mart. Memoria.
xiv	c	xvi	17	S. Antonii Abb. III cl.
xiii	d	xv	18	S. Margaritæ ab Hungaria Virg. O. P. III cl. Pro II Ord. II cl. Memoria S. Priscæ Virg. et Mart. Ante non erit Septuagesima.
xii	e	xiv	19	

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
xi	f	xiii	20	Ss. Fabiani Papæ et Sebastiani Mm. III cl.
x	g	xii	21	S. Agnetis Virg. et Mart. III cl.
ix	A	xi	22	S. Vincentii Mart. III cl.
viii	b	x	23	S. Raymundi de Pennafort Conf. O. P. III cl. Memoria S. Emerentianæ Virg. et Mart.
vii	c	ix	24	S. Timothei Ep. et Mart. Memoria.
vi	d	viii	25	Conversio S. Pauli Apostoli III cl.
v	e	vii	26	S. Polycarpi Ep. et Mart. Memoria.
iv	f	vi	27	S. Ioannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl. Memoria S. Iuliani Ep. et Conf.
iii	g	v	28	S. Petri Nolasci Conf. III cl. Memoria S. Agnetis secundo
ii	A	iv	29	S. Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
i	b	iii	30	S. Martinæ Virg. et Mart. Memoria.
*	c	Prid.	31	S. Ioannis Bosco Conf. III cl. Dominica inter Octavam Nativitatis Domini et Epiphaniam, vel, ea deficiente, die 2 ianuarii: SANCTISSIMI NOMINIS IESU II cl. Dominica I post Epiphaniam: S. FAMILIÆ IESU, MARIÆ, IOSEPH II cl.
				FEBRUARIUS
xxix	d	Cal.	1	S. Ignatii Ep. et Mart. III cl.
xxviii	e	iv	2	PURIFICATIO B. MARIÆ VIRG. II cl.
xxvii	f	iii	3	S. Blasii Ep. et Mart. Memoria.
25 xxvi	g	Prid.	4	S. Andreæ Corsini Ep. et Conf. III cl. Ante non erit Cinis.
xxv xxiv	A	Non.	5	S. Agathæ Virg. et Mart. III cl.
xxiii	b	viii	6	Ss. Vedasti et Amandi Epp. et Conff. Memoria. Anniversarium Patrum et Matrum.
xxii	c	vii	7	S. Romualdi Abb. III cl.
xxi	d	vi	8	S. Ioannis de Matha Conf. III cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
xx	e	v	9	S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xix	f	iv	10	S. Scholasticæ Virg. III cl.
xviii	g	iii	11	Apparitio B. Mariæ Virg. Immaculatæ III cl.
xvii	A	Prid.	12	Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. Mariæ Virg. Conff. III cl.
xvi	b	Idib.	13	S. Catharinæ de Ricciis Virg. O. P. III cl. Pro III Ord. II cl.
xv	c	xvi	14	B. Iordani Saxonis Conf. O. P. III cl. Memoria S. Valentini Presb. et Mart.
xiv	d	xv	15	B. Henrici Susonis Conf. O. P. III cl.
xiii	e	xiv	16	
xii	f	xiii	17	B. Reginaldi Conf. O. P. Memoria.
xi	g	xii	18	
x	A	xi	19	
ix	b	x	20	
viii	c	ix	21	Post non erit Septuagesima.
vii	d	viii	22	CATHEDRA S. PETRI APOSTOLI II cl.
vi	e	vii	23	S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
v	f	vi	24	S. MATTHIÆ APOSTOLI II cl. Locus bissextilis.
iv	g	v	25	
iii	A	iv	26	
ii	b	iii	27	
i	c	Prid.	28	

In anno bissextili mensis februarius est dierum 29 et festum S. Matthiæ celebratur die 25 februarii et bis dicitur sexto Calendas, id est die 24 et die 25; et littera dominicalis, quæ assumpta fuit in mense ianuario, mutetur in præcedentem: ut si in ianuario littera dominicalis fuerit A, mutetur in præcedentem, quæ est g, etc., et littera f bis servit, 24 et 25.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	MARTIUS
*	d	Cal.	1	S. Albini Ep. et Conf. Memoria.
xxix	e	vi	2	
xxviii	f	v	3	
xxvii	g	iv	4	S. Casimiri Regis Conf. III cl.
xxvi	A	iii	5	
25 xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	S. THOMÆ AQUINATIS CONF. O. P. ET ECCL. DOCT. I cl.
xxiii	d	viii	8	S. Ioannis a Deo Conf. III cl.
xxii	e	vii	9	S. Franciscæ Romanæ Vid. III cl.
xxi	f	vi	10	Post non erit Cinis.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	S. Gregorii Magni Papæ, Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xviii	b	iii	13	
xvii	c	Prid.	14	
xvi	d	Idib.	15	
xv	e	xvii	16	
xiv	f	xvi	17	S. Patricii Ep. et Conf. III cl.
xiii	g	xv	18	S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xii	A	xiv	19	S. IOSEPH, SPONSI B. MARIÆ VIRG., Conf. et Eccl. univ. Patr. I cl.
xi	b	xiii	20	B. Ambrosii Sansedonii Conf. O. P. Memoria.
x	c	xii	21	S. Benedicti Abb. III cl.
ix	d	xi	22	Ante non erit Pascha.
viii	e	x	23	
vii	f	ix	24	S. Gabrielis Archangeli III cl.
vi	g	viii	25	ANNUNTIATIO B. MARIÆ VIRG. I cl.
v	A	vii	26	
iv	b	vi	27	S. Ioannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct. III cl.
iii	c	v	28	
ii	d	iv	29	
i	e	iii	30	
*	f	Prid.	31	Feria VI post dominicam I in Passione: In Compassione B. Mariæ Virg. Memoria.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	APRILIS
xxix	g	Cal.	1	
xxviii	A	iv	2	S. Francisci de Paula Conf. III cl.
xxvii	b	iii	3	
25 xxvi	c	Prid.	4	S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xxv xxiv	d	Non.	5	S. VINCENTII FERRERII CONF. O. P. II cl.
xxiii	e	viii	6	
xxii	f	vii	7	
xxi	g	vi	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviii	c	iii	11	S. Leonis Magni Papæ, Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xvii	d	Prid.	12	
xvi	e	Idib.	13	
xv	f	xviii	14	Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm. Memoria.
xiv	g	xvii	15	
xiii	A	xvi	16	
xii	b	xv	17	
xi	c	xiv	18	
x	d	xiii	19	
ix	e	xii	20	S. Agnetis de Monte Politiano Virg. O. P. III cl. Pro II Ord. II cl.
viii	f	xi	21	S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
vii	g	x	22	
vi	A	ix	23	S. Georgii Mart. Memoria.
v	b	viii	24	SS. Coronæ spineæ Domini III cl.
iv	c	vii	25	Litania maior. S. MARCI EVANGELISTÆ II cl. Ultimum Pascha.
iii	d	vi	26	
ii	e	v	27	
i	f	iv	28	S. Pauli a Cruce Conf. III cl. Memoria S. Ludovici M. Grignion a Montfort Conf. O. P.
*	g	iii	29	S. PETRI MARTYRIS O. P. II cl.
xxix	A	Prid.	30	S. CATHARINÆ SENENSIS VIRG. O. P. II cl. Pro III Ord. I cl. Ante non erit Ascensus.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	MAIUS
xxviii	b	Cal.	1	S. IOSEPH OPIFICIS, SPONSI B. MARIÆ VIRG., CONF. I cl.
xxvii	c	vi	2	S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xxvi	d	v	3	Ss. Alexandri, Eventii et Theoduli Mm. Memoria.
25 xxv	e	iv	4	S. Monicæ Vid. III cl.
xxiv	f	iii	5	S. Pii V Papæ et Conf. O. P. III cl.
xxiii	g	Prid.	6	
xxii	A	Non.	7	S. Stanislai Ep. et Mart. III cl.
xxi	b	viii	8	B. Mariæ Virg. omnium gratiarum Mediatricis III cl.
xx	c	vii	9	S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xix	d	vi	10	S. ANTONINI EP. ET CONF. O. P. II cl. Memoria Ss. Gordiani et Epimachi Mm. Ante non venit Ignis.
xviii	e	v	11	SS. PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM II cl.
xvii	f	iv	12	Ss. Nerei, Achillei et Pancratii Mm. Memoria.
xvi	g	iii	13	B. Imeldæ Virg. O. P. Memoria.
xv	A	Prid.	14	
xiv	b	Idib.	15	S. Ioannis Baptistæ de la Salle Conf. III cl.
xiii	c	xvii	16	
xii	d	xvi	17	
xi	e	xv	18	S. Venantii Mart. III cl.
x	f	xiv	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf. III cl. Memoria S. Pudentianæ Virg.
ix	g	xiii	20	
viii	A	xii	21	Ante non erit Corpus.
vii	b	xi	22	
vi	c	x	23	
v	d	ix	24	Translatio S. P. N. Dominici Conf. III cl.
iv	e	viii	25	S. Urbani I Papæ et Mart. Memoria.
iii	f	vii	26	S. Philippi Nerii Conf. III cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
ii	g	vi	27	S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct. III cl.
i	A	v	28	
*	b	iv	29	Bb. Guillelmi O. P. et soc. Mm. Memoria.
xxix	c	iii	30	
xxviii	d	Prid.	31	B. MARIÆ VIRG. REGINÆ II cl. Memoria S. Petronillæ Virg.
				IUNIUS
xxvii	e	Cal.	1	S. Angelæ Mericiæ Virg. Memoria.
25 xxvi	f	iv	2	Bb. Sadoc et soc. Mm. O. P. Memoria. Memoria Ss. Marcellini Presb. et Petri Exorcistæ Mm.
xxv xxiv	g	iii	3	Bb. Petri Sanz Ep. et soc. Mm. O. P. Memoria. Post non erit Ascensus.
xxiii	A	Prid.	4	S. Francisci Caracciolo Conf. III cl.
xxii	b	Non.	5	
xxi	c	viii	6	S. Norberti Ep. et Conf. III cl.
xx	d	vii	7	
xix	e	vi	8	S. Medardi Ep. et Conf. Memoria.
xviii	f	v	9	Bb. Dianæ, Cæciliæ et Amatæ Virg. O. P. Memoria. Memoria Ss. Primi et Feliciani Mm.
xvii	g	iv	10	B. Ioannis Dominici Ep. et Conf. O. P. Memoria.
xvi	A	iii	11	S. Barnabæ Apostoli III cl.
xv	b	Prid.	12	Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm. Memoria.
xiv	c	Idib.	13	S. Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct. III cl. Post non venit Ignis.
xiii	d	xviii	14	S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xii	e	xvii	15	Ss. Viti, Modesti et Crescentiæ Mm. Memoria.
xi	f	xvi	16	Ss. Quirici et Iulittæ Mm. Memoria.
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	S. Ephræm Syri Diaconi, Conf. et Eccl. Doct. III cl. Memoria Ss. Marci et Marcelliani Mm.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
viii	b	xiii	19	Ss. Gervasii et Protasii Mm. Memoria.
vii	c	xii	20	
vi	d	xi	21	
v	e	x	22	B. Innocentii V Papæ et Conf. O. P. Memoria.
iv	f	ix	23	Vigilia II cl.
iii	g	viii	24	NATIVITAS S. IOANNIS BAPTISTÆ I cl. Post non erit Corpus.
ii	A	vii	25	
i	b	vi	26	Ss. Ioannis et Pauli Mm. III cl.
*	c	v	27	
xxix	d	iv	28	Vigilia II cl.
xxviii	e	iii	29	SS. PETRI ET PAULI APOSTOLORUM I cl.
xxvii	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Apostoli III cl.
				IULIUS
xxvi	g	Cal.	1	PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C. I cl.
25 xxv	A	vi	2	VISITATIO B. MARIÆ V. II cl. Memoria Ss. Processi et Martiniani Mm.
xxiv	b	v	3	S. Irenæi Ep. et Mart. III cl.
xxiii	c	iv	4	
xxii	d	iii	5	S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf. III cl.
xxi	e	Prid.	6	Anniversarium sepultorum in cœmeteriis nostris.
xx	f	Non.	7	B. Benedicti XI Papæ et Conf. O. P. Memoria.
xix	g	viii	8	
xviii	A	vii	9	Ss. Ioannis O. P. et soc. Mm. III cl.
xvii	b	vi	10	Ss. Septem Fratrum Martyrum III cl.
xvi	c	v	11	Bb. Ignatii Delgado, Dominici Henares O. P. Epp. et soc. Mm. Memoria.
xv	d	iv	12	S. Ioannis Gualberti Abb. III cl.
xiv	e	iii	13	B. Iacobi a Voragine Ep. et Conf. O. P. Memoria.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
xiii	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xii	g	Idib.	15	S. Henrici Imperatoris Conf. III cl.
xi	A	xvii	16	Commemoratio B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo Memoria.
x	b	xvi	17	B. Ceslai Conf. O. P. Memoria.
ix	c	xv	18	S. Camilli de Lellis Conf. III cl.
viii	d	xiv	19	S. Vincentii a Paulo Conf. III cl.
vii	e	xiii	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf. III cl.
				Memoria S. Margaritæ Virg. et Mart.
vi	f	xii	21	S. Praxedis Virg. Memoria.
v	g	xi	22	S. Mariæ Magdalenæ III cl.
iv	A	x	23	S. Apollinaris Ep. et Mart. Memoria.
iii	b	ix	24	S. Christinæ Virg. et Mart. Memoria.
ii	c	viii	25	S. IACOBI APOSTOLI II cl.
				Memoria Ss. Christophori et Cucuphatis Mm.
i	d	vii	26	S. ANNÆ MATRIS B. MARIÆ VIRG. II cl.
*	e	vi	27	Bb. Iosephi, Melchioris Epp. O. P. et soc. Mm. Memoria.
xxix	f	v	28	Ss. Nazarii, Celsi et Pantaleonis Mm. Memoria.
xxviii	g	iv	29	S. Marthæ Virg. III cl.
				Memoria Ss. Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.
xxvii	A	iii	30	B. Mannes Conf. O. P. Memoria.
				Memoria Ss. Abdon et Sennen Mm.
25 xxvi	b	Prid.	31	S. Ignatii Conf. III cl.
				Memoria S. Germani Ep. et Conf.

AUGUSTUS

xxv xxiv	c	Cal.	1	Ss. Machabæorum Mm. Memoria.
xxiii	d	iv	2	S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
				Memoria S. Stephani I Papæ et Mart.
xxii	e	iii	3	
xxi	f	Prid.	4	S. DOMINICI CONF., PATRIS NOSTRI I cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
xx	g	Non.	5	S. Mariæ ad Nives III cl.
xix	A	viii	6	TRANSFIGURATIO DOMINI II cl.
				Memoria Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
xviii	b	vii	7	S. Caietani Conf. III cl.
				Memoria S. Donati Ep. et Mart.
xvii	c	vi	8	B. Ioannæ de Aza Matris S. P. N. Dominici Memoria.
				Memoria Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.
xvi	d	v	9	Vigilia III cl.
xv	e	iv	10	S. LAURENTII MART. II cl.
xiv	f	iii	11	S. Tiburtii Mart. Memoria.
xiii	g	Prid.	12	S. Claræ Virg. III cl.
xii	A	Idib.	13	Ss. Hippolyti et soc. Mm. Memoria.
xi	b	xix	14	Vigilia II cl.
				Memoria S. Eusebii Presb. et Conf.
x	c	xviii	15	ASSUMPTIO B. MARIÆ V. I cl.
ix	d	xvii	16	S. IOACHIM CONF., PATRIS B. MARIÆ VIRG. II cl.
viii	e	xvi	17	S. Hyacinthi Conf. O. P. III cl.
vii	f	xv	18	S. Agapiti Mart. Memoria.
vi	g	xiv	19	
v	A	xiii	20	S. Bernardi Abb. et Eccl. Doct. III cl.
iv	b	xii	21	S. Ioannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid. III cl.
iii	c	xi	22	IMMACULATI CORDIS B. MARIÆ VIRG. II cl.
				Memoria Ss. Timothei et Symphoriani Mm.
ii	d	x	23	
i	e	ix	24	S. BARTHOLOMÆI AP. II cl.
*	f	viii	25	S. Ludovici Regis Conf. III cl.
xxix	g	vii	26	
xxviii	A	vi	27	S. Iosephi Calasanctii Conf. III cl.
				Memoria S. Rufi Ep. et Mart.
xxvii	b	v	28	S. AUGUSTINI EP., CONF. ET ECCL. DOCT. II cl.
xxvi	c	iv	29	Decollatio S. Ioannis Bapt. III cl.
				Memoria S. Sabinæ Mart.
25 xxv	d	iii	30	S. Rosæ a Lima Virg. O. P. III cl.
				Memoria Ss. Felicis et Adaucti Mm.
xxiv	e	Prid.	31	S. Raymundi Nonnati Conf. III cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	SEPTEMBER
xxiii	f	Cal.	1	S. Ægidii Abb. Memoria.
xxii	g	iv	2	S. Stephani Hungariæ Regis Conf. III cl.
xxi	A	iii	3	S. Pii X Papæ et Conf. III cl.
xx	b	Prid.	4	S. Marcelli Mart. Memoria.
xix	c	Non.	5	Anniversarium Familiarium et Benefactorum O. P.
xviii	d	viii	6	B. Bertrandi a Garriga Conf. O. P. Memoria.
xvii	e	vii	7	
xvi	f	vi	8	NATIVITAS B. MARIÆ VIRG. II cl.
xv	g	v	9	S. Gorgonii Mart. Memoria.
xiv	A	iv	10	Bb. Alfonsi Navarrete O. P. et soc. Mm. III cl.
				Memoria S. Nicolai a Tolentino Conf.
xiii	b	iii	11	Ss. Proti et Hyacinthi Mm. Memoria.
xii	c	Prid.	12	Ss. Nominis Mariæ III cl.
xi	d	Idib.	13	
x	e	xviii	14	EXALTATIO S. CRUCIS II cl.
ix	f	xvii	15	SEPTEM DOLORUM B. MARIÆ VIRG. II cl.
				Memoria S. Nicomedis Mart.
viii	g	xvi	16	Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep. Mm. III cl.
				Memoria S. Euphemiæ Virg. et Mart.
vii	A	xv	17	Commemoratio Impressionis Ss. Stigmatum S. Francisci Conf. Memoria.
				Memoria S. Lamberti Ep. et Mart.
vi	b	xiv	18	B. Ioannis Massias Conf. O. P. III cl.
v	c	xiii	19	Ss. Ianuarii Ep. et soc. Mm. III cl.
iv	d	xii	20	B. Francisci de Possadas Conf. O. P. Memoria.
iii	e	xi	21	S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ II cl.
ii	f	x	22	Ss. Mauritii et soc. Mm. Memoria.
i	g	ix	23	
*	A	viii	24	Commemoratio B. Mariæ Virg. de Mercede Memoria.
xxix	b	vii	25	
xxviii	c	vi	26	

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
xxvii	d	v	27	Ss. Cosmæ et Damiani Mm. III cl.
25 xxvi	e	iv	28	
xxv xxiv	f	iii	29	S. MICHAELIS ARCHANGELI I cl.
xxiii	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
				OCTOBER
xxii	A	Cal.	1	S. Remigii Ep. et Conf. Memoria.
xxi	b	vi	2	Ss. Angelorum Custodum III cl.
				Memoria S. Leodegarii Ep. et Mart.
xx	c	v	3	S. Teresiæ a Iesu Infante Virg. III cl.
xix	d	iv	4	S. P. FRANCISCI CONF., ORD. MIN. FUND. II cl.
xviii	e	iii	5	B. Raymundi a Capua Conf. O. P. III cl.
xvii	f	Prid.	6	S. Brunonis Conf. III cl.
xvi	g	Non.	7	B. MARIÆ VIRG. A ROSARIO I cl.
xv	A	viii	8	S. Birgittæ Vid. III cl.
				Memoria S. Marci Papæ et Conf.
				Memoria Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mm.
xiv	b	vii	9	S. Ludovici Bertrandi Conf. O. P. III cl.
				Memoria Ss. Dionysii Ep. et soc. Mm.
xiii	c	vi	10	
xii	d	v	11	
xi	e	iv	12	
x	f	iii	13	
ix	g	Prid.	14	S. Callisti I Papæ et Mart. III cl.
viii	A	Idib.	15	S. Teresiæ Virg. III cl.
vii	b	xvii	16	
vi	c	xvi	17	
v	d	xv	18	S. LUCÆ EVANGELISTÆ II cl.
iv	e	xiv	19	S. Petri de Alcantara Conf. III cl.
iii	f	xiii	20	
ii	g	xii	21	Ss. Ursulæ et soc. Virg. et Mart. Memoria.
i	A	xi	22	In Ecclesiis consecratis: ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS ECCLESIÆ I cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	S. Raphaëlis Archangeli III cl.
xxviii	d	viii	25	Ss. Crispini et Crispiniani Mm. Memoria.
xxvii	e	vii	26	
xxvi	f	vi	27	
25 xxv	g	v	28	SS. SIMONIS ET IUDÆ APOSTOLORUM II cl.
xxiv	A	iv	29	
xxiii	b	iii	30	
xxii	c	Prid.	31	S. Quintini Mart. Memoria. Dominica ultima octobris: D. N. IESU CHRISTI REGIS I cl.
				NOVEMBER
xxi	d	Cal.	1	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM I cl.
xx	e	iv	2	COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM I cl.
xix	f	iii	3	
xviii	g	Prid.	4	S. Caroli Ep. et Conf. III cl. Memoria Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
xvii	A	Non.	5	B. Martini de Porres Conf. O. P. III cl.
xvi	b	viii	6	Bb. Hieronymi, Valentini, Francisci, Hyacinthi et soc. Mm. O. P. III cl.
xv	c	vii	7	
xiv	d	vi	8	Ss. Quatuor Coronatorum Mm. Memoria.
xiii	e	v	9	DEDICATIO ARCHIBASILICÆ SS. SALVATORIS II cl. Memoria S. Theodori Mart.
xii	f	iv	10	
xi	g	iii	11	S. Martini Ep. et Conf. III cl. Memoria S. Mennæ Mart.
x	A	Prid.	12	FESTIVITAS OMNIUM SANCTORUM O. P. II cl.
ix	b	Idib.	13	S. Britii Ep. et Conf. Memoria. Anniversarium omnium Fratrum et Sororum defunctorum O. P.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
viii	c	xviii	14	
vii	d	xvii	15	S. ALBERTI MAGNI EP., CONF. O. P. ET ECCL. DOCT. II cl.
vi	e	xvi	16	
v	f	xv	17	S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf. III cl.
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli Apost. III cl.
iii	A	xiii	19	S. Elisabeth Vid. III cl.
ii	b	xii	20	S. Felicis de Valois Conf. III cl.
i	c	xi	21	Præsentatio B. Mariæ Virg. III cl.
*	d	x	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart. III cl.
xxix	e	ix	23	S. Clementis I Papæ et Mart. III cl.
xxviii	f	viii	24	S. Ioannis a Cruce Conf. et Eccl. Doct. III cl. Memoria S. Chrysogoni Mart.
xxvii	g	vii	25	S. Catharinæ Virg. et Mart. III cl.
25 xxvi	A	vi	26	
xxv xxiv	b	v	27	
xxiii	c	iv	28	
xxii	d	iii	29	S. Saturnini Mart. Memoria.
xxi	e	Prid.	30	S. ANDREÆ APOSTOLI II cl.
				DECEMBER
xx	f	Cal.	1	B. Ioannis a Vercellis Conf. O. P. Memoria.
xix	g	iv	2	S. Bibianæ Virg. et Mart. III cl.
xviii	A	iii	3	S. Francisci Xaverii Conf. III cl.
xvii	b	Prid.	4	S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl. Memoria S. Barbaræ Virg. et Mart.
xvi	c	Non.	5	
xv	d	viii	6	S. Nicolai Ep. et Conf. III cl.
xiv	e	vii	7	S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct. III cl.
xiii	f	vi	8	CONCEPTIO IMMACULATA B. MARIÆ VIRG. I cl.
xii	g	v	9	
xi	A	iv	10	
x	b	iii	11	S. Damasi I Papæ et Conf. III cl.
ix	c	Prid.	12	
viii	d	Idib.	13	S. Luciæ Virg. et Mart. III cl.

Cyclus epact.	L. D.		D. M.	
vii	e	xix	14	
vi	f	xviii	15	
v	g	xvii	16	
iv	A	xvi	17	
iii	b	xv	18	
ii	c	xiv	19	
i	d	xiii	20	S. Dominici Sylensis Abb. Memoria.
*	e	xii	21	S. THOMÆ APOSTOLI II cl.
xxix	f	xi	22	Patrocinium B. Mariæ Virg. Memoria.
xxviii	g	x	23	
xxvii	A	ix	24	Vigilia I cl.
xxvi	b	viii	25	NATIVITAS DOMINI I cl. cum octava. In secunda Missa: Memoria S. Anastasiæ Mart.
25 xxv	c	vii	26	S. STEPHANI PROTOMARTYRIS II cl.
xxiv	d	vi	27	S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ II cl.
xxiii	e	v	28	SS. INNOCENTIUM MARTYRUM II cl.
xxii	f	iv	29	DIES INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI II cl. Memoria S. Thomæ Ep. et Mart.
xxi	g	iii	30	DIES INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI II cl.
xx	A	Prid.	31	DIES INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI II cl. Memoria S. Silvestri I Papæ et Conf.

TABELLÆ DIERUM LITURGICORUM

DOMINICÆ

DOMINICÆ I CLASSIS

Prima, secunda, tertia et quarta Adventus.
Prima, secunda, tertia et quarta Quadragesimæ.
Prima et secunda Passionis.
Dominica Resurrectionis.
Dominica in albis.
Dominica Pentecostes.

DOMINICÆ II CLASSIS

Omnes aliæ dominicæ, superius non nominatæ.

FERIÆ

FERIÆ I CLASSIS

Feria IV cinerum.
Omnes feriæ Hebdomadæ sanctæ.

FERIÆ II CLASSIS

Feriæ Adventus a die 17 ad diem 23 decembris.
Feriæ Quatuor Temporum Adventus, Quadragesimæ et mensis septembris.

FERIÆ III CLASSIS

Feriæ Adventus usque ad diem 16 decembris inclusive, extra Quatuor Tempora.
Feriæ Quadragesimæ et Passionis, superius non nominatæ.

FERIÆ IV CLASSIS

Omnes aliæ feriæ, superius non nominatæ.

VIGILIÆ

VIGILIÆ I CLASSIS

Vigilia Nativitatis Domini.
Vigilia Pentecostes.

VIGILIÆ II CLASSIS

Vigilia Ascensionis Domini.
Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.
Vigilia Nativitatis S. Ioannis Bapt.
Vigilia Ss. Petri et Pauli App.

VIGILIA III CLASSIS

Vigilia S. Laurentii Mart.

OCTAVÆ

OCTAVÆ I CLASSIS

Octava Paschatis.
Octava Pentecostes.

OCTAVA II CLASSIS

Octava Nativitatis Domini.

FESTA I CLASSIS

IN CALENDARIO ECCLESIÆ UNIVERSÆ

Nativitas Domini.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis.
Ascensio Domini.

Pentecostes.
Festum Ss.mæ Trinitatis.
Festum Ss.mi Corporis Christi.
Festum Ss.mi Cordis Iesu.
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.
Festum D. N. I. C. Regis.
Conceptio Immaculata B. Mariæ Virg.
Annuntiatio B. Mariæ Virg.
Assumptio B. Mariæ Virg.
Festum S. Ioseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf., Eccl. univ. Patroni.
Festum S. Ioseph Opificis, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf.
Festum S. Michaëlis Archangeli.
Nativitas S. Ioannis Baptistæ.
Festum Ss. Petri et Pauli App.
Festum Omnium Sanctorum.
Alii dies liturgici I classis
Dies octavus Nativitatis Domini.
Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.

In calendario ordinis

Anniversarium Dedicationis ecclesiæ propriæ.
Festum B. Mariæ Virg. a Rosario.
Festum S. Dominici Conf., Ordinis Prædicatorum Fundatoris.
Festum S. Thomæ Aquinatis Conf. O. P. et Eccl. Doct.

In calendariis particularibus provinciarum vel domorum

Festum Patroni principalis nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis.
Anniversarium Dedicationis ecclesiæ cathedralis.
Festum Patroni principalis loci seu oppidi vel civitatis.
Titulus ecclesiæ propriæ.
Festum Patroni principalis provinciæ religiosæ.
Alia festa I classis propria et indulta, mobilia aut fixa.

FESTA II CLASSIS

In calendario Ecclesiæ universæ

Festum Ss.mi Nominis Iesu.
Festum S. Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph.
Commemoratio Baptismatis D. N. I. C.
Transfiguratio D. N. I. C.
Festum Exaltationis S. Crucis.
Dedicatio Archibasilicæ Ss.mi Salvatoris.
Purificatio B. Mariæ Virg.
Festum B. Mariæ Virg. Reginæ.
Visitatio B. Mariæ Virg.
Festum Immaculati Cordis B. Mariæ Virg.
Nativitas B. Mariæ Virg.
Festum septem dolorum B. Mariæ Virg.
Festa natalicia Apostolorum et Evangelistarum, scilicet:
Festum S. Andreæ (30 nov.).
Festum S. Thomæ Ap. (21 dec.).
Festum S. Ioannis Ap. et Evangelistæ (27 dec.).
Festum S. Matthiæ Ap. (24 vel 25 febr.).
Festum S. Marci Evangelistæ (25 apr.).

Festum Ss. Philippi et Iacobi App. (11 maii).
Festum S. Iacobi Ap. (25 iulii).
Festum S. Bartholomæi Ap. (24 aug.).
Festum S. Matthæi Ap. et Evangelistæ (21 sept.).
Festum S. Lucæ Evangelistæ (18 oct.).
Festum Ss. Simonis et Iudæ App. (28 oct.).
Festum S. Stephani Protomart.
Festum Ss. Innocentium Mm.
Festum Cathedræ S. Petri Ap. (22 febr.).
Festum S. Annæ, Matris B. Mariæ Virg.
Festum S. Laurentii Mart.
Festum S. Ioachim, Patris B. Mariæ Virg.

In calendario ordinis

Festum S. Vincentii Ferrerii Conf., O. P.
Festum S. Petri Mart., O. P.
Festum S. Catharinæ Senensis Virg., O. P.
Festum S. Antonini Ep. et Conf., O. P.
Festum S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct.
Festum S. Francisci Conf., Ordinis Minorum Fundatoris.
Festum Omnium Sanctorum O. P.
Festum S. Alberti Magni Ep., Conf. O. P. et Eccl. Doct.

In calendariis particularibus provinciarum vel domorum

Festum Patroni secundarii nationis, regionis seu provinciæ sive ecclesiasticæ sive civilis, diœcesis, civitatis vel oppidi.
Festum Patroni secundarii provinciæ religiosæ.
Alia festa II classis propria et indulta, mobilia aut fixa.

Tabella occurrentiæ

	et dies octavæ II classis	» dies octavæ I classis	» festum III cl. particulare	» festum III cl. universale	» festum II cl. particulare	» festum II cl. universale	» festum I cl. particulare	» festum I cl. universale	» vigilia II classis	» vigilia I classis	» feria III cl. Quadr. et Pass.	» feria III cl. Adventus	» feria II classis	» feria I classis	» dominica II classis	» dominica I classis
Festum I cl. univ.	0	7	1	1	1	1	6	8	1	7	3	3	3	7	3	7
Festum I cl. part.	3	7	1	1	1	1	8	7	1	7	3	3	3	7	3	7
Festum II cl. univ.	3	2	4	4	4	0	2	2	4	2	3	3	3	2	5	2
Festum II cl. part.	0	2	4	4	9	5	2	2	4	2	3	3	5	2	5	2
Festum III cl. univ.	0	2	5	0	5	5	2	2	5	2	5	3	5	2	2	2
Festum III cl. part.	0	2	9	4	5	5	2	2	5	2	5	3	5	2	2	2
Vigilia II cl.	0	0	4	4	5	5	2	2	0	0	0	0	0	0	2	0
Vigilia III cl.	0	0	5	0	5	0	2	0	0	0	0	0	0	0	2	0

1 Offic. de 1° nihil de 2°
2 Offic. de 2° nihil de 1°
3 Offic. de 1° memoria de 2° in Ld. et Vp.
4 Offic. de 1° memoria de 2° in Ld.
5 Offic. de 2° memoria de 1° in Ld.
6 Offic. de 1° translatio de 2°
7 Offic. de 2° translatio de 1°
8 Offic. de nobiliori translatio de alio
9 Offic. de festo mobili, memoria de alio in Ld.

Tabella concurrentiæ

	cum festo I classis	» dominica II classis	» dominica I classis
Dominica I classis	1	0	0
Dominica II classis	2	0	0
Feria I classis	1	0	0
Feria II classis	2	0	0
Feria III classis	2	0	0
Feria IV classis	3	0	0
Festum I classis	1	1	1
Festum II classis	3	1	3
Festum III classis	3	3	3
Dies octavæ II classis	2	3	0

1 Vesperæ de Off. curr., mem. seq.
2 Vesperæ de Off. seq., mem. curr.
3 Vesperæ de seq., nihil de curr.

NOTANDA IN TABELLAS OCCURRENTIÆ ET CONCURRENTIÆ

1. Festum Domini I aut II classis, in dominica occurrens, locum tenet ipsius dominicæ cum omnibus iuribus et privilegiis: de dominica, proinde, nulla fit memoria.

2. Si duo festa eiusdem divinæ Personæ aut duo festa eiusdem Sancti vel Beati simul occurrunt, fit de festo quod in tabella præcedentiæ superiorem obtinet locum, et aliud omittitur.

3. Si festum Domini I vel II classis concurrat cum quavis dominica vel vicissim, Vesperæ ordinantur iuxta tabellam concurrentiæ, sed numquam fit memoria dominicæ concurrentis in Vesperis festi Domini, nec vicissim.

4. Feriæ Quatuor Temporum mensis septembris et vigiliæ Sanctorum II et III classis, si impediuntur, non commemorantur in Officio, sed tantum in Missa, iuxta rubricas

DE INDULGENTIIS
pro recitatione divini Officii concessis

1º Clericis, in sacris constitutis, qui integrum divinum Officium, quamvis in partes distributum, coram Sanctissimo Sacramento, sive publicæ adorationi exposito sive in tabernaculo adservato, devote recitaverint, conceditur:

Indulgentia plenaria, si præterea sacramentalem confessionem instituerint, ad eucharisticum Convivium accesserint et ad mentem Summi Pontificis oraverint (Pius Pp. XI, 23 octobris 1930).

Iis vero, qui divinum Officium coram Sanctissimo Sacramento, ut supra, ex parte tantum recitaverint, conceditur:

Indulgentia quingentorum dierum pro unaquaque hora canonica (Pius Pp. XI, 18 maii 1933).

Iisdem autem clericis, qui divinum Officium in alias preces commutatum rite obtinuerint, si preces eiusmodi coram Sanctissimo Sacramento, uti supra, devote recitaverint, conceditur:

Indulgentia plenaria, additis sacramentali confessione, sacra Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis (Pius Pp. XI, 7 novembris 1932).

2º Indultum et indulgentiæ, olim pro recitatione orationis Sacrosanctæ concessa, antiphonæ finali B. Mariæ Virginis adnectuntur.

Proinde, iis qui dictas antiphonas finales B. Mariæ Virginis recitaverint, conceditur:

Indulgentia trium annorum (Pius Pp. XI, 1 decembris 1933).

Præterea, clericis in sacris constitutis et sacerdotibus Summus Pontifex Leo X defectus et culpas, in recitando divino Officio ex humana fragilitate contractas, indulsit.

OFFICIUM DE TEMPORE

Dominica I in Adventu Domini

I classis

AD I VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de sabbato, ut in Psalterio 795.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

℟. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur. - Glória. - Et vocábitur.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.

Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. ant. Ecce nomen Dómini venit de longínquo, et cláritas eius replet orbem terrárum.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis et regnas.

AD MATUTINUM

Invit. Ecce venit Rex: * Occurrámus óbviam Salvatóri nostro.

Hymnus Verbum supérnum 570.

In Nocturno

Psalmi de dominica, sub antiphonis et cum versiculo de tempore Adventus, ut in Psalterio; qui dicuntur etiam in reliquis dominicis Adventus.

Incipit liber Isaíæ Prophétæ

Lectio i Cap. 1

Vísio Isaíæ fílii Amos, quam vidit super Iudam et Ierúsalem in diébus Ozíæ, Ióathan, Achaz et Ezechíæ regum Iuda. Audíte, cæli, et áuribus pércipe, terra, quóniam Dóminus locútus est. Fílios enutrívi et exaltávi: ipsi autem sprevérunt me. Cognóvit bos possessórem suum, et ásinus præsépe dómini sui: Israël autem me non cognóvit, et pópulus meus non intelléxit. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. Deo grátias.

Et ita per clausulam Hæc dicit Dóminus Deus, loco clausulæ Tu autem, Dómine, terminantur deinceps omnes lectiones de propheta Isaia, usque ad Matutinum Nativitatis Domini inclusive, nisi aliter signetur.

℟. i. Aspíciens a longe ecce vídeo Dei poténtiam veniéntem, et nébulam totam terram tegéntem. * Ite óbviam ei, et dícite: Núntia nobis, si tu es ipse, Qui regnatúrus es In populo Israël.

℣. i. Quique terrígenæ et fílii hóminum, simul in unum dives et pauper. - Ite óbviam ei, et dícite: Núntia nobis, si tu es ipse, Qui regnatúrus es In pópulo Israël.

℣. ii. Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis velut ovem Ioseph. - Núntia nobis, si tu es ipse, Qui regnatúrus es In pópulo Israël.

℣. iij. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. - Qui regnatúrus es In pópulo Israël.

Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. - In pópulo Israël. ℟. Aspíciens.

Finita resumptione post Glória Patri, ℟. Aspíciens reincipitur usque ad ℣. i Quique terrígenæ exclusive.

¶ Quando hoc ℟. dicendum erit infra hebdomadam, dícitur tantum cum tertio ℣. Excita, Dómine, et resumptione Qui regnatúrus es in pópulo Israël, sine Glória Patri.

Lectio ii

Væ genti peccatríci, pópulo gravi iniquitáte, sémini nequam, fíliis scelerátis: dereliquérunt Dóminum, blasphemavérunt Sanctum Israël, abalienáti sunt retrórsum. Super quo percútiam vos ultra, addéntes prævaricatiónem? omne caput lánguidum, et omne cor mærens. A planta pedis usque ad vérticem non est in eo sánitas: vulnus et livor et plaga tumens, non est circumligáta, nec curáta medicámine, neque fota óleo. Terra vestra desérta, civitátes vestræ succénsæ igni: regiónem vestram coram vobis aliéni dévorant, et desolábitur sicut in vastitáte hostíli. Et derelinquétur fília Sion ut umbráculum in vínea, et sicut tugúrium in cucumerário, et sicut cívitas, quæ vastátur. Nisi Dóminus exercítuum reliquísset nobis semen, quasi Sódoma fuissémus, et quasi Gomórrha símiles essémus. Hæc dicit...

℟. ii. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 21

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Erunt signa in sole et luna et stellis, et in terris pressúra géntium. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 1 in Evang.

Dóminus ac Redémptor noster, parátos nos invenire desíderans, senescéntem mundum quæ mala sequántur denúntiat, ut nos ab eius amóre compéscat. Appropinquántem eius términum quantæ percussiónes prævéniant, innotéscit: ut, si Deum metúere in tranquillitáte nólumus, saltem vicínum eius iudícium vel percussiónibus attríti timeámus.

℟. iii. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra: * Et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus iustus noster. ℣. In diébus illis salvábitur Iuda, et Israël habitábit confidénter. - Et hoc. - Glória. - Dóminus. ℟. Ecce dies.

Non dicitur Te Deum per totum Adventum, quando fit Officium de Adventu; sed tertium ℟. usque ad ℣. exclusive in omnibus dominicis repetitur.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

¶ Hic ℣. dicitur quotidie per Adventum ante Laudes, cum de Tempore agitur.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. In illa die stillábunt montes dulcédinem, et colles fluent lac et mel, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Iucundáre, fília Sion; exsúlta satis, fília Ierúsalem, allelúia.

3. Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti eius cum eo: et erit in die illa lux magna, allelúia.

4. Omnes sitiéntes, veníte ad aquas: quærite Dóminum, dum inveníri potest, allelúia.

5. Ecce véniet Prophéta magnus, et ipse renovábit Ierúsalem, allelúia.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Ad Bened. ant. Spíritus Sanctus in te descéndet, María: ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis et regnas.

AD PRIMAM

Psalmus Confitémini cum ceteris de dominica sub 1 ant. Laudum.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui ventúrus es in mundum.

¶ Iste versus dicitur ad Primam per totum Adventum, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Psalmi de dominica sub antiphonis Laudum.

Capitula, responsoria et versiculi de Adventu, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Ecce dies, hymnus Cónditor alme et ℣. Roráte, cæli, 607.

Ad Magnif. ant. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries fílium, allelúia.

Huius diei psalmi, capitula, hymni, ℣℣. et ℟℟. Horarum dicuntur etiam in reliquis dominicis Adventus.

In Officio feriali tempore Adventus

usque ad diem 23 decembris inclusive

AD MATUTINUM

Invit. Regem ventúrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

In Quatuor autem Temporibus dicitur sequens

Invit. Prope est iam Dóminus: * Veníte, adorémus.

Hymnus

Verbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis:
Illúmina nunc péctora
Tuóque amóre cóncrema,
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tandem lúbrica.
Iudéxque cum post áderis
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Iustísque regnum pro bonis:
Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes
Simus perénnes cælibes.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Antiphonæ et psalmi de feria, cum ℣. de tempore Adventus, ut in Psalterio.

Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

Psalmi de feria, 2 loco, usque ad diem 16 decembris inclusive sub suis antiphonis, ut in Psalterio; a die autem 17 ad 23 sub antiphonis propriis.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.
Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.
E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:
Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Ad Bened. antiphona propria.

Dicuntur preces.

Oratio dominicæ præcedentis, nisi in feriis Quatuor Temporum.

Ad Pretiosa legendum est de Regula.

Ad Horas super psalmos feriæ currentis antiphonæ de tempore Adventus, ut in Psalterio.

AD PRIMAM

Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui ventúrus es in mundum.

¶ Iste versus dicitur quotidie, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

AD TERTIAM

Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Veni ad liberándum nos, * Dómine Deus virtútum. Veni. ℣. Osténde fáciem tuam, et salvi érimus. Dómine. Glória. Veni.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Dicuntur preces.

Oratio dominicæ præcedentis.

Infra hebdomadam I

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis.

Infra hebdomadam II

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

Infra hebdomadam III

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

Infra hebdomadam IV

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis et regnas.

AD SEXTAM

Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Capitulum Ier. 23

In diébus illis salvábitur Iuda, et Israël habitábit confidénter: et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus iustus noster.

℟. Osténde nobis, Dómine, * Misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Misericórdiam tuam. Glória. Osténde.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Dicuntur preces.

Oratio dominicæ præcedentis.

AD NONAM

Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Capitulum Is. 2

Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

℟. Super te, Ierúsalem, * Oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória eius in te vidébitur. Oriétur. Glória. Super te.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dicuntur preces.

Oratio dominicæ præcedentis.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi ut in Psalterio.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.

Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. antiphona propria.

Dicuntur preces, exceptis diebus quibus dicuntur antiphonæ O.

Oratio dominicæ præcedentis, nisi in feriis Quatuor Temporum.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 2

Verbum, quod vidit Isaías, fílius Amos, super Iuda et Ierúsalem. Et erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi et dicent: Veníte et ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis eius: quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Aspíciens a longe ecce vídeo Dei poténtiam veniéntem, et nébulam totam terram tegéntem. Ite óbviam ei, et dícite: Núntia nobis, si tu es ipse, * Qui regnatúrus es in pópulo Israël. ℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. - Qui regnatúrus.

Lectio ii

Et iudicábit gentes et árguet pópulos multos: et conflábunt gládios suos in vómeres et lánceas suas in falces: non levábit gens contra gentem gládium, nec exercebúntur ultra ad prœlium. Domus Iacob, veníte, et ambulémus in lúmine Dómini. Proiecísti enim pópulum tuum, domum Iacob: quia repléti sunt ut olim et áugures habuérunt ut Philísthiim et púeris aliénis adhæsérunt. Hæc dicit...

℟. ii. Aspiciébam in visu noctis, et ecce in núbibus cæli Fílius hóminis veniébat: et datum est ei regnum et honor: * Et omnis pópulus, tribus et linguæ sérvient ei. ℣. Potéstas eius, potéstas ætérna, quæ non auferétur: et regnum eius, quod non corrumpétur. - Et omnis pópulus.

Lectio iii

Repléta est terra argénto et auro: et non est finis thesaurórum eius: et repléta est terra eius equis: et innumerábiles quadrígæ eius. Et repléta est terra eius idólis: opus mánuum suárum adoravérunt, quod fecérunt dígiti eórum. Et incurvávit se homo, et humiliátus est vir: ne ergo dimíttas eis. Hæc dicit...

℟. iii. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur. - Glória. - Et vocábitur.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu Sancto, allelúia.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Ierúsalem, réspice ad Oriéntem, et vide, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 3

Ecce enim dominátor Dóminus exercítuum áuferet a Ierúsalem et a Iuda válidum et fortem, omne robur panis et omne robur aquæ: fortem et virum bellatórem, iúdicem et prophétam et aríolum et senem: príncipem super quinquagínta et honorábilem vultu et consiliárium et sapiéntem de architéctis et prudéntem elóquii mýstici. Hæc dicit

Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. - Spíritus Sanctus.

Lectio ii

Et dabo púeros príncipes eórum, et effemináti dominabúntur eis. Et írruet pópulus, vir ad virum et unusquísque ad próximum suum: tumultuábitur puer contra senem, et ignóbilis contra nóbilem. Apprehéndet enim vir fratrem suum domésticum patris sui: Vestiméntum tibi est, princeps esto noster, ruína autem hæc sub manu tua. Hæc dicit...

℟. ii. Salvatórem exspectámus, Dóminum Iesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei. - Qui reformábit.

Lectio iii

Respondébit in die illa, dicens: Non sum médicus, et in domo mea non est panis neque vestiméntum: nolíte constitúere me príncipem pópuli. Ruit enim Ierúsalem et Iudas cóncidit: quia lingua eórum et adinventiónes eórum contra Dóminum, ut provocárent óculos maiestátis eius. Hæc dicit...

℟. iii. Audíte verbum Dómini, gentes, et annuntiáte illud in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite: * Salvátor noster advéniet. ℣. Annuntiáte et audítum fácite: loquímini et clamáte. - Salvátor. - Glória. - Salvátor.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Leva, Ierúsalem, óculos et vide poténtiam Regis: ecce Salvátor venit sólvere te a vínculo.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Quærite Dóminum, dum inveníri potest: invocáte eum, dum prope est, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 5

Cantábo dilécto meo cánticum patruélis mei víneæ suæ. Vínea facta est dilécto meo in cornu fílio ólei. Et sepívit eam, et lápides elégit ex illa, et plantávit eam eléctam, et ædificávit turrim in médio eius et tórcular exstrúxit in ea: et exspectávit ut fáceret uvas, et fecit labrúscas. Nunc ergo, habitatóres Ierúsalem et viri Iuda, iudicáte inter me et víneam meam. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, dicit Dóminus: et vocábitur nomen eius * Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum. - Admirábilis, Deus, Fortis.

Lectio ii

Quid est quod débui ultra fácere víneæ meæ, et non feci ei? an quod exspectávi ut fáceret uvas, et fecit labrúscas? Et nunc osténdam vobis quid ego fáciam víneæ meæ: áuferam sepem eius, et erit in direptiónem: díruam macériam eius, et erit in conculcatiónem. Et ponam eam desértam: non putábitur et non fodiétur: et ascéndent vepres et spinæ: et núbibus mandábo ne pluant super eam imbrem. Hæc dicit...

℟. ii. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es: vide afflictiónem pópuli tui, sicut locútus es: * Veni, et líbera nos. ℣. A solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari. - Veni.

Lectio iii

Vínea enim Dómini exercítuum domus Israël est: et vir Iuda germen eius delectábile: et exspectávi ut fáceret iudícium, et ecce iníquitas: et iustítiam, et ecce clamor. Væ, qui coniúngitis domum ad domum et agrum agro copulátis usque ad términum loci: numquid habitábitis vos soli in médio terræ? In áuribus meis sunt hæc. Hæc dicit...

℟. iii. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra: * Et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus iustus noster. ℣. In diébus illis salvábitur Iuda, et Israël habitábit confidénter. - Et hoc. - Glória. - Dóminus iustus noster.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. De Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Ierúsalem.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Véniet fórtior me post me, cuius non sum dignus sólvere corrígiam calceamentórum eius.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 5

Proptérea captívus ductus est pópulus meus, quia non hábuit sciéntiam, et nóbiles eius interiérunt fame, et multitúdo eius siti exáruit. Proptérea dilatávit inférnus ánimam suam et apéruit os suum absque ullo término: et descéndent fortes eius et pópulus eius et sublímes gloriosíque eius ad eum. Et incurvábitur homo, et humiliábitur vir, et óculi sublímium depriméntur. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Aspíciens a longe ecce vídeo Dei poténtiam veniéntem, et nébulam totam terram tegéntem. Ite óbviam ei, et dícite: Núntia nobis, si tu es ipse, * Qui regnatúrus es in pópulo Israël. ℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. - Qui regnatúrus.

Lectio ii

Et exaltábitur Dóminus exercítuum in iudício, et Deus sanctus sanctificábitur in iustítia. Et pascéntur agni iuxta órdinem suum, et desérta in ubertátem versa ádvenæ cómedent. Væ, qui tráhitis iniquitátem in funículis vanitátis et quasi vínculum plaustri peccátum. Hæc dicit...

℟. ii. Aspiciébam in visu noctis, et ecce in núbibus cæli Fílius hóminis veniébat: et datum est ei regnum et honor: * Et omnis pópulus, tribus et linguæ sérvient ei. ℣. Potéstas eius, potéstas ætérna, quæ non auferétur: et

regnum eius, quod non corrumpétur. - Et omnis pópulus, tribus et linguæ sérvient ei.

Lectio iii

Qui dícitis: Festínet et cito véniat opus eius, ut videámus: et apprópiet et véniat consílium Sancti Israël, et sciémus illud. Væ, qui dícitis malum bonum et bonum malum: ponéntes ténebras lucem et lucem ténebras: ponéntes amárum in dulce et dulce in amárum. Væ, qui sapiéntes estis in óculis vestris et coram vobismetípsis prudéntes. Hæc dicit...

℟. iii. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur. - Glória. - Et vocábitur.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Exspectábo Dóminum Salvatórem meum, et præstolábor eum, dum prope est, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 6

In anno, quo mórtuus est rex Ozías, vidi Dóminum sedéntem super sólium excélsum et elevátum: et ea, quæ sub ipso erant, replébant templum. Séraphim stabant super illud: sex alæ uni et sex alæ álteri: duábus velábant fáciem eius et duábus velábant pedes eius et duábus volábant. Et clamábant alter ad álterum et dicébant: Sanctus, sanctus, sanctus Dóminus Deus exercítuum, plena est omnis terra glória eius. Tu autem.

℟. i. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. - Spíritus Sanctus.

Lectio ii

Et commóta sunt supercília cárdinum a voce clamántis, et domus repléta est fumo. Et dixi: Væ mihi, quia tácui, quia vir pollútus lábiis ego sum, et in médio pópuli pollúta lábia habéntis ego hábito, et regem Dóminum exercítuum vidi óculis meis. Et volávit ad me unus de Séraphim, et in manu eius cálculus, quem fórcipe túlerat de altári. Tu autem.

℟. ii. Salvatórem exspectámus, Dóminum Iesum Christum, * Qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. ℣. Sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem et advéntum glóriæ magni Dei. - Qui.

Lectio iii

Et tétigit os meum, et dixit: Ecce tétigit hoc lábia tua, et auferétur iníquitas tua, et peccátum tuum mundábitur. Et audívi vocem Dómini dicéntis: Quem mittam? et quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit: Vade et dices pópulo huic: Audíte audiéntes, et nolíte intellígere: et vidéte visiónem, et nolíte cognóscere. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. iij. Audíte verbum Dómini, gentes, et annuntiáte illud in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite: * Salvátor noster advéniet. ℣. Annuntiáte et audítum fácite: loquímini et clamáte. - Salvátor noster advéniet. - Glória. - Salvátor.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Ecce véniet Deus, et homo de domo David sedére in throno, allelúia.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Ex Ægýpto vocávi fílium meum: véniet, ut salvet pópulum suum.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 11

Et egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini: non secúndum visiónem oculórum iudicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed iudicábit in iustítia páuperes et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, dicit Dóminus: et vocábitur nomen eius * Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum. - Admirábilis.

Lectio ii

Et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius: et fides cinctórium renum eius. Habitábit lupus cum agno: et pardus cum hædo accubábit: vítulus et leo et ovis simul morabúntur, et puer párvulus minábit eos. Vítulus et ursus pascéntur: simul requiéscent cátuli eórum: et leo quasi bos cómedet páleas. Hæc dicit...

℟. ii. Obsecro, Dómine, mitte quem missúrus es: vide afflictiónem pópuli tui, sicut locútus es: * Veni, et líbera nos. ℣. A solis ortu et occásu, ab aquilóne et mari. - Veni.

Lectio iii

Et delectábitur infans ab úbere super forámine áspidis: et in cavérna réguli, qui ablactátus fúerit, manum suam mittet. Non nocébunt et non occídent in univérso monte sancto meo: quia repléta est terra sciéntia Dómini, sicut aquæ maris operiéntes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populórum, ipsum gentes deprecabúntur, et erit sepúlcrum eius gloriósum. Hæc dicit...

℟. iii. Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra: * Et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus iustus noster. ℣. In diébus illis salvábitur Iuda, et Israël habitábit confidénter. - Et hoc est nomen. - Glória. - Dóminus iustus noster.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Sion, noli timére: Ecce Deus tuus véniet, allelúia.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis.

DOMINICA II IN ADVENTU DOMINI

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

℟. Ecce Dóminus véniet et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna: et exíbunt de Ierúsalem sicut aqua munda: et regnábit Dóminus in ætérnum * Super omnes gentes. ℣. Ecce Dóminus cum virtúte véniet: et regnum in manu eius et poténtas et impérium. - Super. - Glória. - Super.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.

Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. ant. Veni, Dómine, visitáre nos in pace, ut lætémur coram te corde perfécto.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

AD MATUTINUM

Invit. Rex noster advéniet Christus: * Quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

Hymnus Verbum supérnum 570.

In Nocturno

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 14

Prope est ut véniat tempus eius, et dies eius non elongabúntur. Miserébitur enim Dóminus Iacob, et éliget adhuc de Israël, et requiéscere eos fáciet super humum suam: adiungétur ádvena ad eos et adhærébit dómui Iacob. Et tenébunt eos pópuli, et addúcent eos in locum suum: et possidébit eos domus Israël super terram Dómini in servos et ancíllas: et erunt capiéntes eos, qui se céperant, et subícient exactóres suos. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ierúsalem, cito véniet salus tua: quare mæróre consúmeris? numquid consiliárius non est tibi, quia innovávit te dolor? * Salvábo te et liberábo te, noli timére. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. - Salvábo te.

Lectio ii

Et erit in die illa: cum réquiem déderit tibi Deus a labóre tuo et a concussióne tua et a servitúte dura, qua ante servísti: sumes parábolam istam contra regem Babylónis et dices: Quómodo cessávit exáctor, quiévit tribútum? Contrívit Dóminus báculum impiórum, virgam dominántium, cæséntem pópulos in indignatióne, plaga insanábili, subiciéntem in furóre gentes, persequéntem crudéliter. Quómodo cecidísti de cælo, lúcifer, qui mane oriebáris? corruísti in terram, qui vulnerábas gentes? qui dicébas in corde tuo: In cælum conscéndam, super astra Dei exaltábo sólium meum, sedébo in monte testaménti, in latéribus Aquilónis. Ascéndam super altitúdinem núbium, símilis ero Altíssimo. Verúmtamen ad infernum detrahéris in profúndum laci. Hæc dicit...

℟. ii. Cívitas Ierúsalem, noli flere: quóniam dóluit Dóminus super te, * Et áuferet a te omnem tribulatiónem. ℣. Ecce Dóminus in fortitúdine véniet: et bráchium eius dominábitur. - Et áuferet a te.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 11

In illo témpore: Cum audísset Ioánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 6 in Evang. post initium

Visis tot signis tantísque virtútibus non scandalizári quisquam pótuit, sed admirári. Sed infidélium mens grave in illo scándalum pértulit, cum eum post tot miracula moriéntem vidit. Unde et Paulus dicit: Nos autem prædicámus Christum crucifíxum: Iudæis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam. Stultum quippe homínibus visum est, ut pro homínibus Auctor vitæ morerétur: et inde contra eum homo scándalum sumpsit, unde ei ámplius débitor fíeri débuit. Nam tanto Deus ab homínibus dígnius honorándus est, quanto pro homínibus et indígna suscépit.

℟. iii. Rex noster advéniet Christus: * Quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum. ℣. Super ipsum continébunt reges os suum: ipsum gentes deprecabúntur. - Quem Ioánnes prædicávit. - Glória. - Quem Ioánnes. ℟. Rex noster adveniet.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Ecce in núbibus cæli Dóminus véniet cum potestáte magna, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Urbs fortitúdinis nostræ Sion, Salvátor ponétur in ea murus et antemurále: aperíte portas, quia nobíscum Deus, allelúia.

3. Ecce apparébit Dóminus, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniet, et non tardábit, allelúia.

4. Montes et colles cantábunt coram Deo laudem, et ómnia ligna silvárum plaudent mánibus: quóniam véniet dominátor Dóminus in regnum ætérnum, allelúia, allelúia.

5. Ecce Dóminus noster cum virtúte véniet, et illuminābit óculos servórum suórum, allelúia.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pelláutur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Ad Bened. ant. Ioánnes autem, cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens duos ex discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus?

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Adventu, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Ecce dies, hymnus Cónditor alme et ℣. Roráte, cæli, 607.

Ad Magnif. ant. Ite, dícite Ioánni: Cæci vident et surdi áudiunt: claudi curántur, leprósi mundántur.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 16

Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem fíliæ Sion. Et erit: sicut avis fúgiens et pulli de nido avolántes, sic erunt fíliæ Moab in transcénsu Arnon. Ini consílium, coge concílium: pone quasi noctem umbram tuam in merídie: abscónde fugiéntes et vagos ne prodas. Habitábunt apud te prófugi mei: Moab esto latíbulum eórum a fácie vastatóris. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ierúsalem, cito véniet salus tua: quare mæróre consúmeris? numquid consiliárius non est tibi, quia innovávit te dolor? * Salvábo te et liberábo te, noli timére. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. - Salvábo te.

Lectio ii

Finítus est enim pulvis, consummátus est miser: defécit qui conculcábat terram. Et præparábitur in misericórdia sólium, et sedébit super illud in veritáte in tabernáculo David, iúdicans et quærens iudícium et velóciter reddens quod iustum est. Audívimus supérbiam Moab, supérbus est valde: supérbia eius et arrogántia eius et indignátio eius plus quam fortitúdo eius. Hæc dicit...

℟. ii. Ecce Dóminus véniet et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna: et exíbunt de Ierúsalem sicut aqua munda: et regnábit Dóminus in ætérnum * Super omnes gentes. ℣. Ecce Dóminus cum virtúte véniet: et regnum in manu eius et potéstas et impérium. - Super.

Lectio iii

Idcírco ululábit Moab ad Moab, univérsus ululábit: his, qui lætántur super muros cocti láteris, loquímini plagas suas. Quóniam suburbána Hésebon desérta sunt, et víneam Sábama dómini géntium excidérunt: flagélla eius usque ad Iazer pervenérunt: erravérunt in desérto, propágines eius relíctæ sunt, transiérunt mare. Hæc dicit...

℟. iii. Cívitas Ierúsalem, noli flere: quóniam dóluit Dóminus super te,

* Et áuferet a te omnem tribulatiónem. ℣. Ecce Dóminus in fortitúdine véniet: et bráchium eius dominábitur. - Et áuferet. - Glória. - Et áuferet.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. De cælo véniet dominátor Dóminus, et in manu eius honor et impérium.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Ecce véniet Rex dóminus terræ, et ipse áuferet iugum captivitátis nostræ.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 19

Onus Ægýpti. Ecce Dóminus ascéndet super nubem levem et ingrediétur Ægýptum, et commovebúntur simulácra Ægýpti a fácie eius, et cor Ægýpti tabéscet in médio eius. Et concúrrere fáciam Ægýptios advérsus Ægýptios: et pugnábit vir contra fratrem suum, et vir contra amícum suum, cívitas advérsus civitátem, regnum advérsus regnum. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce véniet Dóminus protéctor noster, Sanctus Israël, * Corónam regni habens in cápite suo. ℣. Et dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. - Corónam.

Lectio ii

Et dirumpétur spíritus Ægýpti in viscéribus eius, et consílium eius præcipitábo: et interrogábunt simulácra sua et divínos suos et pythónes et aríolos. Et tradam Ægýptum in manu dominórum crudélium, et rex fortis dominábitur eórum, ait Dóminus Deus exercítuum. Et aréscet aqua de mari, et flúvius desolábitur atque siccábitur. Et defícient flúmina: attenuabúntur et siccabúntur rivi ággerum. Hæc dicit...

℟. ii. Sicut mater consolátur fílios suos, ita consolábor vos, dicit Dóminus: et de Ierúsalem civitáte, quam elégi, véniet vobis auxílium, et vidébitis, * Et gaudébit cor vestrum. ℣. Dabo in Sion salútem et in Ierúsalem glóriam meam. - Et gaudébit.

Lectio iii

Stulti príncipes Táneos, sapiéntes consiliárii Pharaónis dedérunt consílium insípiens: quómodo dicétis Pharaóni: Fílius sapiéntium ego, fílius regum antiquórum? Ubi nunc sunt sapiéntes tui? annúntient tibi et índicent quid cogitáverit Dóminus exercítuum super Ægýptum. Stulti facti sunt príncipes Táneos, emarcuérunt príncipes Mémpheos, decepérunt Ægýptum, ángulum populórum eius. Hæc dicit...

℟. iii. Ierúsalem, plantábis víneam in móntibus tuis: exsultábis, quóniam dies Dómini véniet. Surge, Sion, convértere ad Dóminum Deum tuum: gaude et lætáre, Iacob, * Quia de médio géntium Salvátor tuus véniet. ℣. Exsúlta satis, fília Sion: iúbila, fília Ierúsalem. - Quia de médio géntium. - Glória. - Quia de médio géntium.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas Dei nostri.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 25

Dómine, Deus meus es tu, exaltábo te et confitébor nómini tuo: quóniam fecísti mirabília, cogitatiónes antíquas fidéles, amen. Quia posuísti civitátem in túmulum, urbem fortem in ruínam, domum alienórum: ut non sit cívitas et in sempitérnum non ædificétur. Super hoc laudábit te pópulus fortis, cívitas géntium robustárum timébit te. Quia factus es fortitúdo páuperi, fortitúdo egéno in tribulatióne sua: spes a túrbine, umbráculum ab æstu. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Egrediétur Dóminus de Samaría ad portam,

quæ réspicit ad Oriéntem: et véniet in Béthlehem ámbulans super aquas redemptiónis Iudæ: * Tunc salvus erit omnis homo: quia ecce véniet. ℣. Et præparábitur in misericórdia sólium eius, et sedébit super illud in veritáte. - Tunc.

Lectio ii

Spíritus enim robustórum quasi turbo impéllens paríetem. Sicut æstus in siti, tumúltum alienórum humiliábis: et quasi calóre sub nube torrénte, propáginem fórtium marcéscere fácies. Et fáciet Dóminus exercítuum ómnibus pópulis in monte hoc convívium pínguium, convívium vindémiæ, pínguium medullatórum, vindémiæ defæcátæ. Hæc dicit...

℟. ii. Docébit nos Dóminus vias suas: et ambulábimus in sémitis eius: * Quia de Sion exíbit lex et verbum Dómini de Ierúsalem. ℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob. - Quia.

Lectio iii

Et præcipitábit in monte isto fáciem vínculi colligáti super omnes pópulos et telam quam ordítus est super omnes natiónes. Præcipitábit mortem in sempitérnum: et áuferet Dóminus Deus lácrimam ab omni fácie et oppróbrium pópuli sui áuferet de univérsa terra: quia Dóminus locútus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, exspectávimus eum, et salvábit nos. Hæc dicit...

℟. iii. Rex noster advéniet Christus: * Quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum. ℣. Super ipsum continébunt reges os suum: ipsum gentes deprecabúntur. - Quem Ioánnes. - Glória. - Quem Ioánnes.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam meam ante fáciem tuam.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Sion, renováberis, et vidébis iustum tuum, qui ventúrus est in te.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 26

In die illa cantábitur cánticum istud in terra Iuda: Urbs fortitúdinis nostræ Sion; salvátor ponétur in ea murus et antemurále. Aperíte portas, et ingrediátur gens iusta, custódiens veritátem. Vetus error ábiit: servábis pacem: pacem, quia in te sperávimus. Sperástis in Dómino in sæculis ætérnis, in Dómino Deo forti in perpétuum. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ierúsalem, cito véniet salus tua: quare mæróre consúmeris? numquid consiliárius non est tibi, quia innovávit te dolor? * Salvábo te et liberábo te, noli timére. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. - Salvábo te.

Lectio ii

Quia incurvábit habitántes in excélso, civitátem sublímem humiliábit. Humiliábit eam usque ad terram, détrahet eam usque ad púlverem. Conculcábit eam pes, pedes páuperis, gressus egenórum. Sémita iusti recta est, rectus callis iusti ad ambulándum. Et in sémita iudiciórum tuórum, Dómine, sustinúimus te: nomen tuum et memoriále tuum in desidério ánimæ. Hæc dicit...

℟. ii. Ecce Dóminus véniet et omnes sancti eius cum eo, et erit in die illa lux magna: et exíbunt de Ierúsalem sicut aqua munda: et regnábit Dóminus in ætérnum * Super omnes gentes. ℣. Ecce Dóminus cum virtúte véniet: et regnum in manu eius et potéstas et impérium. - Super.

Lectio iii

Anima mea desiderávit te in nocte: sed et spíritu meo in præcórdiis meis de mane vigilábo ad te. Cum féceris iudícia tua in terra, iustítiam discent habitatóres orbis. Misereámur ímpio, et non discet iustítiam: in terra sanctórum iníqua gessit, et non vidébit glóriam Dómini. Hæc dicit...

℟. iii. Cívitas Ierúsalem, noli flere: quóniam dóluit Dóminus super te, * Et áuferet a te omnem tribulatiónem. ℣. Ecce Dóminus in fortitúdine

véniet: et bráchium eius dominábitur. - Et áuferet a te omnem tribulatiónem. - Glória. - Et áuferet.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Tu es, qui ventúrus es, Dómine, quem exspectámus, ut salvum fácias pópulum tuum.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Qui post me venit, ante me factus est: cuius non sum dignus calceaménta sólvere.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 26

Sicut quæ cóncipit, cum appropinquáverit ad partum, dolens clamat in dolóribus suis: sic facti sumus a fácie tua, Dómine. Concépimus, et quasi parturívimus, et pepérimus spíritum: salútes non fécimus in terra, ídeo non cecidérunt habitatóres terræ. Vivent mórtui tui, interfécti mei resúrgent: expergiscímini et laudáte, qui habitátis in púlvere: quia ros lucis ros tuus, et terram gigántum détrahes in ruínam. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce véniet Dóminus protéctor noster, Sanctus Israël, * Corónam regni habens in cápite suo. ℣. Et dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. - Corónam.

Lectio ii

Vade, pópulus meus, intra in cubícula tua, claude óstia tua super te, abscóndere módicum ad moméntum, donec pertránseat indignátio. Ecce enim Dóminus egrediétur de loco suo, ut vísitet iniquitátem habitatóris terræ contra eum: et revelábit terra sánguinem suum et non opériet ultra interféctos suos. Hæc dicit...

℟. ii. Sicut mater consolátur fílios suos, ita consolábor vos, dicit Dóminus: et de Ierúsalem civitáte, quam elégi, véniet vobis auxílium, et vidébitis, * Et gaudébit cor vestrum. ℣. Dabo in Sion salútem et in Ierúsalem glóriam meam. - Et gaudébit.

Lectio iii Cap. 27

In die illa visitábit Dóminus in gládio suo duro et grandi et forti super Leviáthan serpéntem vectem, et super Leviáthan serpéntem tortuósum, et occídet cetum qui in mari est. In die illa vínea meri cantábit ei. Ego Dóminus qui servo eam, repénte propinábo ei: ne forte visitétur contra eam, nocte et die servo eam. Indignátio non est mihi. Hæc dicit...

℟. iii. Ierúsalem, plantábis víneam in móntibus tuis: exsultábis, quóniam dies Dómini véniet. Surge, Sion, convértere ad Dóminum Deum tuum: gaude et lætáre, Iacob, * Quia de médio géntium Salvátor tuus véniet. ℣. Exsúlta satis, fília Sion: iúbila, fília Ierúsalem. - Quia. - Glória. - Quia.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Dícite: Pusillánimes, confortámini: ecce Dóminus Deus noster véniet.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Cantáte Dómino cánticum novum: laus eius ab extrémis terræ.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 28

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ et sertum exsultatiónis resíduo pópuli sui: et spíritus iudícii sedénti super iudícium et fortitúdo reverténtibus de bello ad portam. Verum hi quoque præ vino nesciérunt et præ ebrietáte erravérunt: sacérdos et prophéta nesciérunt præ ebrietáte, absórpti sunt a vino, erravérunt in ebrietáte, nesciérunt vidéntem, ignoravérunt iudícium. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Egrediétur Dóminus de Samaría ad portam, quæ réspicit ad Oriéntem: et véniet in Béthlehem ámbulans super aquas redemptiónis Iudæ: * Tunc salvus erit omnis homo: quia ecce véniet. ℣. Et præparábitur in misericórdia só-

lium eius, et sedébit super illud in veritáte. - Tunc salvus erit omnis homo: quia ecce véniet.

Lectio ii

Omnes enim mensæ replétæ sunt vómitu sordiúmque, ita ut non esset ultra locus. Quem docébit sciéntiam? et quem intellígere fáciet auditum? ablactátos a lacte, avúlsos ab ubéribus. Quia manda remánda, manda remánda, exspécta reexspécta, exspécta reexspécta, módicum ibi, módicum ibi. In loquéla enim lábii et lingua áltera loquétur ad pópulum istum. Hæc dicit...

℟. ii. Docébit nos Dóminus vias suas: et ambulábimus in sémitis eius: * Quia de Sion exíbit lex et verbum Dómini de Ierúsalem. ℣. Veníte, ascendámus ad montem Dómini et ad domum Dei Iacob. - Quia.

Lectio iii

Cui dixit: Hæc est réquies mea, refícite lassum, et hoc est meum refrigérium: et noluérunt audíre. Et erit eis verbum Dómini: Manda remánda, manda remánda, exspécta reexspécta, exspécta reexspécta, módicum ibi, módicum ibi: ut vadant et cadant retrórsum et conterantur et illaqueéntur et capiántur. Hæc dicit...

℟. iii. Rex noster advéniet Christus: * Quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum. ℣. Super ipsum continébunt reges os suum: ipsum gentes deprecabúntur. - Quem Ioánnes. - Glória. - Quem Ioánnes.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Levábit Dóminus signum in natiónibus, et congregábit dispérsos Israël.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias, ut per eius advéntum purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum vivit.

DOMINICA III IN ADVENTU DOMINI

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

℟. Qui ventúrus est, véniet et non tardábit: et iam non erit timor in fínibus nostris: * Quóniam ipse est Salvátor noster. ℣. Depónet omnes iniquitátes nostras, et proíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. - Quóniam. - Glória. - Quóniam.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.

Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnif. ant. Ante me non est formátus Deus, et post me non erit: quia mihi curvábitur omne genu, et confitébitur omnis lingua.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

AD MATUTINUM

Invit. Súrgite, vigilémus, veníte, adorémus: * Quia nescítis horam quando véniet Dóminus.

Hymnus Verbum supérnum 570.

In Nocturno

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 30

Hæc dicit Dóminus Deus sanctus Israël: Si revertámini et quiescátis, salvi éritis: in siléntio et in spe erit fortitúdo vestra. Et noluístis: et dixístis: Nequáquam, sed ad equos fugiémus: ídeo fugiétis. Et super velóces ascendémus: ídeo velocióres erunt qui persequéntur vos. Mille hómines a fácie terróris uníus: et a

fácie terróris quinque fugiétis, donec relinquámini quasi malus navis in vértice montis et quasi signum super collem. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam et cum eo Sanctórum míllia: habens in vestiménto et in fémore suo scriptum: * Rex regum et Dóminus dominántium. ℣. Apparébit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniens véniet. - Rex regum.

Lectio ii

Proptérea exspéctat Dóminus ut misereátur vestri: et ídeo exaltábitur parcens vobis: quia Deus iudícii Dóminus: beáti omnes qui exspéctant eum. Pópulus enim Sion habitábit in Ierúsalem: plorans nequáquam plorábis, miserans miserébitur tui: ad vocem clamóris tui, statim ut audíerit, respondébit tibi. Et dabit vobis Dóminus panem arctum et aquam brevem: et non fáciet avoláre a te ultra doctórem tuum. Et erunt óculi tui vidéntes præceptórem tuum. Et aures tuæ áudient verbum post tergum monéntis: Hæc est via, ambuláte in ea: et non declinétis neque ad déxteram, neque ad sinístram. Et contaminábis láminas sculptílium argénti tui et vestiméntum conflátilis auri tui, et dispérges ea sicut immundítiam menstruátæ. Hæc dicit...

℟. ii. Qui ventúrus est, véniet et non tardábit: et iam non erit timor in fínibus nostris: * Quóniam ipse est Salvátor noster. ℣. Depónet omnes iniquitátes nostras, et proíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. - Quóniam.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio iii Cap. 1

In illo témpore: Misérunt Iudæi ab Ierosólymis sacerdótes et levítas ad Ioánnem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 7 in Evang.

Ex huius nobis lectiónis verbis, fratres caríssimi, Ioánnis humílitas commendátur: qui, cum tantæ virtútis esset, ut Christus credi potuísset, elégit sólide subsístere in se, ne humána opinióne raperétur iníniter super

se. Nam conféssus est, et non negávit: et conféssus est: Quia non sum ego Christus. Sed cum ex lectióne ália Redemptóris nostri senténtia ad mentem redúcitur, ex huius lectiónis verbis nobis quæstio valde impléxa generátur.

℟. iii. Ecce radix Iesse descéndet in salútem populórum: ipsum gentes deprecabúntur: * Et erit nomen eius gloriósum. ℣. Erit iustítia cíngulum lumbórum eius, et fides cinctórium renum eius. - Et erit. - Glória. - Et erit. ℟. Ecce radix Iesse.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES
et per Horas antiphonæ

1. Véniet Dóminus, et non tardábit, et illumínábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit se ad omnes gentes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Ierúsalem, gaude gáudio magno, quia véniet tibi Salvátor, allelúia.

3. Dabo in Sion salútem, et in Ierúsalem glóriam meam, allelúia.

4. Montes et omnes colles humiliabúntur: et erunt prava in directa, et áspera in vias planas: veni, Dómine, et noli tardáre, allelúia.

5. Iuste et pie vivámus, exspectántes beátam spem et advéntum Dómini.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pelláutur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Ad Bened. ant. Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum, allelúia.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Adventu, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Ecce dies, hymnus Cónditor alme et ℣. Roráte, cæli, 607.

Ad Magnif. ant. Beáta es, María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Vel una ex antiphonis infra positis, quæ incipiunt per O.

VII ANTIPHONÆ AD MAGNIFICAT

DIE XVII DECEMBRIS INCHOANDÆ

Debent sequentes septem antiphonæ quæ incipiunt per O, die 17 decembris inchoari, et sic consequenter dici ad Magnificat vel ad memoriam de Adventu usque ad vigiliam Nativitatis Domini exclusive, servato dumtaxat hoc ordine quo positæ sunt. Et tunc in Vesperis nec preces dicuntur nec prostrationes fiunt, etiam si Officium de feria fuerit.

Die 17 decembris ant. O Sapiéntia, quæ ex ore Altíssimi prodiísti, attíngens a fine usque ad finem fórtiter, suavitérque dispónens ómnia: veni ad docéndum nos viam prudéntiæ.

Die 18 ant. O Adonái, et dux domus Israël, qui Móysi in igne flammæ rubi apparuísti, et ei in Sina Legem dedísti: veni ad rediméndum nos in bráchio exténto.

Die 19 ant. O Radix Iesse, qui stas in signum populórum, super quem continébunt reges os suum, quem gentes deprecabúntur: veni ad liberándum nos, iam noli tardáre.

Die 20 ant. O Clavis David, et sceptrum domus Israël, qui áperis et nemo claudit, claudis et nemo áperit: veni, et educ vinctum de domo cárceris, sedéntem in ténebris et umbra mortis.

Die 21 ant. O Oriens, splendor lucis ætérnæ, et sol iustítiæ: veni, et illúmina sedéntes in ténebris et umbra mortis.

Die 22 ant. O Rex géntium, et desiderátus eárum, lapísque anguláris, qui facis útraque unum: veni et salva hóminem, quem de limo formásti.

Die 23 ant. O Emmánuel, Rex et légifer noster, exspectátio géntium et Salvátor eárum: veni ad salvándum nos, Dómine Deus noster.

Singulis diebus

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Dominica III Adventus, necnon feriis II, III et V

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

Feria IV Quatuor Temporum

Oratio

Festína, quæsumus, Dómine, ne tardáveris: et auxílium nobis supérnæ virtútis impénde; ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur, qui in tua pietáte confídunt: Qui vivis.

Feria VI Quatuor Temporum

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur: Qui vivis.

Ad I Vesperas dominicæ IV Adventus et deinceps

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

ANTIPHONÆ AD LAUDES

dicendæ sex feriis ante vigiliam Nativ. Domini

Antiphonæ hic subiunctæ per sex ferias proximas ante vigiliam Nativitatis Domini dicuntur ad Laudes tantum super psalmos feriales 2 loco, quando de Tempore fit Officium.

Feria secunda

Antiphonæ super psalmos

1. Ecce véniet Dóminus princeps regum terræ: beáti qui paráti sunt occúrrere illi.

2. Cum vénerit Fílius hóminis, putas invéniet fidem super terram?

3. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras.

4. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris.

5. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo: véniet ut salvet pópulum suum.

Feria tertia

Antiphonæ super psalmos

1. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum, aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

2. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem Fíliæ Sion.

3. Ut cognoscámus, Dómine, in terra viam tuam: in ómnibus géntibus salutáre tuum.

4. Da mercédem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur

5. Lex per Móysen data est: grátia et véritas per Iesum Christum facta est.

Feria quarta

Antiphonæ super psalmos

1. Prophétæ prædicavérunt nasci Salvatórem de Vírgine María.

2. Spíritus Dómini super me: evangelizáre paupéribus misit me.

3. Annuntiáte pópulis, et dícite: Ecce Deus Salvátor noster véniet.

4. Ecce véniet Dóminus, ut sédeat cum princípibus, et sólium glóriæ téneat.

5. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur ut splendor iustus eius.

Feria quinta

Antiphonæ super psalmos

1. De Sion véniet Dóminus omnípotens, ut salvum fáciat pópulum suum.

2. Convértere, Dómine, aliquántulum, et ne tardes veníre ad servos tuos.

3. De Sion véniet qui regnatúrus est Dóminus: Emmánuel magnum nomen eius.

4. Ecce Deus meus, et honorábo eum: Deus patris mei, et exaltábo eum.

5. Dóminus légifer noster, Dóminus rex noster, ipse véniet, et salvábit nos.

Feria sexta

Antiphonæ super psalmos

1. Constántes estóte: vidébitis auxílium Dómini super vos.

2. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: veni, et éripe me: Dómine, ad te confúgi.

3. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

4. Deus a Líbano véniet, et splendor eius sicut lumen erit.

5. Ego autem ad Dóminum aspíciam, et exspectábo Deum Salvatórem meum.

Sabbato

Antiphonæ super psalmos

1. Intuémini, quam sit gloriósus iste, qui ingréditur ad salvándos pópulos.

2. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini.

3. Eleváre, eleváre, consúrge, Ierúsalem: solve víncula colli tui, captíva fília Sion.

4. Exspectétur sicut plúvia elóquium Dómini: et descéndet sicut ros super nos Deus noster.

5. Parátus esto, Israël, in occúrsum Dómini, quóniam venit.

Die 21 decembris

Si fiat Officium de festo occurrenti, pro memoria de Adventu ad Laudes dicitur

Ant. Nolíte timére: quinta enim die véniet ad vos Dóminus noster.

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Si vero ea die fiat Officium de dominica, antiphona prædicta dicitur ad Benedictus, loco antiphonæ Ave, María.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 33

Dómine, miserére nostri: te enim exspectávimus: esto bráchium nostrum in mane et salus nostra in témpore tribulatiónis. A voce Angeli fugérunt pópuli, et ab exaltatióne tua dispérsæ sunt gentes. Et congregabúntur spólia vestra sicut collígitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fúerint de eo. Magnificátus est Dóminus, quóniam habitávit in excélso: implévit Sion iudício et iustítia. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam et cum eo Sanctórum míllia: habens in vestiménto et in fémore suo scriptum: * Rex regum et Dóminus dominántium. ℣. Apparébit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniens véniet. - Rex regum.

Lectio ii

Et erit fides in tempóribus tuis: divítiæ salútis sapiéntia et sciéntia: timor Dómini ipse est

thesáurus eius. Contérriti sunt in Sion peccatóres, possédit tremor hypócritas: quis póterit habitáre de vobis cum igne devoránte? quis habitábit ex vobis cum ardóribus sempitérnis? Qui ámbulat in iustítiis et lóquitur veritátem. Hæc dicit...

℟. ii. Béthlehem, cívitas Dei summi, ex te éxiet dominátor Israël, et egréssus eius sicut a princípio, a diébus æternitátis, et magnificábitur in médio univérsæ terræ: et pax erit in terra nostra, * Dum vénerit. ℣. Loquétur pacem géntibus, et potéstas eius a mari usque ad mare. - Dum vénerit.

Lectio iii

Qui próicit avarítiam ex calúmnia et éxcutit manus suas ab omni múnere, qui obtúrat aures suas ne áudiat sánguinem et claudit óculos suos ne vídeat malum. Iste in excélsis habitábit, muniménta saxórum sublímitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fidéles sunt. Regem in decóre suo vidébunt óculi eius, cernent terram de longe. Hæc dicit...

℟. iii. Qui ventúrus est, véniet et non tardábit: et iam non erit timor in fínibus nostris: * Quóniam ipse est Salvátor noster. ℣. Depónet omnes iniquitátes nostras, et proíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. - Quóniam. - Glória. - Quóniam.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Egrediétur virga de radíce Iesse, et replébitur omnis terra glória Dómini: et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Eleváre, eleváre, consúrge, Ierúsalem: solve víncula colli tui, captíva fília Sion.

Vel ant. O.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 42

Ecce servus meus, suscípiam eum: eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi spíritum meum super eum, iudícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox eius foris. Cálamum quassátum non cónteret et linum fúmigans non exstínguet: in veritáte edúcet iudícium. Non erit tristis, neque turbuléntus, donec ponat in terra iudícium: et legem eius ínsulæ exspectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est: concípies, et páries Deum páriter et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres. ℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum: efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. - Ut benedícta.

Lectio ii

Hæc dicit Dóminus Deus creans cælos et exténdens eos: firmans terram et quæ gérminant ex ea: dans flatum pópulo, qui est super eam, et spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in iustítia, et apprehéndi manum tuam et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium: ut aperíres óculos cæcórum et edúceres de conclusióne vinctum, de domo cárceris sedéntes in ténebris. Hæc dicit...

℟. ii. Ægýpte, noli flere: quia dominátor tuus véniet tibi, ante cuius conspéctum movebúntur abýssi, * Liberáre pópulum suum de manu poténtiæ. ℣. Ecce dominátor Dóminus cum virtúte véniet. - Liberáre.

Lectio iii

Cantáte Dómino cánticum novum, laus eius ab extrémis terræ: qui descénditis in mare, et plenitúdo eius, ínsulæ, et habitatóres eárum. Sublevétur desértum et civitátes eius: in dómibus habitábit Cedar: laudáte, habitatóres Petræ, de vértice móntium clamábunt. Ponent Dómino glóriam et laudem eius in ínsulis nuntiábunt. Hæc dicit...

℟. iii. Prope est ut véniat tempus eius, et dies eius non elongabúntur: * Miserébitur Dóminus Iacob, Et Israël salvábitur. ℣. Qui ventúrus est véniet et non tardábit: iam non erit timor in fínibus nostris. - Miserébitur Dóminus Iacob. - Glória. - Et Israël salvábitur.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Tu Béthlehem terra Iuda, non eris mínima: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israël.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Erúmpant montes iucunditátem, et colles iustítiam: quia lux mundi Dóminus cum poténtia venit.

Vel ant. O.

Feria quarta
Quatuor Temporum

AD MATUTINUM

Invit. Prope est iam Dóminus: * Veníte, adorémus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 1

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 in Lucam, in initio

Latent quidem divína mystéria, nec fácile, iuxta prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consílium Dei. Sed tamen ex céteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere, et hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimum elécta est ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur, quod concéperat ex adultério.

℟. i. Clama in fortitúdine, qui annúntias pacem in Ierúsalem: * Dic civitátibus Iudæ et habitatóribus Sion: Ecce Deus noster, quem exspectábamus, advéniet. ℣. Supra montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion: exálta in fortitúdine vocem tuam. - Dic.

Lectio ii

Longius post prædicta

Et ingréssus ad eam Angelus. Disce vírginem móribus, disce vírginem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, et ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret: sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degéneri depravarétur affátu, ab Angelo salutátur.

℟. ii. Oriétur stella ex Iacob, et exsúrget homo de Israël, et confrínget omnes duces alienigenárum; * Et erit omnis terra posséssio eius. ℣. Et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei. - Et.

Lectio iii

Longius post prædicta

Tanti namque mandáti mystérium non hóminis fuit, sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur: Spíritus Sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancílla Dómini: contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est.

℟. iii. Egrediétur Dóminus, et prœliábitur contra gentes: * Et stabunt pedes eius supra montes olivárum ad Oriéntem. ℣. Et elevábitur supra omnes colles, et fluent ad eum omnes gentes. - Et stabunt. - Glória. - Et stabunt.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph.

Oratio

Festína, quæsumus, Dómine, ne tardáveris: et auxílium nobis supérnæ virtútis impénde; ut advéntus tui consolatiónibus sublevéntur, qui in tua pietáte confídunt: Qui vivis.

¶ Hæc oratio dicitur ad Laudes et Vesperas.

Ad Horas autem oratio dominicæ.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Quómodo fiet istud, Angele Dei, quia virum in concipiéndo non pértuli? Audi, María, Virgo Christi: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Vel ant. O.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Invit. Regem ventúrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 43

Et nunc hæc dicit Dóminus creans te, Iacob, et formans te, Israël: Noli timére, quia redémi te et vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te: cum ambuláveris in igne, non comburéris, et flamma non ardébit in te: quia ego Dóminus Deus tuus sanctus Israël salvátor tuus, dedi propitiatiónem tuam Ægýptum, Æthiópiam et Saba pro te. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce apparébit Dóminus super nubem cándidam et cum eo Sanctórum míllia: habens in vestiménto et in fémore suo scriptum: * Rex regum et Dóminus dominántium. ℣. Apparébit in finem, et non mentiétur: si moram fécerit, exspécta eum, quia véniens véniet. - Rex regum.

Lectio ii

Ex quo honorábilis factus es in óculis meis et gloriósus: ego diléxi te, et dabo hómines pro te et pópulos pro ánima tua. Noli timére, quia ego tecum sum: ab oriénte addúcam semen tuum, et ab occidénte congregábo te. Dicam aquilóni: Da: et austro: Noli prohibére: affer fílios meos de longínquo et fílias meas ab extrémis terræ. Hæc dicit...

℟. ii. Béthlehem, cívitas Dei summi, ex te éxiet dominátor Israël, et egréssus eius sicut a princípio, a diébus ætérnitátis, et magnificábitur in médio univérsæ terræ: et pax erit in terra nostra, * Dum vénerit. ℣. Loquétur pacem in géntibus, et potéstas eius a mari usque ad mare. - Dum vénerit.

Lectio iii

Et omnem, qui ínvocat nomen meum, in glóriam meam creávi eum, formávi eum et feci eum. Educ foras pópulum cæcum et óculos habéntem: surdum et aures ei sunt. Omnes gentes congregátæ sunt simul, et colléctæ sunt tribus: quis in vobis annúntiet istud, et quæ prima sunt audíre nos fáciet? dent testes eórum, iustificéntur et áudiant et dicant: Vere. Hæc dicit...

℟. iii. Qui ventúrus est, véniet et non tardábit: et iam non erit timor in fínibus nostris: * Quóniam ipse est Salvátor noster. ℣. Depónet omnes iniquitátes nostras, et proíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. - Quóniam. - Glória. - Quóniam.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Vigiláte ánimo: in próximo est Dóminus Deus noster.

Oratio

Aurem tuam, quæsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda; et mentis nostræ ténebras grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Lætámini cum Ierúsalem, et exsultáte in ea, omnes qui dilígitis eam, in ætérnum.

Vel ant. O.

Feria sexta

Quatuor Temporum

AD MATUTINUM

Invit. Prope est iam Dóminus: * Veníte, adorémus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 1

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Iuda. Et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 in Lucam

Morále est ómnibus, ut qui fidem éxigunt, fidem ástruant. Et ídeo Angelus, cum abscóndita nuntiáret, ut fidem astrúeret exémplo, senióris féminæ sterilísque concéptum Vírgini Maríæ nuntiávit: ut possíbile Deo omne quod ei placúerit, asséreret. Ubi audívit hoc María, non quasi incrédula de oráculo, nec quasi incérta de núntio, nec quasi dúbitans de exémplo; sed quasi læta pro voto, religiósa pro offício, festína præ gáudio, in montána perréxit.

℟. i. Præcúrsor pro nobis ingréditur Agnus sine mácula: secúndum órdinem Melchísedech * Póntifex factus est in ætérnum et in sæculum sæculi. ℣. Ipse est rex iustítiæ, cuius generátio non habet finem. - Póntifex.

Lectio ii

Quo enim iam Deo plena, nisi ad superióra cum festinatióne contenderet? Nescit tarda molímina Sancti Spíritus grátia. Díscite et vos, sanctæ mulíeres, sedulitátem, quam prægnántibus debeátis exhibére cognátis. Maríam, quæ ante sola in íntimis penetrálibus versabátur, non a públicо virginitátis pudor, non a stúdio aspéritas móntium, non ab offício prolíxitas itíneris retardávit. In montána Virgo cum festinatióne, Virgo offícii memor, iniúriæ ímmemor, afféctu urgénte, non sexu, relícta perréxit domo.

℟. ii. Modo véniet dominátor Dóminus: * Et nomen eius Emmánuel vocábitur. ℣. Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis. - Et nomen.

Lectio iii

Díscite, vírgines, non circumcursáre per aliénas ædes, non demorári in platéis, non áliquos in públicо miscére sermónes. María in domo sera, festína in públicо, mansit apud cognátam suam tribus ménsibus. Didicístis, vírgines, pudórem Maríæ; díscite humilitátem. Venit propínqua ad próximam, iúnior ad seniórem: nec solum venit, sed étiam prior salutávit. Decet enim, ut quanto cástior virgo, tanto humílior sit.

℟. iii. Vidébunt gentes iustum tuum et cuncti reges ínclitum tuum: * Et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit. ℣. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. - Et vocábitur. - Glória. - Et vocábitur.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Ex quo facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo, allelúia.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur: Qui vivis.

¶ Hæc oratio dicitur ad Laudes et Vesperas.

Ad Horas autem oratio dominicæ.

AD VESPERAS

℣. Roráte, cæli.
℟. Aperiátur.

Ad Magnif. ant. Beáta es, María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Vel ant. O.

Sabbato
Quatuor Temporum

AD MATUTINUM

Invit. Prope est iam Dóminus: * Veníte, adorémus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 3

Anno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Iudæam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 20 in Evang.

Redemptóris nostri Præcúrsor, quo témpore prædicatiónis offícium accéperit, memoráto Románæ reipúblicæ príncipe et Iudææ régibus, designátur. Quia enim illum prædicáre veniébat, qui et ex Iudæa quosdam et multos ex géntibus redemptúrus erat: per regem géntium et príncipes Iudæórum prædicatiónis eius témpora designántur.

℟. i. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra desérti * Ad montem fíliæ Sion. ℣. Ex Sion spécies decóris eius: Deus noster maniféste véniet. - Ad.

Lectio ii

Quia autem gentílitas colligénda erat et Iudæa pro culpa perfídiæ dispergénda, ipsa quoque descríptio terréni principátus osténdit: quóniam et in Romána república unus præfuísse descríbitur, et in Iudææ regno per quartam partem plúrimi principabántur. Voce étenim nostri Redemptóris dícitur: Omne regnum in seípsum divísum desolábitur. Liquet ergo quod ad finem regni Iudæa pervénerat, quæ tot régibus divísa subiacébat.

℟. ii. Germinavérunt campi erémi germen odóris Israël: quia ecce Deus noster cum virtúte véniet, * Et splendor eius cum eo. ℣. Ecce dominátor Dóminus cum virtúte véniet. - Et splendor.

Lectio iii

Apte quoque non solum quibus régibus, sed étiam quibus sacerdótibus actum sit, demonstrátur: et quia illum Ioánnes Baptísta prædicáret, qui simul Rex et Sacérdos exsísteret, Lucas Evangelísta prædicatiónis eius témpora per regnum et sacerdótium designávit. Et venit

in omnem regiónem Iordánis prædicans baptísmum pæniténtiæ, in remissiónem peccatórum.

℟. iii. Radix Iesse, qui exsúrget iudicáre gentes, in eum gentes sperábunt: * Et erit nomen eius benedíctum In sæcula. ℣. Super ipsum continébunt reges os suum: ipsum gentes deprecabúntur. - Et erit. - Glória. - In sæcula.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Omnis vallis implébitur, et omnis mons et collis humiliábitur: et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia ex nostra pravitáte afflígimur; concéde propítius ut ex tua visitatióne consolémur: Qui vivis.

¶ Hæc oratio dicitur ad Laudes tantum.

Ad Tertiam autem, Sextam et Nonam oratio dominicæ.

DOMINICA IV IN ADVENTU DOMINI

I classis

¶ Si vigilia Nativitatis Domini in hac dominica evenerit, Officium fit ut notatur infra 54.

AD I VESPERAS

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

℟. Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit exspectátio géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi eius vino, et dentes eius lacte candidióres. - Et ipse. - Glória. - Et ipse.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe, Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.

Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.

Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.

Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria
Nutu faténtur súbdita.

Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Ad Magnificat antiphona O.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis et regnas.

AD MATUTINUM

Invit. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum natum de Vírgine, factum sub lege: * Veníte, adorémus.

Hymnus Verbum supérnum 570.

In Nocturno

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 51

Audíte me, qui sequímini quod iustum est et quæritis Dóminum: atténdite ad petram unde excísi estis et ad cavérnam laci de qua præcísi estis. Atténdite ad Abraham patrem vestrum et ad Saram, quæ péperit vos: quia unum vocávi eum et benedíxi ei et multiplicávi eum. Consolábitur ergo Dóminus Sion et consolábitur omnes ruínas eius: et ponet desértum eius quasi delícias et solitúdinem eius quasi hortum Dómini. Gáudium et lætítia inveniétur in ea, gratiárum áctio et vox laudis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annuntiáte pópulis, et dícite: * Ecce Deus Salvátor noster advéniet. ℣. Annuntiáte in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite. - Ecce Deus.

Lectio ii

Atténdite ad me, pópule meus et tribus mea, me audíte: quia lex a me éxiet, et iudícium meum in lucem populórum requiéscet. Prope est iustus meus, egréssus est Salvátor meus, et bráchia mea pópulos iudicábunt: me ínsulæ exspec-

tábunt et bráchium meum sustinébunt. Leváte in cælum óculos vestros et vidéte sub terra deórsum: quia cæli sicut fumus liquéscent, et terra sicut vestiméntum atterétur, et habitatóres eius sicut hæc interíbunt: Salus autem mea in sempitérnum erit, et iustítia mea non defíciet. Audíte me, qui scitis iustum, pópulus meus, lex mea in corde eórum: nolíte timére oppróbrium hóminum, et blasphémias eórum ne metuátis. Sicut enim vestiméntum, sic cómedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorábit eos tínea: Salus autem mea in sempitérnum erit, et iustítia mea in generatiónes generatiónum. Hæc dicit...

℟. ii. Me opórtet mínui, illum autem créscere: qui autem post me venit, ante me factus est: * Cuius non sum dignus corrígiam calceamentórum sólvere. ℣. Ego baptizávi vos aqua, ille autem baptizábit vos Spíritu Sancto. - Cuius.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 3

Anno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Iudæam. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 20 in Evang. ante medium

Dicébat Ioánnes ad turbas, quæ exíbant ut baptizaréntur ab eo: Genímina viperárum, quis osténdit vobis fúgere a ventúra ira? Ventúra enim ira est animadvérsio ultiónis extrémæ: quam tunc fúgere peccátor non valet, qui nunc ad laménta pæniténtiæ non recúrrit. Et notándum quod malæ sóboles, malórum paréntum actiónes imitántes, genímina viperárum vocántur: quia per hoc quod bonis ínvident eósque persequúntur, quod quibúsdam mala retríbuunt, quod læsiónes próximis exquírunt: quóniam in his ómnibus patrum suórum carnálium vias sequúntur, quasi venenáti fílii de venenátis paréntibus nati sunt.

℟. iii. Montes Israël, ramos vestros expándite et floréte et fructus fácite: * Prope est ut véniat dies Dómini. ℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. - Prope est. - Glória. - Prope est. - Montes Israël.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Cánite tuba in Sion, quia prope est dies Dómini: ecce véniet ad salvándum nos, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Ecce véniet desideratus cunctis géntibus: et replébitur glória domus Dómini, allelúia.

3. Erunt prava in directa, et áspera in vias planas: veni, Dómine, et noli tardáre, allelúia.

4. Dóminus véniet, occúrrite illi dicéntes: Magnum princípium, et regni eius non erit finis: Deus, fortis, dominátor, princeps pacis, allelúia, allelúia.

5. Omnípotens sermo tuus, Dómine, a regálibus sédibus venit, allelúia.

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Ad Bened. ant. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúia.

Die 21 decembris, loco antiphonæ Ave, María, dicitur

Ant. Nolíte timére: quinta enim die véniet ad vos Dóminus noster.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Capitula, ℟℟. et ℣℣. de Adventu, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Ecce dies, hymnus Cónditor alme et ℣. Roráte, cæli, 607.

Ad Magnif. ant. O.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 54

Lauda, stérilis, quæ non paris: decánta laudem et hinni, quæ non pariébas: quóniam multi fílii desértæ magis quam eius quæ habet virum, dicit Dóminus. Diláta locum tentórii tui, et pelles tabernaculórum tuórum exténde, ne parcas: longos fac funículos tuos et clavos tuos consólida. Ad déxteram enim et ad lævam penetrábis: et semen tuum gentes hereditábit et civitátes desértas inhabitábit. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annuntiáte pópulis, et dícite: * Ecce Deus Salvátor noster advéniet. ℣. Annuntiáte in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite. - Ecce Deus.

Lectio ii

Noli timére quia non confundéris, neque erubésces: non enim te pudébit, quia confusiónis adolescéntiæ tuæ oblivíscéris et oppróbrii viduitátis tuæ non recordáberis ámplius. Quia dominábitur tui qui fecit te, Dóminus exercítuum nomen eius: et redémptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocábitur. Quia ut mulíerem derelíctam et mæréntem spíritu vocávit te Dóminus, et uxórem ab adolescéntia abiéctam dixit Deus tuus. Hæc dicit...

℟. ii. Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit exspectátio géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi eius vino, et dentes eius lacte candidióres. - Et.

Lectio iii

Ad punctum in módico derelíqui te, et in miseratiónibus magnis congregábo te. In moménto indignatiónis abscóndi fáciem meam parúmper a te, et in misericórdia sempitérna misértus sum tui: dixit redémptor tuus Dóminus. Sicut in diébus Noë istud mihi est, cui iurávi ne indúcerem aquas Noë ultra supra terram: sic iurávi ut non iráscar tibi et non íncrepem te. Hæc dicit...

℟. iii. Me opórtet mínui, illum autem créscere: qui autem post me venit, ante me factus est: * Cuius non sum dignus corrígiam calceamentórum sólvere. ℣. Ego baptizávi vos aqua, ille autem baptizábit vos Spíritu Sancto. - Cuius. - Glória. - Cuius.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Dicit Dóminus: Pæniténtiam ágite: appropinquávit enim regnum cælórum, allelúia.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

Ad Magnif. ant. O.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 64

Utinam dirúmperes cælos et descénderes: a fácie tua montes defluérent. Sicut exústio ignis tabéscerent, aquæ arderent igni, ut notum fíeret nomen tuum inimícis tuis: a fácie tua gentes turbaréntur. Cum féceris mirabília, non sustinébimus: descendísti, et a fácie tua montes defluxérunt. A sæculo non audiérunt, neque áuribus percepérunt: óculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparásti exspectántibus te. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub Lege: * Ut eos, qui sub Lege erant, redímeret. ℣. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. - Ut eos.

Lectio ii

Occurrísti lætánti et faciénti iustítiam: in viis tuis recordabúntur tui:

ecce tu irátus es, et peccávimus: in ipsis fúimus semper et salvábimur. Et facti sumus ut immúndus omnes nos, et quasi pannus menstruátæ univérsæ iustítiæ nostræ: et cecídimus quasi fólium univérsi, et iniquitátes nostræ quasi ventus abstulérunt nos. Non est qui ínvocet nomen tuum: qui consúrgat et téneat te. Hæc dicit...

℟. ii. Virgo Israël, revértere ad civitátes tuas: úsquequo dolens avertéris? Generábis Dóminum Salvatórem, oblatiónem novam in terra: ambulábunt hómines * In salvatiónem. ℣. In caritáte perpétua diléxi te: ídeo attráxi te míserans. - In salvatiónem.

Lectio iii

Abscondísti fáciem tuam a nobis, et allisísti nos in manu iniquitátis nostræ. Et nunc, Dómine, pater noster es tu, nos vero lutum: et fictor noster tu, et ópera mánuum tuárum omnes nos. Ne irascáris, Dómine, satis, et ne ultra memíneris iniquitátis nostræ: ecce réspice, pópulus tuus omnes nos. Cívitas sancti tui facta est desérta, Sion desérta facta est, Ierúsalem desoláta est. Hæc dicit...

℟. iii. Iurávi, dicit Dóminus, ut ultra iam non iráscar super terram: montes enim et colles suscípient iustítiam meam: et testaméntum pacis erit * In Ierúsalem. ℣. Iuxta est salus mea ut véniat, et iustítia mea ut revelétur. - In Ierúsalem. - Glória. - In Ierúsalem.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdinem, bráchium Dómini.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

Ad Magnif. ant. O.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 65

Vos, qui dereliquístis Dóminum, qui oblíti estis montem sanctum meum, qui pónitis Fortúnæ mensam et libátis super eam; numerábo vos in gládio, et omnes in cæde corruétis: pro eo quod vocávi, et non respondístis: locútus sum, et non audístis: et faciebátis malum in óculis meis et quæ nólui elegístis. Propter hoc hæc dicit Dóminus Deus: Ecce servi mei cómedent, et vos esuriétis: ecce servi mei bibent, et vos sitiétis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Non discédimus a te, vivificábis nos, Dómine, et nomen tuum invocábimus: osténde nobis fáciem tuam, * Et salvi érimus. ℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: vísita nos in salutári tuo. - Et salvi érimus.

Lectio ii

Ecce servi mei lætabúntur, et vos confundémini. Ecce servi mei laudábunt præ exsultatióne cordis, et vos clamábitis præ dolóre cordis, et præ contritióne spíritus ululábitis. Et dimittétis nomen vestrum in iuraméntum eléctis meis: et interfíciet te Dóminus Deus, et servos suos vocábit nómine álio. In quo qui benedíctus est super terram, benedicétur in Deo amen: et qui iurat in terra, iurábit in Deo amen: quia oblivióni tráditæ sunt angústiæ prióres, et quia abscónditæ sunt ab óculis meis. Hæc dicit...

℟. ii. Intuémini quantus sit iste, qui ingréditur ad salvándas gentes: iste est Rex iustítiæ, * Cuius generátio non habet finem. ℣. Præcúrsor pro nobis ingréditur: secúndum órdinem Melchísedech Póntifex factus est in ætérnum. - Cuius.

Lectio iii

Ecce enim ego creo cælos novos et terram novam: et non erunt in memória prióra et non ascéndent super cor. Sed gaudébitis et exsultábitis usque in sempitérnum in his quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierúsalem exsultatiónem et pópulum eius gáudium. Et exsultábo in Ierúsalem et gaudébo in pópulo meo: et non audiétur in eo ultra vox fletus et vox clamóris. Non erit ibi ámplius infans diérum et senex qui non ímpleat dies suos: quóniam puer centum annórum moriétur, et peccátor centum annórum maledíctus erit. Hæc dicit...

℟. iii. Montes Israël, ramos vestros expándite et floréte et fructus fácite: * Prope est ut véniat dies Dómini. ℣. Roráte, cæli,

désuper, et nubes pluant iustum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. - Prope est ut véniat dies Dómini. - Glória. - Prope est.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Ponent Dómino glóriam, et laudem eius in ínsulis nuntiábunt: quia ecce véniet, et non tardábit.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

Ad Magnif. ant. O.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 66

Hæc dicit Dóminus: Cælum sedes mea, terra autem scabéllum pedum meórum: quæ est ista domus, quam ædificábitis mihi? et quis est iste locus quiétis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, et facta sunt univérsa ista, dicit Dóminus: ad quem autem respíciam, nisi ad paupérculum et contrítum spíritu et treméntem sermónes meos? Qui ímmolat bovem, quasi qui interfíciat virum. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Cánite tuba in Sion, vocáte gentes, annuntiáte pópulis, et dícite: * Ecce Deus Salvátor noster advéniet. ℣. Annuntiáte in fínibus terræ: et in ínsulis, quæ procul sunt, dícite. - Ecce Deus.

Lectio ii

Qui mactat pecus, quasi qui excérebret canem, qui offert oblatiónem, quasi qui sánguinem suíllum ófferat: qui recordátur thuris, quasi qui benedícat idólo. Hæc ómnia elegérunt in viis suis, et in abominatiónibus suis ánima eórum delectáta est. Unde et ego éligam illusiónes eórum: et quæ timébant addúcam eis: quia vocávi, et non erat qui respondéret: locútus sum, et non audiérunt: feceruntque malum in óculis meis et quæ nólui elegérunt. Hæc dicit...

℟. ii. Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit exspectátio

géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi eius vino, et dentes eius lacte candidióres. - Et.

Lectio iii

Audíte verbum Dómini, qui trémitis ad verbum eius: dixérunt fratres vestri odiéntes vos et abiciéntes propter nomen meum: glorificétur Dóminus, et vidébimus in lætítia vestra: ipsi autem confundéntur. Vox pópuli de civitáte, vox de templo, vox Dómini reddéntis retributiónem inimícis suis. Antequam parturíret, péperit: ántequam veníret partus eius, péperit másculum. Hæc dicit...

℟. iii. Me opórtet mínui, illum autem créscere: qui autem post me venit, ante me factus est: * Cuius non sum dignus corrígiam calceamentórum sólvere. ℣. Ego baptizávi vos aqua, ille autem baptizábit vos Spíritu Sancto. - Cuius. - Glória. - Cuius.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Dóminus Deus vester.

Ad Magnif. ant. O.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 66

Lætámini cum Ierúsalem et exsultáte in ea, omnes qui dilígitis eam: gaudéte cum ea gáudio, univérsi qui lugétis super eam: ut sugátis et repleámini ab úbere consolatiónis eius: ut mulgeátis et delíciis affluátis ab omnímoda glória eius. Quia hæc dicit Dóminus: Ecce ego declinábo super eam quasi flúvium pacis et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce iam venit plenitúdo témporis, in quo misit Deus Fílium suum in terras, natum de Vírgine, factum sub Lege: * Ut eos, qui sub Lege erant, redímeret. ℣. Propter nímiam caritátem suam, qua diléxit nos Deus, Fílium suum misit in similitúdinem carnis peccáti. - Ut eos.

Lectio ii

Ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis. Quómodo, si cui mater blandiátur,

ita ego consolábor vos, et in Ierúsalem consolabímini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis eius, et indignábitur inimícis suis. Quia ecce Dóminus in igne véniet, et quasi turbo quadrígæ eius: réddere in indignatióne furórem suum et increpatiónem suam in flamma ignis. Hæc dicit...

℟. ii. Virgo Israël, revértere ad civitátes tuas: úsquequo dolens averteris? Generábis Dóminum Salvatórem, oblatiónem novam in terra: ambulábunt hómines * In salvatiónem. ℣. In caritáte perpétua diléxi te: ídeo attráxi te míserans. - In salvatiónem.

Lectio iii

Quia sicut cæli novi et terra nova, quæ ego fácio stare coram me, dicit Dóminus: sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, et sábbatum ex sábbato: véniet omnis caro ut adóret coram fácie mea, dicit Dóminus. Et egrediéntur, et vidébunt cadávera virórum, qui prævaricáti sunt in me: vermis eórum non moriétur, et ignis eórum non exstinguétur: et erunt usque ad satietátem visiónis omni carni. Hæc dicit...

℟. iii. Iurávi, dicit Dóminus, ut ultra iam non iráscar super terram: montes enim et colles suscípient iustítiam meam: et testaméntum pacis erit * In Ierúsalem. ℣. Iuxta est salus mea ut véniat, et iustítia mea ut revelétur. - In Ierúsalem. - Glória. - In Ierúsalem.

AD LAUDES

℣. Vox clamántis.
℟. Paráte.

Ad Bened. ant. Dies Dómini sicut fur ita in nocte véniet: et vos estóte paráti, quia qua hora non putátis Fílius hóminis véniet.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam et veni, et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

Ad Magnif. ant. O.

¶ Si vigilia Nativitatis Domini venerit in dominica, Officium fit hoc modo:

Sabbato præcedenti, ad Vesperas, omnia dicuntur ut ad I Vesperas dominicæ IV Adventus;

Ad Matutinum omnia ut in vigilia Nativitatis Domini, ut infra, sed in Nocturno dicuntur novem psalmi cum suis antiphonis de dominica tempore Adventus;

Ad Laudes et Horas omnia de vigilia, ut infra, sine memoria dominicæ.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI

I classis

AD MATUTINUM

Non fiunt prostrationes.

Invit. Hódie sciétis quia véniet Dóminus: * Et mane vidébitis glóriam eius.

Hymnus

Verbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis:
Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema,
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tandem lúbrica.
Iudéxque cum post áderis
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Iustísque regnum pro bonis:
Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes
Simus perénnes cælibes.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Antiphonæ et psalmi de feria.

℣. Hódie sciétis quia véniet Dóminus. ℟. Et mane vidébitis glóriam eius.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. i

Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. i Comm. in cap. i Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Ioseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Iudæis ut adúltera: tértio, ut in Ægýptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam cur a desponsáta concéptus sit: Ut partus, ínquiens, eius celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. i. Sanctificámini hódie, et estóte paráti: quia die crástina vidébitis * Maiestátem Dei in vobis. ℣. Hódie sciétis quia vé-

niet Dóminus: et mane vidébitis. - Maiestátem Dei in vobis.

Lectio ii

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Non ab álio invénta est nisi a Ioseph, qui pæne licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur, Antequam convenírent, non séquitur ut póstea convénerint: sed Scriptúra quod factum non sit osténdit.

℟. ii. Constántes estóte: vidébitis auxílium Dómini super vos: Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: * Cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum. ℣. Sanctificámini, fílii Israël, et estóte paráti. - Cras egrediémini.

Lectio iii

Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ coniúngitur, unum corpus effícitur: et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Ioseph, cum crimen celáret uxóris, iustus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Ioseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cuius mystérium nesciébat.

℟. iii. Sanctificámini, fílii Israël, dicit Dóminus: die enim crástina descéndet Dóminus, * Et áuferet a vobis omnem languórem. ℣. Ex Sion spécies decóris eius: Deus noster maniféste véniet. - Et áuferet. - Glória. - Et áuferet.

Non repetitur prædictum ℟. Sanctificámini, fílii Israël, nisi dominica fuerit.

Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ. ℟. Et regnábit super nos Salvátor mundi.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: cras egrediémini, et Dóminus erit vobíscum.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Crástina die erit vobis salus, dicit Dóminus Deus exercítuum.

3. Hódie sciétis quia véniet Dóminus: et mane vidébitis glóriam eius.

4. Propter Sion non tacébo, donec egrediátur ut splendor iustus eius.

5. Crástina die delébitur iníquitas terræ: et regnábit super nos Salvátor mundi.

Capitulum Is. 62

Propter Sion non tacébo, et propter Ierúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor iustus eius, et salvátor eius ut lampas accendátur.

Hymnus

Vox clara ecce íntonat,
Obscúra quæque íncrepat:
Pellántur éminus sómnia,
Ab æthre Christus prómicat.

Mens iam resúrgat tórpida,
Quæ sorde exstat sáucia:
Sidus refúlget iam novum,
Ut tollat omne nóxium.

E sursum Agnus míttitur
Laxáre gratis débitum:
Omnes pro indulgéntia
Vocem demus cum lácrimis:

Secúndo ut cum fúlserit,
Mundúmque horror cínxerit,
Non pro reátu púniat,
Sed pius nos tunc prótegat.

Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Constántes estóte. ℟. Vidébitis auxílium Dómini super vos.

Ad Bened. ant. Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas: præsta ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque iúdicem secúri videámus: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

¶ Hæc oratio dicitur ad Tertiam, Sextam et Nonam.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 1

Cum esset desponsáta mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Tu autem, Dómine.

Ad Horas psalmi de dominica; sed ad Primam, loco psalmi 117 Confitémini, dicitur psalmus 53 Deus, in nómine tuo. Quod observatur in omnibus Officiis in quibus sequens ponitur rubrica: Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: cras egre-

diémini, et Dóminus erit vobíscum.

Capitulum Regi sæculórum.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui ventúrus es in mundum.

Oratio In hac hora.

AD TERTIAM

Ant. Crástina die erit vobis salus, dicit Dóminus Deus exercítuum.

Capitulum Is. 62

Propter Sion non tacébo, et propter Ierúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut splendor iustus eius, et salvátor eius ut lampas accendátur.

℟. Hódie sciétis, * Quia véniet Dóminus. Hódie sciétis. ℣. Et mane vidébitis glóriam eius. Quia véniet Dóminus. Glória. Hódie sciétis.

℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ. ℟. Et regnábit super nos Salvátor mundi.

Oratio

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas: præsta ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque iúdicem secúri videámus: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD SEXTAM

Ant. Hódie sciétis quia véniet Dóminus: et mane vidébitis glóriam eius.

Capitulum Is. 62

Vidébunt gentes iustum tuum et cuncti reges ínclitum tuum: et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominábit.

℟. Crástina die * Delébitur iníquitas terræ. Crástina die. ℣. Et regnábit super nos Salvátor mundi. Delébitur iníquitas terræ. Glória. Crástina die.

℣. Crástina die erit vobis salus. ℟. Dicit Dóminus exercítuum.

AD NONAM

Ant. Crástina die delébitur iníquitas terræ: et regnábit super nos Salvátor mundi.

Capitulum Is. 62

Non vocáberis ultra Derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius Desoláta: sed vocáberis Volúntas mea in ea, et terra tua Inhabitáta.

℟. Crástina die * Erit vobis salus. Crástina die. ℣. Dicit Dóminus exercítuum. Erit vobis salus. Glória. Crástina die.

℣. Constántes estóte. ℟. Vidébitis auxílium Dómini super vos.

IN NATIVITATE DOMINI

I classis cum octava II classis

AD I VESPERAS

Antiphonæ

Rex pacíficus magnificátus est: cuius vultum desíderat univérsa terra.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

2. Magnificátus est Rex pacíficus super omnes reges univérsæ terræ.

3. Scitóte quia prope est regnum Dei: amen dico vobis, quia non tardábit.

4. Leváte cápita vestra: ecce appropinquábit redémptio vestra.

5. Compléti sunt dies Maríæ, ut páreret Fílium suum primogénitum.

Capitulum Is. 9

Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis.

℟. Iudæa et Ierúsalem, nolíte timére: * Cras egrediémini, Et Dóminus erit vobíscum. ℣. Constántes estóte: vidébitis auxílium Dómini super vos. - Cras egrediémini. - Glória. - Et Dóminus erit vobíscum.

Hymnus

Veni, Redémptor géntium,
Osténde partum Vírginis:
Mirétur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.
Non ex viríli sémine,
Sed mýstico spirámine
Verbum Dei factum caro
Fructúsque ventris flóruit.
Alvus tuméscit Vírginis,
Claustra pudóris pérmanent,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.
Procédens de thálamo suo,
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ,
Alacris ut currat viam.
Egréssus eius a Patre,
Regréssus eius ad Patrem:
Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.
Æquális ætérno Patri,
Carnis trophæo accíngere:
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Præsépe iam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque iugi lúceat.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Cum ortus fúerit sol de cælo, vidébitis Regem regum procedéntem a Patre, tamquam sponsum de thálamo suo.

Oratio

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas: præsta ut Unigénitum tuum, quem redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque iúdicem secúri videámus: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Compléti sunt dies Maríæ, ut páreret Fílium suum primogénitum.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Ecce compléta sunt ómnia quæ dicta sunt per Angelum de Vírgine María.

AD MATUTINUM

Invit. Christus natus est nobis: * Veníte, adorémus.

Hymnus

Christe, Redémptor ómnium,
Ex Patre, Patris Unice,
Solus ante princípium
Natus ineffabíliter.
Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.
Meménto, salútis auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.
Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculum,
Quod solus a sede Patris
Mundi salus advéneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est,
Auctórem advéntus tui
Laudans exsúltat cántico.
Nos quoque, qui sancto tuo
Redémpti sánguine sumus,
Ob diem natális tui
Hymnum novum concínimus.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Diebus 29, 30 et 31 decembris, si de octava fiat:

Prima die ant. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Secunda die ant. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo.

Tertia die ant. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ant. 1 Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?
Astitérunt reges terræ ℣. et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.
Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.
Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.
Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.
Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.
Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.
Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.
Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.
Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.
Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.
Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.
Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Ant. 2 Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.
Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.
In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣. ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo.

Ant. 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣. diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣. pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum * et in sæculum sæculi.

Ant. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

Tres lectiones sequentes leguntur sine titulo.

Lectio i Is. 9

Primo témpore alleviáta est terra Zábulon et terra Néphthali: et novíssimo aggraváta est via maris trans Iordánem Galilææ géntium. Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicásti gentem et non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius, et virgam húmeri eius, et sceptrum exactóris eius superásti sicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, et vestiméntum mixtum sánguine, erit in combustiónem et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum eius: et vocábitur

nomen eius, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri sæculi, Princeps pacis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Hódie nobis cælórum Rex de Vírgine nasci dignátus est, ut hóminem pérditum ad regna cæléstia revocáret. Gaudet exércitus Angelórum, * Quia salus ætérna humáno géneri appáruit. ℣. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. - Quia.

Lectio ii Is. 40

Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Ierúsalem et advocáte eam: quóniam compléta est malítia eius, dimíssa est iníquitas illíus: suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in directa, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis: Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fenum, et omnis glória eius quasi flos agri. Exsiccátum est fenum et cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. Vere fenum est pópulus: exsiccátum est fenum et cécidit flos: Verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. Hódie nobis de cælo pax vera descéndit: * Hódie per totum mundum mellíflui facti sunt cæli. ℣. Hódie illúxit dies redemptiónis novæ, reparatiónis antíquæ, felicitátis ætérnæ. - Hódie.

Lectio iii Is. 52

Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tua, Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ, Ierúsalem cívitas Sancti: quia non adíciet ultra ut pertránseat per te incircumcísus et immúndus. Excútere de púlvere, consúrge, sede, Ierúsalem: solve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus: Grátis venúmdati estis, et sine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus: In Ægýptum descéndit pópulus meus in princípio, ut colónus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratis? Dominatóres eius iníque agunt, dicit Dóminus, et iúgiter tota die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. iii. Descéndit de cælis Deus verus a Patre génitus: introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána a protoparénte édita, et exívit per clausam portam, Deus et homo, * Lux et vita, cónditor mundi. ℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. - Lux. - Glória. - Lux.

In II Nocturno

Ant. 4 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

Psalmus 47

Magnus Dóminus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus eius cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * iustítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion et exsúltent fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion et complectímini eam: * narráte in túrribus eius.

Pónite corda vestra in virtúte eius: * et distribúite domos eius, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula. [Gl.]

Ant. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui.

Ant. 5 Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, et dominábitur.

Psalmus 71

Deus, iudícium tuum regi da: * et iustítiam tuam fílio regis:

Iudicáre pópulum tuum in iustítia, * et páuperes tuos in iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles iustítiam.

Iudicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes * et inimíci eius terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem cui non erat adiútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Líbanum fructus eius: * et florébunt de civitáte sicut fenum terræ.

Sit nomen eius benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen eius.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: ℣ et replébitur maiestáte eius omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Oriétur in diébus Dómini abundántia pacis, et dominábitur.

Ant. 6 Véritas de terra orta est: et iustítia de cælo prospéxit.

Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam

Et super sanctos suos * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * iustítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Véritas de terra orta est: et iustítia de cælo prospéxit.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

Sermo sancti Leónis Papæ

Serm. 1 de Nativ. Domini

Lectio iv

Salvátor noster, dilectíssimi, hódie natus est: gaudeámus. Neque enim fas est locum esse tristítiæ, ubi natális est vitæ. Nemo ab huius alacritátis participatióne secérnitur: una cunctis lætítiæ commúnis est rátio. Exsúltet sanctus, quia appropínquat ad palmam: gáudeat peccátor, quia invitátur ad véniam: animétur gentílis, quia vocátur ad vitam. Verbum enim Dei, Deus Fílius Dei, propter liberándum hóminem ab ætérna morte, factus est homo. Et tanto fœdere utrámque natúram conséruit, ut nec inferiórem consúmeret glorificátio, nec superiórem minúeret assúmptio. Tu autem.

℟. iv. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? * Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum. ℣. Dícite, quidnam vidístis? et annuntiáte Christi Nativitátem. - Natum vídimus.

Lectio v

Salva ígitur utriúsque proprietáte substántiæ, et in unam coëúnte persónam, suscípitur a maiestáte humílitas, a virtúte infírmitas, ab æternitáte mortálitas: ut quod nostris remédiis congruébat, unus atque idem Dei et hóminum mediátor, et mori ex uno, et resúrgere posset ex áltero. Nisi enim esset verus Deus, non afférret remédium; nisi verus esset homo, non præbéret exémplum. Ab exsultántibus Angelis, nascénte Dómino, Glória in excélsis Deo, cánitur. De hoc ergo inenarrábili pietátis ópere quantum lætári debet humílitas hóminum, cum tantum gáudeat sublímitas Angelórum?

℟. v. O magnum mystérium et admirábile sacraméntum, ut animália vidérent Dóminum natum, * Iacéntem in præsépio! beáta Virgo, cuius víscera meruérunt portáre Dóminum Christum. ℣. Dómine, audívi audítum tuum et tímui: considerávi ópera tua, et expávi, in médio duórum animálium. - Iacéntem.

Lectio vi

Agámus ergo, dilectíssimi, grátias Deo Patri, per Fílium eius, in Spíritu Sancto. Deponámus véterem hóminem cum áctibus suis: et adépti participatiónem generatiónis Christi, carnis renuntiémus opéribus. Agnósce, o Christiáne, dignitátem tuam: et divínæ consors factus natúræ, noli in véterem vilitátem degéneri conversatióne redíre. Meménto cuius cápitis et cuius córporis sis membrum. Reminíscere quia érutus de potestáte tenebrárum, translátus es in Dei lumen et regnum. Noli te diáboli íterum servitúti subícere, quia prétium tuum sanguis Christi est: qui veritáte te iudicábit, qui misericórdia te redémit.

℟. vi. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia. - Glória. - Quia.

In III Nocturno

Ant. 7 Ipse invocábit me, allelúia: Pater meus es tu, allelúia.

Psalmus 88

Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, ℣. iurávi David, servo meo: * Usque in ætérnum præparábo semen tuum,

Et ædificábo in generatiónem et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino: * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum: * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu eius sunt.

Dómine, Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum eius tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli et tua est terra, ℣. orbem terræ et plenitúdinem eius tu fundásti: * aquilónem et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua et exaltétur déxtera tua: * iustítia et iudícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus qui scit iubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, ℣. et in nómine tuo exsultábunt tota die: * et in iustítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israël, regis nostri.

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, ℣. et dixísti: Pósui adiutórium in poténte: * et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David, servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos eius: * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea et misericórdia mea cum ipso: * et in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: * et in flumínibus déxteram eius.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum, * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam: * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen eius: * et thronum eius sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii eius legem meam: * et in iudíciis meis non ambuláverint:

Si iustítias meas profanáverint: * et mandáta mea non custodíerint:

Visitábo in virga iniquitátes eórum: * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo testaméntum meum: * et quæ procédunt de lábiis meis non fáciam írrita.

Semel iurávi in sancto meo: ℣ si David méntiar: * semen eius in ætérnum manébit.

Et thronus eius sicut sol in conspéctu meo, ℣ et sicut luna perfécta in ætérnum: * et testis in cælo fidélis.

Ant. Ipse invocábit me, allelúia: Pater meus es tu, allelúia.

Ant. 8 Læténtur cæli et exsúltet terra ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣ commoveátur mare et plenitúdo eius: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Læténtur cæli et exsúltet terra ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Ant. 9 Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia.

Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, * et bráchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra: * cantáte et exsultáte et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ.

Iubiláte in conspéctu regis Dómini: ℣ moveátur mare et plenitúdo eius: * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terrárum in iustítia * et pópulos in æquitáte. [Gl.]

Ant. Notum fecit Dóminus, allelúia, salutáre suum, allelúia.

℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

Dominica infra octavam

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

Diebus 29, 30 et 31 decembris, si de octava fiat:

Prima die ant. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Secunda die ant. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo.

Tertia die ant. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Versiculus secundum ordinem feriarum, scilicet:

Feria II et V

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

Feria III et VI

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

Feria IV et sabbato

℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 2

In illo témpore: Exiit edíctum a Cæsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 8 in Evang.

Quia, largiénte Dómino, Missárum solémnia ter hódie celebratúri sumus, loqui diu de evangélica lectióne non póssumus: sed nos áliquid vel bréviter dícere, Redemptóris nostri Natívitas ipsa compéllit. Quid est enim, quod nascitúro Dómino mundus descríbitur nisi hoc, quod apérte monstrátur, quia ille apparébat in carne, qui eléctos suos adscríberet in ætérnitáte? Quod contra de réprobis per Prophétam dícitur: Deleántur de libro vivéntium, et cum iustis non scribántur. Qui bene étiam in Béthlehem náscitur. Béthlehem quippe Domus panis interpretátur. Ipse namque est, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi.

℟. vii. Beáta Dei Génetrix María, cuius víscera intácta pérmanent, * Hódie génuit Salvatórem sæculi. ℣. Beáta, quæ crédidit: quóniam perfécta sunt ómnia, quæ dicta sunt ei a Dómino. - Hódie.

Benedictio Per Evangélica dicta deleántur nostra delícta. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio viii Cap. 2

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 in cap. 2 Lucæ

Vidéte Ecclésiæ surgéntis exórdium. Christus náscitur, et pastóres vigiláre cœpérunt: qui géntium greges, pécudum more ante vivéntes, in caulam Dómini congregárent, ne quos spiritálium bestiárum, per offúsas nóctium ténebras, pateréntur incúrsus. Et bene pastóres vígilant, quos bonus Pastor infórmat. Grex ígitur pópulus, nox sæculum, pastóres sunt sacerdótes. Aut fortásse étiam ille sit pastor, cui dícitur: Esto vígilans, et confírma. Quia non solum Epíscopos ad tuéndum gregem Dóminus ordinávit, sed étiam Angelos destinávit.

℟. viii. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium: et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum: * Qui hódie pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte, gentes, et adoráte Dóminum. - Qui.

Benedictio Intelléctum sancti Evangélii apériat nobis virtus Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio ix Cap. 1

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 3 in Ioann. 1

Cum Matthæus ab Heróde, Lucas a Tibério Cæsare, Marcus a baptísmate Ioánnis exordiátur, his ómnibus Ioánnes omíssis, supra omne tempus et sæculum ascéndit. Tu autem, dilectíssime, cum Verbum hoc in loco audis, noli, quæso, iis acquiéscere, qui dicunt id ver-

bum esse quod ore proférтur. Hoc enim Verbum substántia quædam est in persóna, ex ipso Patre sine passióne provéniens. Quemádmodum autem, In princípio erat Verbum, æternitátem significat: ita, Hoc erat in princípio apud Deum, coæternitátem nobis osténdit. Numquam enim solus Pater sine Verbo fuit: sed semper Deus apud Deum erat, et in persóna quidem própria.

℟. ix. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum. - Glória. - Plenum.

Postea sequitur:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Inítium sancti Evangélii secúndum Matthæum

℟. Glória tibi, Dómine.

Cap. 1

Liber generatiónis Iesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Iacob. Iacob autem génuit Iudam, et fratres eius. Iudas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Iesse. Iesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Iósaphat. Iósaphat autem génuit Ioram. Ioram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Ióatham. Ióatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Iosíam. Iosías autem génuit Iechoníam, et fratres eius in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Iechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud.

Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Iacob. Iacob autem génuit Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus, qui vocátur Christus.

Dicitur Te Deum.

Post Te Deum contínuo prima Missa inchoatur.

Si Laudes infra Missam cantantur, ℣. Puer natus est et ℣. Deus, in adiutórium omittuntur, et reliqua omnia fiant ut in Missali notantur.

Si Laudes extra Missam dicuntur:

Ante Laudes ℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

3. Angelus ad pastóres ait: Annúntio vobis gáudium magnum: quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.

4. Facta est cum Angelo multitúdo cæléstis exércitus laudántium Deum et dicéntium: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia.

5. Párvulus fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.

Immediate sequitur

Ad Bened. ant. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia, allelúia.

Canticum Benedíctus.

Repetita post canticum antiphona, dicitur

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 1

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et

sine ipso factum est nihil. Tu autem, Dómine.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

¶ Iste ℣. dicitur quotidie, etiam in festis Sanctorum, usque ad Epiphaniam exclusive.

AD TERTIAM

Ant. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

℟. Verbum caro factum est, * Allelúia, allelúia. Verbum. ℣. Et habitávit in nobis. Allelúia. Glória. Verbum.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

AD SEXTAM

Ant. Angelus ad pastóres ait: Annúntio vobis gáudium magnum: quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.

Capitulum Tit. 3

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum. ℣. Salutáre suum. Allelúia. Glória. Notum. ℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

AD NONAM

Ant. Párvulus fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.

Capitulum Tit. 2

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria: sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse. ℣. Pater meus es tu. Allelúia. Glória. Ipse.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

¶ Responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur usque ad diem 13 ianuarii inclusive.

AD II VESPERAS

Ant. 1 Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum, ex útero ante lucíferum génui te.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pœnitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum, ex útero ante lucíferum génui te.

Ant. 2 Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ȩ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Ant. Redemptiónem misit Dóminus pópulo suo: mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Ant. 3 Exórtum est in ténebris lumen rectis corde: miséricors et miserátor et iustus Dóminus.

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Exórtum est in ténebris lumen rectis corde: miséricors, et miserátor, et iustus Dóminus.

Ant. 4 Apud Dóminum misericórdia: et copiósa apud eum redémptio.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino,

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Ant. Apud Dóminum misericórdia: et copiósa apud eum redémptio.

Ant. 5 De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Psalmus 131

Meménto, Dómine, David * et omnis mansuetúdinis eius:

Sicut iurávit Dómino, * votum vovit Deo Iacob:

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis * et pálpebris meis dormitatiónem:

Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Iacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum eius: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes eius.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur iustítiam: * et sancti tui exsúltent.

Propter David, servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Iurávit Dóminus David veritátem et non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in sæculum * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo, quóniam elégi eam.

Víduam eius benedícens benedícam: * páuperes eius saturábo pánibus.

Sacerdótes eius índuam salutári: * et sancti eius exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos eius índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Ant. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

¶ Prædicti psalmi cum suis antiphonis dicuntur quotidie ad Vesperas infra octavam Nativitatis, etiam in festis Sanctorum, præterquam in die octava Nativitatis Domini.

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus

Veni, Redémptor géntium,
Osténde partum Vírginis:
Mirétur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.
Non ex viríli sémine,
Sed mýstico spirámine
Verbum Dei factum caro
Fructúsque ventris flóruit.
Alvus tuméscit Vírginis,
Claustra pudóris pérmanent,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.
Procédens de thálamo suo,
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ,
Alacris ut currat viam.
Egréssus eius a Patre,
Regréssus eius ad Patrem:
Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.
Æquális ætérno Patri,
Carnis trophæo accíngere:
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Præsépe iam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque iugi lúceat.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Hódie Christus natus est: hódie Salvátor appáruit: hódie in terra canunt Angeli, lætántur Archángeli: hódie exsúltant iusti dicéntes: Glória in excélsis Deo, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Verbum caro factum est, allelúia: et habitávit in nobis, allelúia, allelúia.

¶ Prædictæ antiphonæ et psalmi dicuntur quotidie in Completorio usque ad Epiphaniam.

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS DOMINI

II classis

AD I VESPERAS

Psalmi cum suis antiphonis, capitulum, hymnus et versículus ut in II Vesperis Nativitatis Domini 77.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre: Qui tecum vivit.

Et non fit memoria octavæ Nativitatis.

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus ut in festo Nativitatis 60.

In Nocturno

Novem psalmi cum suis antiphonis et versículus e I Nocturno, ut in festo Nativitatis.

Si dominica die 26, 27 aut 28 decembris occurrit, lectiones prima et secunda cum suis responsoriis sumuntur e I Nocturno diei Nativitatis, ut infra; tertia de homilia in Evangelium diei cum suo responsorio.

Si diebus 29, 30 aut 31 decembris occurrit, lectiones prima et secunda cum suis responsoriis dicuntur de Scriptura occurrenti, tertia de homilia in Evangelium diei cum suo responsorio.

Duæ lectiones sequentes leguntur sine titulo.

Lectio i Is. 9

Primo témpore alleviáta est terra Zábulon et terra Néphthali: et novíssimo aggraváta est via maris trans Iordánem Galilææ géntium. Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicásti gentem et non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres capta præda, quando dívidunt spólia. Iugum enim óneris eius, et virgam húmeri eius, et sceptrum exactóris eius superásti sicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, et vestiméntum mixtum sánguine, erit in combustiónem et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis, et fílius datus est nobis, et factus est principátus super húmerum eius: et vocábitur

nomen eius, Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri sæculi, Princeps pacis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Hódie nobis cælórum Rex de Vírgine nasci dignátus est, ut hóminem pérditum ad regna cæléstia revocáret. Gaudet exércitus Angelórum, * Quia salus ætérna humáno géneri appáruit. ℣. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. - Quia.

Lectio ii Is. 40 et 52

Consolámini, consolámini, pópule meus, dicit Deus vester. Loquímini ad cor Ierúsalem et advocáte eam: quóniam compléta est malítia eius, dimíssa est iníquitas illíus: suscépit de manu Dómini duplícia pro ómnibus peccátis suis. Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini, rectas fácite in solitúdine sémitas Dei nostri. Omnis vallis exaltábitur, et omnis mons et collis humiliábitur, et erunt prava in directa, et áspera in vias planas. Et revelábitur glória Dómini, et vidébit omnis caro páriter quod os Dómini locútum est. Vox dicéntis: Clama. Et dixi: Quid clamábo? Omnis caro fenum, et omnis glória eius quasi flos agri. Exsiccátum est fenum, et cécidit flos, quia spíritus Dómini sufflávit in eo. Vere fenum est pópulus: exsiccátum est fenum, et cécidit flos: Verbum autem Dómini nostri manet in ætérnum. Consúrge, consúrge, indúere fortitúdine tua, Sion, indúere vestiméntis glóriæ tuæ, Ierúsalem cívitas Sancti: quia non adíciet ultra ut pertránseat per te incircumcísus et immúndus. Excútere de púlvere, consúrge, sede, Ierúsalem: solve víncula colli tui, captíva fília Sion. Quia hæc dicit Dóminus: Gratis venúmdati estis, et sine argénto redimémini. Quia hæc dicit Dóminus Deus: In Ægýptum descéndit pópulus meus in princípio, ut colónus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniátus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dóminus, quóniam ablátus est pópulus meus gratis? Dominatóres eius iníque agunt, dicit Dóminus, et iúgiter tota die nomen meum blasphemátur. Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum.

Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. Descéndit de cælis Deus verus a Patre génitus: introívit in úterum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána a protoparénte édita, et exívit per clausam portam, Deus et homo, * Lux et vita, cónditor mundi. ℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. - Lux.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 2

In illo témpore: Erant Ioseph et María mater Iesu mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 in cap. 2 Luc. post med.

Vides úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam, et prophetíam incrédulis negátam esse, non iustis. Ecce et Símeon prophétat in ruínam et resurrectiónem plurimórum venísse Dóminum Iesum Christum, ut iustórum iniquorúmque mérita discérnat, et pro nostrórum qualitáte factórum, iudex verus et iustus aut supplícia decérnat aut prǽmia. Et tuam, inquit, ipsíus ánimam pertransíbit gládius.

℟. iii. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum. - Glória. - Plenum.

Ante Laudes ℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

3. Angelus ad pastóres ait: Annúntio vobis gáudium magnum: quia natus est vobis hódie Salvátor mundi, allelúia.

4. Facta est cum Angelo multitúdo cæléstis exércitus laudántium Deum et dicéntium: Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis, allelúia.

5. Párvulus fílius hódie natus est nobis, et vocábitur Deus, Fortis, allelúia, allelúia.

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus

A solis ortus cárdine
Ad usque terræ límitem
Christum canámus príncipem,
Natum María Vírgine.
Beátus Auctor sæculi
Servíle corpus índuit:
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.
Castæ paréntis víscera
Cæléstis intrat grátia:
Venter puéllæ báiulat
Secréta quæ non nóverat.
Domus pudíci péctoris
Templum repénte fit Dei:
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit fílium.
Enixa est puérpera
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens
Clausus Ioánnes sénserat.
Feno iacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.
Gaudet chorus cæléstium,
Et Angeli canunt Deo:
Palámque fit pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Ad Bened. ant. Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter perágeret, omnípotens sermo tuus, Dómine, a regálibus sédibus venit, allelúia.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo; ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre: Qui tecum.

Et non fit memoria octavæ Nativitatis.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam
Cap. 2

In illo témpore: Erant Ioseph et María mater Iesu mirántes super his quæ dicebántur de illo. Tu autem, Dómine.

Ad Horas antiphona et psalmi de dominica, ut in Psalterio.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Verbum caro factum est, * Allelúia, allelúia. Verbum. ℣. Et habitávit in nobis. Allelúia. Glória. Verbum.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

AD SEXTAM

Capitulum Tit. 3

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum. ℣. Salutáre suum. Allelúia. Glória. Notum.

℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

AD NONAM

Capitulum Tit. 2

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria: sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse. ℣. Pater meus es tu. Allelúia. Glória. Ipse.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

AD II VESPERAS

Psalmi cum suis antiphonis, capitulum, hymnus et versículus ut in II Vesperis Nativitatis Domini 77.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Erant Ioseph et María mater Iesu mirántes super his quæ dicebántur de illo.

Et non fit memoria octavæ Nativitatis.

Diebus 29, 30 et 31 decembris

si de octava fiat

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus ut in festo Nativitatis 60.

In Nocturno

Dicuntur novem psalmi de Nativitate Domini sub una tantum antiphona iuxta ordinem et numerum dierum.

Versículus dicitur secundum ordinem feriarum.

Tres lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis, ut singulis diebus notatur.

Dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus

A solis ortus cárdine
Ad usque terræ límitem
Christum canámus príncipem,
Natum María Vírgine.

Beátus Auctor sæculi
Servíle corpus índuit:
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.

Castæ paréntis víscera
Cæléstis intrat grátia:
Venter puéllæ báiulat
Secréta quæ non nóverat.

Domus pudíci péctoris
Templum repénte fit Dei:
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit fílium.

Enixa est puérpera
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens
Clausus Ioánnes sénserat.

Feno iacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.

Gaudet chorus cæléstium,
Et Angeli canunt Deo:
Palámque fit pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Ad Bened. ant. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 2

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de occurrenti hebdomadæ die, ut in Psalterio.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Verbum caro factum est, * Allelúia, allelúia. Verbum. ℣. Et habitávit in nobis. Allelúia. Glória. Verbum.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

AD SEXTAM

Capitulum Tit. 3

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum. ℣. Salutáre suum. Allelúia. Glória. Notum. ℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

AD NONAM

Capitulum Tit. 2

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria: sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse. ℣. Pater meus es tu. Allelúia. Glória. Ipse.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

AD VESPERAS

Psalmi cum suis antiphonis, capitulum, hymnus et versiculus ut in festo Nativitatis Domini 77.

Ad Magnif. ant. Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie processit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

Completorium octavæ.

Die 29 decembris

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 6

Humánum dico, propter infirmitátem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servíre immundítiæ et iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra vestra servíre iustítiæ in sanctificatiónem. Cum enim servi essétis peccáti, líberi fuístis iustítiæ. Quem ergo fructum habuístis tunc in illis, in quibus nunc erubéscitis? Nam finis illórum mors est. Nunc vero liberáti a peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem vero vitam ætérnam.

℟. i. Hódie nobis cælórum Rex de Vírgine nasci dignátus est, ut hóminem pérditum ad regna cæléstia revocáret. Gaudet exércitus Angelórum, * Quia salus ætérna humáno géneri appáruit. ℣. Glória in excélsis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. - Quia salus ætérna.

Lectio ii Cap. 7

An ignorátis, fratres (sciéntibus enim legem loquor), quia lex in hómine dominátur quanto témpore vivit? Nam quæ sub viro est múlier, vivénte viro, alligáta est legi: si autem mórtuus fúerit vir eius, solúta est a lege viri. Igitur, vivénte viro, vocábitur adúltera, si fúerit cum álio viro: si autem mórtuus fúerit vir eius, liberáta est a lege viri: ut non sit adúltera, si fúerit cum álio viro.

℟. ii. Hódie nobis de cælo pax vera descéndit: * Hódie per totum mundum mellíflui facti sunt cæli. ℣. Hódie illúxit dies redemptiónis novæ, reparatiónis antíquæ, felicitátis ætérnæ. - Hódie.

Lectio iii

Itaque, fratres mei, et vos mortificáti estis legi per corpus Christi: ut sitis alteríus qui ex mórtuis resurréxit, ut fructificémus Deo. Cum enim essémus in carne, passiónes peccatórum, quæ per legem erant, operabántur in membris nostris, ut fructificárent morti. Nunc autem solúti sumus a lege mortis, in qua detinebámur, ita ut serviámus in novitáte spíritus, et non in vetustáte lítteræ.

℟. iii. Descéndit de cælis Deus verus a Patre génitus: introívit in útérum Vírginis, nobis ut apparéret visíbilis, indútus carne humána a protoparénte édita, et exívit per clausam portam, Deus et homo, * Lux et vita, cónditor mundi. ℣. Tamquam sponsus Dóminus procédens de thálamo suo. - Lux. - Glória. - Lux.

Die 30 decembris

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 7

Occasióne autem accépta, peccátum per mandátum operátum est in me omnem concupiscéntiam. Sine lege enim peccátum mórtuum erat. Ego autem vivébam sine lege aliquándo. Sed, cum venísset mandátum, peccátum revíxit. Ego autem mórtuus sum: et invéntum est mihi mandátum, quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. Nam peccátum, occasióne accépta per mandátum, sedúxit me et per illud occídit.

℟. i. Quem vidístis, pastóres? dícite: annuntiáte nobis, in terris quis appáruit? * Natum vídimus, et choros Angelórum collaudántes Dóminum. ℣. Dícite, quidnam vidístis? et annuntiáte Christi Nativitátem. - Natum vídimus.

Lectio ii

Itaque lex quidem sancta, et mandátum sanctum et iustum et bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccátum, ut appáreat peccátum, per bonum operátum est mihi mortem: ut fiat supra modum peccans peccátum per mandátum. Scimus enim quia lex spirituális est: ego autem carnális sum, venúmdatus sub peccáto. Quod enim óperor, non intélligo: non enim quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, illud fácio.

℟. ii. O magnum mystérium et admirábile sacraméntum, ut animália vidérent Dóminum natum, * Iacéntem in præsépio! beáta Virgo, cuius víscera meruérunt portáre Dóminum Christum. ℣. Dómine, audívi audítum tuum et tímui: considerávi ópera tua, et expávi, in médio duórum animálium. - Iacéntem.

Lectio iii

Si autem quod nolo, illud fácio: conséntio legi, quóniam bona est. Nunc autem iam non ego óperor illud, sed quod hábitat in me peccátum. Scio enim quia non há-

bitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle ádiacet mihi: perfícere autem bonum, non invénio. Non enim, quod volo bonum, hoc fácio: sed quod nolo malum, hoc ago.

℟. iii. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia. - Glória. - Quia.

Die 31 decembris

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 8

Nihil ergo nunc damnatiónis est iis qui sunt in Christo Iesu: qui non secúndum carnem ámbulant. Lex enim spíritus vitæ in Christo Iesu liberávit me a lege peccáti et mortis. Nam quod impossíbile erat legi, in quo infirmabátur per carnem: Deus Fílium suum mittens in similitúdinem carnis peccáti, et de peccáto damnávit peccátum in carne, ut iustificátio legis implerétur in nobis, qui non secúndum carnem ambulámus, sed secúndum spíritum.

℟. i. Beáta Dei Génetrix María, cuius víscera intácta pérmanent, * Hódie génuit Salvatórem sæculi. ℣. Beáta, quæ crédidit: quóniam perfécta sunt ómnia, quæ dicta sunt ei a Dómino. - Hódie.

Lectio ii

Qui enim secúndum carnem sunt: quæ carnis sunt, sápiunt. Qui vero secúndum spíritum sunt: quæ sunt spíritus, séntiunt. Nam prudéntia carnis, mors est: prudéntia autem spíritus, vita et pax. Quóniam sapiéntia carnis inimíca est Deo: legi enim Dei non est subiécta: nec enim potest. Qui autem in carne sunt, Deo placére non possunt.

℟. ii. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium: et beáta úbera, quæ lactavérunt Christum Dóminum: * Qui hódie pro salúte mundi de Vírgine nasci dignátus est. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte, gentes, et adoráte Dóminum. - Qui.

Lectio iii

Vos autem in carne non estis, sed in spíritu: si tamen spíritus Dei hábitat in vobis. Si quis autem Spíritum Christi non habet: hic non est eius.

Si autem Christus in vobis est: corpus quidem mórtuum est propter peccátum, spíritus vero vivit propter iustificatiónem. Quod si Spíritus eius, qui suscitávit Iesum a mórtuis, hábitat in vobis: qui suscitávit Iesum Christum a mórtuis, vivificábit et mortália córpora vestra, propter inhabitántem Spíritum eius in vobis.

In Officio octavæ:

℟. iii. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum. - Glória. - Plenum.

In Officio dominicæ ℟. ii Beáta víscera, ut supra 90.

Octava Nativitatis Domini

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

℟. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum grátiæ et veritátis. - Glória. - Plenum grátiæ et veritátis.

Hymnus

Veni, Redémptor géntium,
Osténde partum Vírginis:
Mirétur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.

Non ex viríli sémine,
Sed mýstico spirámine
Verbum Dei factum caro
Fructúsque ventris flóruit.

Alvus tuméscit Vírginis,
Claustra pudóris pérmanent,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.

Procédens de thálamo suo,
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ,
Alacris ut currat viam.

Egréssus eius a Patre,
Regréssus eius ad Patrem:
Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.

Æquális ætérno Patri,
Carnis tropháeo accíngere:
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.

Præsépe iam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque iugi lúceat.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Qui de terra est, de terra lóquitur. Qui de cælo venit, super omnes est. Et quod vidit et audívit, hoc testátur: et testimónium eius nemo áccipit. Qui autem accéperit eius testimónium, signávit quia Deus verax est.

Oratio

Deus, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum: fac nos, quæsumus, eius perpétua divinitáte muníri, cuius sumus carnáli commércio reparáti: Qui tecum vivit.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Verbum caro factum est, allelúia: et habitávit in nobis, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Christus natus est nobis: * Veníte, adorémus.

Hymnus

Christe, Redémptor ómnium,
Ex Patre, Patris Unice,
Solus ante princípium
Natus ineffabíliter.

Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.

Meménto, salútis auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.

Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculum,
Quod solus a sede Patris
Mundi salus advéneris.

Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est,
Auctórem advéntus tui
Laudans exsúltat cántico.

Nos quoque, qui sancto tuo
Redémpti sánguine sumus,
Ob diem natális tui
Hymnum novum concínimus.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Ant. 2 In sole pósuit tabernáculum suum: et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣. ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. In sole pósuit tabernáculum suum: et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo.

Ant. 3 Elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ.

Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣. qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣. et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣. et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ.

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

De libro Génesis

Lectio i Cap. 17

Dixit Deus ad Abraham: Hoc est pactum meum quod observábitis inter me et vos et semen tuum post te: Circumcidétur ex vobis omne masculínum: et circumcidétis carnem præpútii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos. Infans octo diérum circumcidétur in vobis, omne masculínum in generatiónibus vestris: tam vernáculus quam emptítius circumcidétur et quicúmque non fúerit de stirpe vestra: erítque pactum meum in carne vestra in fœdus ætérnum. Máscculus, cuius præpútii caro circumcísa non fúerit, delébitur ánima illa de pópulo suo: quia pactum meum írritum fecit.

℟. i. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. * Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. ℣. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. - Omnia.

De libro Iósue

Lectio ii Cap. 5

Eo témpore ait Dóminus ad Iósue: Fac tibi cultros lapídeos, et circumcíde secúndo fílios Israël. Fecit quod iússerat Dóminus et circumcídit fílios Israël in colle præputiórum. Hæc autem causa est secúndæ circumcisiónis: Omnis pópulus, qui egréssus est de Ægýpto géneris masculíni, univérsi bellatóres viri,

mórtui sunt in desérto per longíssimos viæ circúitus, qui omnes circumcísi erant. Pópulus autem qui natus est in desérto, per quadragínta annos itíneris latíssimæ solitúdinis incircumcísus fuit: donec consumeréntur qui non audíerant vocem Dómini.

℟. ii. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, * Et illúxit nobis. ℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. - Et illúxit nobis.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio iii Cap. 2

Circumcísio quidem prodest, si legem obsérves: si autem prævaricátor legis sis, circumcísio tua præpútium facta est. Si ígitur præpútium iustítias legis custódiat: nonne præpútium illíus in circumcisiónem reputábitur? et iudicábit id quod ex natúra est præpútium, legem consúmmans, te, qui per lítteram et circumcisiónem prævaricátor legis es? Non enim qui in manifésto Iudæus est: neque quæ in manifésto, in carne, est circumcísio: sed qui in abscóndito Iudæus est: et circumcísio cordis in spíritu, non líttera: cuius laus non ex homínibus, sed ex Deo est.

℟. iii. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi: ecce de quo dicébam vobis: * Qui post me venit, ante me factus est: Cuius non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Hoc est testimónium, quod perhíbuit Ioánnes, dicens. - Qui post me venit. - Glória. - Cuius non sum.

In II Nocturno

Ant. 4 Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum * et in sæculum sæculi.

Ant. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ant. 5 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, in médio templi tui.

Psalmus 47

Magnus Dóminus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus eius cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * iustítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion et exsúltent fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion et complectímini eam: * narráte in túrribus eius.

Pónite corda vestra in virtúte eius: * et distribúite domos eius, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, in médio templi tui.

Ant. 6 Homo natus est in ea: et ipse fundávit eam Altíssimus.

Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Homo natus est in ea: et ipse fundávit eam Altíssimus.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

Sermo sancti Leónis Papæ

Serm. 7 de Nativit. Domini

Lectio iv

Festivitátis hodiérnæ, dilectíssimi, verus venerátor est et pius cultor, qui nec de incarnatióne Dómini áliquid falsum, nec de Deitáte áliquid sentit indígnum. Paris enim perículi malum est, si illi aut natúræ nostræ véritas aut Patérnæ glóriæ negátur æquálitas. Cum ergo ad intelligéndum sacraméntum Nativitátis Christi, qua de Matre Vírgine est ortus, accédimus, abigátur procul terrenárum calígo ratiónum, et ab illumináta fídei óculo mundánæ sapiéntiæ fumus abscédat.

℟. iv. Nésciens Mater

Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: * Ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno. ℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. - Ipsum Regem Angelórum.

Lectio v

Divína est enim auctóritas, cui crédimus: divína est doctrína, quam séquimur. Quóniam sive legis testificatióni, sive oráculis prophetárum, sive evangélicæ tubæ interiórem admoveámus audítum; verum est quod beátus Ioánnes plenus Spíritu Sancto intónuit: In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et símiliter verum est quod idem prædicátor adiécit: Verbum caro factum est, et habitávit in nobis.

℟. v. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia quem cæli.

Lectio vi

In utráque ergo natúra idem est Dei Fílius, nostra suscípiens et própria non amíttens: in hómine hóminem rénovans, in se incommutábilis persevérans. Déitas enim, quæ illi cum Patre commúnis est, nullum detriméntum omnipoténtiæ súbiit, nec Dei formam servi forma violávit: quia summa et sempitérna esséntia, quæ se ad humáni géneris inclinávit salútem, nos quidem in suam glóriam tránstulit; sed quod erat, esse non déstitit.

℟. vi. Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria Angelo nuntiánte suscépit: quæ Speciósum forma præ fíliis hóminum castis concépit viscéribus: * Et benedícta in ætérnum, Deum nobis prótulit et hóminem. ℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concépit fílium. - Et benedícta in ætérnum. - Glória. - Deum nobis prótulit et hóminem.

In III Nocturno

Ant. 7 Exsultábunt ómnia ligna silvárum ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣. afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣. commoveátur mare et plenitúdo eius: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Exsultábunt ómnia ligna silvárum ante fáciem Dómini, quóniam venit.

Ant. 8 In princípio et ante sæcula Deus erat Verbum: et ipse natus est nobis Salvátor mundi.

Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. In princípio et ante sæcula Deus erat Verbum: et ipse natus est nobis Salvátor mundi.

Ant. 9 Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie nasci dignátus est.

Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, * et bráchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra: * cantáte et exsultáte et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ.

Iubiláte in conspéctu regis Dómini: ℣. moveátur mare et plenitúdo eius: * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣. simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terrárum in iustítia * et pópulos in æquitáte.

Ant. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie nasci dignátus est.

℣. Ipse invocábit me.
℟. Pater meus es tu.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 2

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer: vocátum est nomen eius Iesus. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 in c. 2 Lucæ post med.

Circumcíditur ítaque Puer. Quis est iste Puer, nisi ille, de quo dic-

tum est: Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis? Factus est enim sub lege, ut eos, qui sub lege essent, lucrifáceret. Sístitur autem in Ierúsalem. Circumcísus enim vítiis, Domínico dignus iudicátur obtútu: quia óculi Dómini super iustos. Vides omnem legis véteris sériem fuísse typum futúri: nam et circumcísio purgatiónem significat delictórum.

℟. vii. O Regem cæli, cui tália famulántur obséquia! Stábulo pónitur qui cóntinet mundum: * Iacet in præsépio et in núbibus tonat. ℣. Qui cælum terrámque regit in sæcula solus. - Iacet.

Lectio viii

Sed, quóniam prona quadam cupiditáte peccándi, humánæ carnis et mentis fragílitas inextricabílibus vítiis implicátur, eo per octávum circumcisiónis diem culpæ totíus futúra purgátio, resurrectiónis præfigurabátur ætáte. Hoc est enim illud: Quia omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur. Verbis enim legis promittebátur Vírginis partus. Et vere sanctus, quia immaculátus.

℟. viii. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum: quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. - Et de meis viscéribus.

Lectio ix

Dénique ipsum esse, qui lege signétur, in eúndem modum ab Angelo repetíta verba declárant: Quod nascétur, inquit, Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Solus enim per ómnia ex natis de fémina sanctus Dóminus Iesus: qui terrénæ contágia corruptélæ immaculáti partus novitáte non sénserit, et cælésti maiestáte depúlerit. Nam si lítteram sequámur, quómodo sanctus omnis másculus, cum multos sceleratíssimos fuísse non láteat?

℟. ix. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum. - Glória. - Plenum.

Ante Laudes ℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ: sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum: te laudámus, Deus noster.

3. Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem: Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

4. Germinávit radix Iesse: orta est stella ex Iacob: Virgo péperit Salvatórem: te laudámus, Deus noster.

5. Ecce María génuit nobis Salvatórem, quem Ioánnes videns exclamávit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, allelúia.

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus

A solis ortus cárdine
Ad usque terræ límitem,
Christum canámus príncipem,
Natum María Vírgine.

Beátus Auctor sæculi
Servíle corpus índuit:
Ut carne carnem líberans,
Ne pérderet quos cóndidit.

Castæ paréntis víscera
Cæléstis intrat grátia:
Venter puéllæ báiulat
Secréta, quæ non nóverat.

Domus pudíci péctoris
Templum repénte fit Dei:
Intácta nésciens virum,
Verbo concépit fílium.

Enixa est puérpera
Quem Gábriel prædíxerat,
Quem matris alvo géstiens
Clausus Ioánnes sénserat.

Feno iacére pértulit,
Præsépe non abhórruit,
Parvóque lacte pastus est,
Per quem nec ales ésurit.

Gaudet chorus cæléstium,
Et Angeli canunt Deo:
Palámque fit pastóribus
Pastor, Creátor ómnium.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Ad Bened. ant. Mirábile mystérium declarátur hódie: innovántur natúræ, Deus homo factus est: id quod fuit permánsit, et quod non erat assúmpsit, non commixtiónem passus neque divisiónem.

Oratio

Deus, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum: fac nos, quæsumus, eius perpétua divinitáte muníri, cuius sumus carnáli commércio reparáti: Qui tecum vivit.

Diebus a 2 ad 5 ianuarii, in Officio feriali:

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Ad Horas psalmi de dominica; ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Ant. Quando natus es ineffabíliter ex Vírgine, tunc implétæ sunt Scriptúræ: sicut plúvia in vellus descendísti, ut salvum fáceres genus humánum: te laudámus, Deus noster.

Capitulum ut infra ad II Vesperas.

℟. Verbum caro factum est, * Allelúia, allelúia. Verbum. ℣. Et habitávit in nobis. Allelúia. Glória. Verbum.

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

AD SEXTAM

Ant. Rubum, quem víderat Móyses incombústum, conservátam agnóvimus tuam laudábilem virginitátem: Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Capitulum Tit. 3

Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus iustítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit.

℟. Notum fecit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Notum fecit. ℣. Salutáre suum. Allelúia. Glória. Notum fecit.

℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

AD NONAM

Ant. Ecce María génuit nobis Salvatórem, quem Ioánnes videns exclamávit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi, allelúia.

Capitulum Tit. 2

Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos ut, abnegántes impietátem et sæculária desidéria: sóbrie et iuste et pie vivámus in hoc sæculo.

℟. Ipse invocábit me, * Allelúia, allelúia. Ipse invocábit me. ℣. Pater meus es tu. Allelúia. Glória. Ipse invocábit me.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Psalmi ut in festis B. Maríæ Virginis [33].

Capitulum Hebr. 1

Multifáriam multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sæcula.

Hymnus

Veni, Redémptor géntium,
Osténde partum Vírginis:
Mirétur omne sæculum:
Talis decet partus Deum.

Non ex viríli sémine,
Sed mýstico spirámine
Verbum Dei factum caro
Fructúsque ventris flóruit.

Alvus tuméscit Vírginis,
Claustra pudóris pérmanent,
Vexílla virtútum micant,
Versátur in templo Deus.

Procédens de thálamo suo,
Pudóris aula régia,
Géminæ gigas substántiæ,
Alacris ut currat viam.

Egréssus eius a Patre,
Regréssus eius ad Patrem:
Excúrsus usque ad ínferos,
Recúrsus ad sedem Dei.

Æquális ætérno Patri,
Carnis tropháeo accíngere:
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Præsépe iam fulget tuum,
Luménque nox spirat novum,
Quod nulla nox intérpolet,
Fidéque iugi lúceat.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Tamquam sponsus.
℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Ad Magnif. ant. Magnum hereditátis mystérium: templum Dei factus est úterus nésciens virum: non est pollútus ex ea carnem assúmens: omnes gentes vénient dicéntes: Glória tibi, Dómine.

Oratio

Deus, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum: fac nos, quæsumus, eius perpétua divinitáte muníri, cuius sumus carnáli commércio reparáti: Qui tecum vivit.

Diebus a 2 ad 5 ianuarii, in Officio feriali:

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virgínitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Natus est nobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Verbum caro factum est, allelúia: et habitávit in nobis, allelúia, allelúia.

Diebus a 2 ad 5 ianuarii

In Officio feriali tempore Nativitatis

Omittuntur preces et prostrationes.

Antiphonæ et psalmi ad omnes Horas (præterquam ad Completorium) et versículus Nocturni sumuntur de currenti hebdomadæ die, ut in Psalterio.

AD MATUTINUM

Invit. Christus natus est nobis: * Veníte, adorémus.

Hymnus

Christe, Redémptor ómnium,
Ex Patre, Patris Unice,
Solus ante princípium
Natus ineffabíliter.
Tu lumen, tu splendor Patris,
Tu spes perénnis ómnium,
Inténde quas fundunt preces
Tui per orbem fámuli.
Meménto, salútis auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.
Sic præsens testátur dies,
Currens per anni círculum,
Quod solus a sede Patris
Mundi salus advéneris.
Hunc cælum, terra, hunc mare,
Hunc omne quod in eis est,
Auctórem advéntus tui
Laudans exsúltat cántico.
Nos quoque, qui sancto tuo
Redémpti sánguine sumus,
Ob diem natális tui
Hymnum novum concínimus.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis.

Non dicitur Te Deum.

Reliqua, una cum versu in responsorio ad Primam, ut die 1 ianuarii 103, præter orationem, quæ dicitur ut infra.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virgínitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Ad Pretiosa legitur de Regula.

Die 2 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 9

Veritátem dico in Christo, non méntior: testimónium mihi perhibénte consciéntia mea in Spíritu Sancto: quóniam tristítia mihi magna est, et contínuus dolor cordi meo. Optábam enim ego ipse anáthema esse a Christo pro frátribus meis, qui sunt cognáti mei secúndum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum adóptio est filiórum et glória et testaméntum et legislátio et obséquium et promíssa: quorum patres, et ex quibus est Christus secúndum carnem, qui est super ómnia Deus benedíc-

tus in sæcula. Amen. Tu autem.

℟. i. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. * Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. ℣. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum. - Omnia.

Lectio ii

Non autem quod excíderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israël sunt, ii sunt Israelítæ: neque qui semen sunt Abrahæ, omnes fílii: sed in Isaac vocábitur tibi semen; id est, non qui fílii carnis, hi fílii Dei: sed qui fílii sunt promissiónis æstimántur in sémine. Promissiónis enim verbum hoc est: Secúndum hoc tempus véniam, et erit Saræ fílius.

℟. ii. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, * Et illúxit nobis. ℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. - Et illúxit nobis.

Lectio iii

Non solum autem illa, sed et Rebécca ex uno concúbitu habens, Isaac patris nostri. Cum enim nondum nati fuíssent aut áliquid boni egíssent aut mali (ut secúndum electiónem propósitum Dei manéret), non ex opéribus, sed ex vocánte dictum est ei: Quia maior sérviet minóri, sicut scriptum est: Iacob diléxi, Esau autem ódio hábui.

℟. iii. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi: ecce de quo dicébam vobis: * Qui post me venit, ante me factus est: Cuius non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Hoc est testimónium, quod perhíbuit Ioánnes, dicens. - Qui post me venit. - Glória. - Cuius non sum.

Die 3 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 9

An non habet potestátem fígulus luti ex eádem massa fácere áliud quidem vas in honórem, áliud vero in contuméliam? Quod si Deus volens osténdere iram et notam fácere poténtiam suam, sustínuit in multa patiéntia vasa iræ apta in intéritum, ut osténderet divítias glóriæ suæ in vasa misericórdiæ, quæ præparávit in glóriam.

℟. i. Nésciens Mater

Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: * Ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno. ℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. - Ipsum Regem Angelórum.

Lectio ii

Quos et vocávit nos non solum ex Iudæis, sed étiam ex géntibus, sicut in Osée dicit: Vocábo non plebem meam, plebem meam: et non diléctam, diléctam: et non misericórdiam consecútam, misericórdiam consecútam. Et erit: In loco ubi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabúntur Fílii Dei vivi. Isaías autem clamat pro Israël: Si fúerit número filiórum Israël tamquam aréna maris, relíquiæ salvæ fient.

℟. ii. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia quem cæli.

Lectio iii

Verbum enim consúmmans et abbrévians in æquitáte: quia verbum breviátum fáciet Dóminus super terram: et sicut prædíxit Isaías: Nisi Dóminus Sábaoth reliquísset nobis semen, sicut Sódoma facti essémus, et sicut Gomórrha símiles fuissémus. Quid ergo dicémus? Quod gentes, quæ non sectabántur iustítiam, apprehendérunt iustítiam: iustítiam autem quæ ex fide est. Israël vero sectándo legem iustítiæ, in legem iustítiæ non pervénit.

℟. iii. Confirmátum est cor Vírginis, in quo divína mystéria Angelo nuntiánte suscépit: quæ Speciósum forma præ fíliis hóminum castis concépit viscéribus: * Et benedícta in ætérnum, Deum nobis prótulit et hóminem. ℣. Domus pudíci péctoris templum repénte fit Dei: intácta nésciens virum, verbo concépit fílium. - Et benedícta in ætérnum. - Glória. - Deum nobis prótulit et hóminem.

Die 4 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 11

Dico ergo: Numquid Deus répulit pópulum suum? Absit. Nam et ego Israëlíta sum ex sémine Abraham, de tribu Béniamin: non répulit

Deus plebem suam, quam præscívit. An nescítis in Elía quid dicit Scriptúra: quemádmodum interpéllat Deum advérsum Israël? Dómine, prophétas tuos occidérunt, altária tua suffodérunt: et ego relíctus sum solus, et quærunt ánimam meam.

℟. i. O Regem cæli, cui tália famulántur obséquia! Stábulo pónitur qui cóntinet mundum: * Iacet in præsépio et in núbibus tonat. ℣. Qui cælum terrámque regit in sæcula solus. - Iacet.

Lectio ii

Sed quid dicit illi divínum respónsum? Relíqui mihi septem míllia virórum, qui non curvavérunt génua ante Baal. Sic ergo et in hoc témpore relíquiæ secúndum electiónem grátiæ salvæ factæ sunt. Si autem grátia, iam non ex opéribus: alióquin grátia iam non est grátia. Quid ergo? quod quærébat Israël, hoc non est consecútus: eléctio autem consecúta est.

℟. ii. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum: quia, cum essem párvula, plácui Altíssimo, * Et de meis viscéribus génui Deum et hóminem. ℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia ancíllam húmilem respéxit Deus. - Et de meis viscéribus.

Lectio iii

Céteri vero excæcáti sunt, sicut scriptum est: Dedit illis Deus spíritum compunctiónis: óculos ut non vídeant, et aures ut non áudiant, usque in hodiérnum diem. Et David dicit: Fiat mensa eórum in láqueum et in captiónem et in scándalum et in retributiónem illis. Obscuréntur óculi eórum ne vídeant: et dorsum eórum semper incúrva. Dico ergo: Numquid sic offendérunt ut cáderent? Absit. Sed illórum delícto salus est géntibus, ut illos æmuléntur. Quod si delíctum illórum divítiæ sunt mundi, et diminútio eórum divítiæ géntium: quanto magis plenitúdo eórum!

℟. iii. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: cuius glóriam vídimus, quasi Unigéniti a Patre, * Plenum grátiæ et veritátis. ℣. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. - Plenum. - Glória. - Plenum.

Die 5 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 11

Vobis enim dico géntibus: Quámdiu quidem ego sum géntium Apóstolus, ministérium meum honorificábo, si quómodo ad æmulándum próvocem carnem meam et salvos fáciam áliquos ex illis. Si enim amíssio eórum reconciliátio est mundi: quæ assúmptio, nisi vita ex mórtuis? Quod si delibátio sancta est, et massa: et si radix sancta, et rami.

℟. i. In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. * Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. ℣. Quod factum est, in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum.- Omnia.

Lectio ii

Quod si áliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleáster esses, insértus es in illis et sócius radícis et pinguédinis olívæ factus es, noli gloriári advérsus ramos. Quod si gloriáris: non tu radícem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami ut ego ínserar. Bene: propter incredulitátem fracti sunt. Tu autem fide stas.

℟. ii. Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, * Et illúxit nobis. ℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli. - Et illúxit nobis.

Lectio iii

Noli altum sápere, sed time. Si enim Deus naturálibus ramis non pepércit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitátem et severitátem Dei: in eos quidem qui cecidérunt severitátem: in te autem bonitátem Dei, si permánseris in bonitáte, alióquin et tu excíderis. Sed et illi, si non permánserint in incredulitáte, inseréntur: potens est enim Deus íterum insérere illos. Nam si tu ex naturáli excísus es oleástro et contra natúram insértus es in bonam olívam, quanto magis ii qui secúndum natúram, inseréntur suæ olívæ!

℟. iii. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi: ecce de quo dicébam vobis: * Qui post me venit, ante me factus est: Cuius non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere. ℣. Hoc est testimónium, quod perhíbuit Ioánnes, dicens. - Qui post me venit. - Glória. - Cuius non sum.

Dominica a die 2 ad diem 5 ianuarii occurrenti
vel, si hæc defecerit, die 2 ianuarii

SANCTISSIMI NOMINIS IESU

II classis

AD I VESPERAS, quando festum occurrit in dominica, vel gradu I classis celebratur:

¶ Quando hoc festum die 2 ianuarii celebratur, in II Vesperis præcedentis nihil fit de SS. Nomine.

Super psalmos ant. Omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Philipp. 2

Christus humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Iesu omne genu flectátur.

℟. Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine: in ætérnum exsultábunt, et habitábis in eis: et gloriabúntur in te omnes * Qui díligunt nomen tuum. ℣. Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, et in nómine tuo exsultábunt tota die. - Qui díligunt nomen tuum. - Glória. - Qui díligunt.

Hymnus

Iesu dulcis memória,
Dans vera cordi gáudia,
Sed super mel et ómnia
Eius dulcis præséntia.

Nil cánitur suávius,
Nil audítur iucúndius,
Nil cogitátur dúlcius
Quam Iesus Dei Fílius.

Iesu, spes pæniténtibus,
Quam pius es peténtibus,
Quam bonus te quæréntibus,
Sed quid inveniéntibus!

Nec lingua valet dícere,
Nec líttera exprímere:
Expértus potest crédere
Quid sit Iesum dilígere.

Sis, Iesu, nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

℣ Ad Magnif. ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Oratio

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Iesum vocári iussísti: concéde propítius ut, cuius sanctum Nomen venerámur in terris, eius quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per eúndem.

AD MATUTINUM

Invit. Admirábile nomen Iesu, quod est super omne nomen, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Iesu, Rex admirábilis,
Et triumphátor nóbilis,
Dulcédo ineffábilis,
Totus desiderábilis:

Quando cor nostrum vísitas,
Tunc lucet ei véritas,
Mundi viléscit vánitas,
Et intus fervet cáritas.

Iesu, dulcédo córdium,
Fons vivus, lumen méntium,
Excédens omne gáudium,
Et omne desidérium.

Iesum omnes agnóscite,
Amórem eius póscite:
Iesum ardénter quærite,
Quæréndo inardéscite.

Te nostra, Iesu, vox sonet,
Nostri te mores éxprimant,
Te corda nostra díligant,
Et nunc, et in perpétuum.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! †

Psalmus incipitur a secundo versu: Quóniam eleváta est.

Psalmi ut in festis B. M. V. [21].

Ant. 2 In nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum.

Ant. 3 Confitémini Dómino et invocáte nomen eius: mementóte quóniam excélsum est nomen eius.

℣. Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo. ℟. Multum est enim.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 3

Petrus autem et Ioánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, baiulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introëúntibus in templum. Is, cum vidísset Petrum et Ioánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum

Ioánne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argéntum et aurum non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do: In nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula. Et, apprehénsa manu eius déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases eius et plantæ. Et exsíliens stetit et ambulábat. Et intrávit cum illis in templum ámbulans et exsíliens et laudans Deum.

℟. i. Ecce concípies et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum: * Ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. ℣. Vocátum est nomen eius Iesus, quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. - Ipse.

Lectio ii

Et vidit omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi: et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo, quod contígerat illi. Cum tenéret autem Petrum et Ioánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes. Videns autem Petrus, respóndit ad pópulum: Viri Israëlítæ, quid mirámini in hoc aut nos quid intuémini, quasi nostra virtúte aut poteráte fecérimus hunc ambuláre? Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Iacob, Deus patrum nostrórum glorificávit Fílium suum Iesum, quem vos quidem tradidístis et negástis ante fáciem Piláti, iudicánte illo dimítti. Vos autem Sanctum et iustum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis: Auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nóminis eius, hunc, quem vos vidístis et nostis, confirmávit nomen eius: et fides, quæ per eum est, dedit íntegram sanitátem istam in conspéctu ómnium vestrum.

℟. ii. Benedíctum est nomen tuum, Deus patrum nostrórum: qui cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis, * Et in témpore tribulatiónis peccáta dimíttis. ℣. Et benedíctum nomen maiestátis tuæ in ætérnum, qui facis mirabília solus. - Et.

Lectio iii Cap. 4

Factum est autem in crástinum, ut congregaréntur príncipes eórum et senióres et scribæ in Ierúsalem: et Annas princeps sacerdótum et Cáiphas et Ioánnes et Alexánder et quotquot erant de génere sacerdotáli. Et statuéntes eos in médio, interrogábant: In qua virtúte aut in quo nómine fecístis hoc vos? Tunc replétus Spíritu Sancto Petrus dixit ad eos: Príncipes pópuli et senióres, audíte: Si nos hódie diiudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis et omni plebi Israël: quia in nómine Dómini nostri Iesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli: et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cælo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri.

℟. iii. Laudábo nomen tuum assídue, * Et collaudábo illud in confessióne. ℣. Lætábor et exsultábo in te: psallam nómini tuo, Altíssime. - Et collaudábo. - Glória. - Et collaudábo.

In II Nocturno

Ant. 4 Mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni generatióne et generatiónem.

Ant. 5 Magnificáte Dóminum mecum, et exaltémus nomen eius in idípsum.

Ant. 6 Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine: et glorificábunt nomen tuum.

℣. Propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos. ℟. Et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Sermo 15 super Cantica

Lectio iv

Est procul dúbio inter óleum et nomen Sponsi similitúdo, nec otióse Spíritus Sanctus altérutrum comparávit. Ego autem dico in tríplici quadam qualitáte ólei, quod lucet, pascit et ungit, si vos mélius non habétis. Fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolórem: lux, cibus, medicína. Vide idem nunc et de Sponsi nómine: Lucet prædicátum, pascit recogitátum, invocátum lenit et ungit. Et percurrámus síngula. Un-

de putas in toto orbe tanta et tam súbita fídei lux, nisi de prædicáto nómine Iesu? Nonne in huius nóminis luce Deus nos vocávit in admirábile lumen suum? Quibus illuminátis et in lúmine isto vidéntibus lumen dicat mérito Paulus: Fuístis aliquándo ténebræ, nunc autem lux in Dómino.

℟. iv. Sperent in te qui novérunt nomen tuum: * Quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos: et líbera nos propter nomen tuum. - Quóniam.

Lectio v

Hoc dénique nomen coram régibus et géntibus et fíliis Israël portáre iussus est idem Apóstolus: et portábat nomen tamquam lumen, et illumináb pátriam, et clamábat ubíque: Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum et induámur arma lucis: sicut in die honéste ambulémus. Et monstrábat ómnibus lucérnam super candelábrum, annúntians in omni loco Iesum et hunc crucifíxum. Quómodo lux ista respléndui ac perstrínxit cunctórum intuéntium óculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrédiens, claudi uníus corporáles plantas solidávit et bases; multósque spirituáliter cæcos illumináv it? Numquid non ignem sparsit, cum ait: In nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula?

℟. v. Confiteámur nómini tuo magno: * Quóniam terríbile et sanctum est. ℣. Hi in cúrribus et hi in equis: nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus. - Quóniam.

Lectio vi

Nec tantum lux est nomen Iesu, sed est et cibus. An non tóties confortáris, quóties recordáris? Quid æque mentem cogitántis impínguat? Quid ita exercitátos réparat sensus, virtútes róborat, végetat mores bonos atque honéstos, castas fovet affectiónes? Aridus est omnis ánimæ cibus, si non óleo isto infúnditur: insípidus est, si non hoc sale condítur. Si scribas, non sapit mihi, nisi légero ibi Iesum. Si dísputes aut cónferas, non sapit mihi, nisi sonúerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in aure melos, in corde iúbilus. Sed est et

medicína. Tristátur áliquis nostrum? Véniat in cor Iesus, et inde sáliat in os: et ecce ad exórtum nóminis lumen, núbilum omne díffugit, redit serénum. Lábitur quis in crimen? Currit ínsuper ad láqueum mortis desperándo? Nonne, si ínvocet nomen vitæ, confestim respirábit ad vitam?

℟. vi. Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine: in ætérnum exsultábunt, et habitábis in eis: et gloriabúntur in te omnes * Qui díligunt nomen tuum. ℣. Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt et in nómine tuo exsultábunt tota die. - Qui. - Glória. - Qui.

In III Nocturno

Ant. 7 Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Ant. 8 Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: iustítia plena est déxtera tua.

Ant. 9 Cantáte Deo, psalmum dícite nómini eius: iter fácite ei, qui ascéndit super occásum: Dóminus nomen illi.

℣. Afférte Dómino glóriam et honórem. ℟. Afférte Dómino glóriam nómini eius.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 2

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur Puer, vocátum est nomen eius Iesus. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis

Serm. 1 de Circumcisione

Magnum et mirábile sacraméntum! Circumcíditur Puer, et vocátur Iesus. Quid sibi vult ista connéxio? Circumcísio nempe salvándi pótius quam salvatóris esse vidétur: et salvatórem circumcídere pótius decet, quam circumcídi. Sed agnósce Mediatórem Dei et hóminum, qui ab ipso nativitátis suæ exórdio divínis humána sóciat, ima summis. Náscitur ex muliere: sed cui fecunditátis fructus sic accédat, ut non décidat flos virginitátis. Pannis invólvitur: sed panni ipsi angélicis láudibus honorántur. Abscónditur in præsépio: sed próditur radiánte stella de cælo. Sic et circumcísio veritátem suscéptæ probat humanitátis: et nomen, quod est super omne nomen, glóriam índicat maiestátis. Circumcíditur tamquam

verus Abrahæ fílius: Iesus vocátur tamquam verus Fílius Dei.

℟. vii. Tribulatiónem et dolórem invéni: * Et nomen Dómini invocávi. ℣. Turris fortíssima nomen Dómini: in ipso sperávi, et adiútus sum. - Et.

Lectio viii

Neque enim ad instar priórum meus iste Iesus nomen vácuum aut ináne portat. Non est in eo magni nóminis umbra, sed véritas. Cælitus síquidem índitum nomen Evangelísta testátur: Quod vocátum est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Et atténde verbi profunditátem. Postquam natus est Iesus, Iesus vocátur ab homínibus: quo nómine vocátus est ab Angelo, priúsquam in útero conciperétur. Idem quippe et Angeli Salvátor et hóminis: sed hóminis, ab incarnatióne; Angeli, ab inítio creatúræ. Vocátum est, ait, nomen eius Iesus, quod vocátum est ab Angelo. In ore ergo duórum vel trium téstium stat omne verbum: et ipsum, quod in Prophéta abbreviátum, maniféstius in Evangélio légitur caro factum.

℟. viii. Exspectábo nomen tuum, Dómine: * Quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum. ℣. Ut confiteámur nómini sancto tuo et gloriémur in laude tua. - Quóniam.

Lectio ix Serm. 2

Mérito sane, dum circumcíditur Puer, qui natus est nobis, Salvátor vocátur: quod vidélicet ex hoc iam cœperit operári salútem nostram, immaculátum illum pro nobis sánguinem fundens. Neque enim iam quærere est Christiánis, cur volúerit Dóminus Christus circumcídi. Propter hoc síquidem circumcísus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed ómnia propter eléctos. Nec in peccáto génitus, nec a peccáto circumcísus, nec mórtuus est pro peccáto suo: magis autem propter delícta nostra. Quod vocátum est, inquit, ab Angelo priúsquam in útero conciperétur. Vocátum est plane, non impósitum. Nempe hoc ei nomen est ab ætérno. A natúra própria habet, ut sit Salvátor: innátum est ei nomen hoc, non índitum ab humána vel angélica creatúra.

℟. ix. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: * Iesum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno. ℣. Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium. - Iesum Regem Angelórum. - Glória. - Iesum Regem Angelórum.

Ante Laudes ℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Scitóte quia Dóminus ipse est Deus, cuius nomen in ætérnum.

3. Sitívit ánima mea ad nomen sanctum tuum, Dómine.

4. Benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum, et laudábile et superexaltátum in sæcula.

5. Iúvenes et vírgines, senes cum iunióribus, laudáte nomen Dómini: quia exaltátum est nomen eius solíus.

Capitulum Philipp. 2

Christus humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Iesu omne genu flectátur.

Hymnus

Iesu, decus angélicum,
In aure dulce cánticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar cælicum.

Qui te gustant esúriunt,
Qui bibunt adhuc sítiunt:
Desideráre nésciunt
Nisi Iesum, quem díligunt.

O Iesu mi dulcíssime,
Spes suspirántis ánimæ,
Te quærunt piæ lácrimæ,
Te clamor mentis íntimæ.

Mane nobíscum, Dómine,
Et nos illústra lúmine:
Pulsa mentis calígine,
Mundum reple dulcédine.

Iesu, flos Matris Vírginis,
Amor nostræ dulcédinis:
Tibi laus, honor nóminis,
Regnum beatitúdinis.
Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Ad Bened. ant. Dedit se, ut liberáret pópulum, et acquíreret sibi nomen ætérnum.

Oratio

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Iesum vocári iussísti: concéde propítius ut, cuius sanctum Nomen venerámur in terris, eius quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per eúndem.

Ad Horas antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine Maria.

AD TERTIAM

Capitulum Philipp. 2

Christus humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Iesu omne genu flectátur.

℟. Sit nomen Dómini benedíctum, * Allelúia, allelúia. Sit nomen. ℣. Ex hoc nunc et usque in sæculum. Allelúia. Glória. Sit nomen.

℣. Afférte Dómino glóriam et honórem. ℟. Afférte Dómino glóriam nómini eius.

AD SEXTAM

Capitulum Philipp. 2

In nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Iesus Christus in glória est Dei Patris.

℟. Afférte Dómino glóriam et honórem, * Allelúia, allelúia. Afférte. ℣. Afférte Dómino glóriam nómini eius. Allelúia. Glória. Afférte Dómino glóriam et honórem.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen eius in idípsum.

AD NONAM

Capitulum Coloss. 3

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu Christi fácite, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

℟. Magnificáte Dóminum mecum, * Allelúia, allelúia. Magnificáte. ℣. Et exaltémus nomen eius in idípsum. Allelúia. Glória. Magnificáte.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

AD VESPERAS

¶ Quando hoc festum celebratur die 5 ianuarii, Vesperæ dicuntur de sequenti festo Epiphaniæ sine memoria de festo currenti.

Ant. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ꝛ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ꝛ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣. dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣. confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣. iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣. déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Ant. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

Capitulum Philipp. 2

Christus humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nómine Iesu omne genu flectátur.

Hymnus

Iesu dulcis memória,
Dans vera cordi gáudia,
Sed super mel et ómnia
Eius dulcis præséntia.

Nil cánitur suávius,
Nil audítur iucúndius,
Nil cogitátur dúlcius
Quam Iesus Dei Fílius.

Iesu, spes pæniténtibus,
Quam pius es peténtibus,
Quam bonus te quæréntibus,
Sed quid inveniéntibus!

Nec lingua valet dícere,
Nec líttera exprímere:
Expértus potest crédere
Quid sit Iesum dilígere.

Sis, Iesu, nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sǽcula.
Amen.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ad Magnif. ant. Vocábis nomen eius Iesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Oratio

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Iesum vocári iussísti: concéde propítius ut, cuius sanctum Nomen venerámur in terris, eius quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per eúndem.

IN EPIPHANIA DOMINI

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

℟. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. - Hic est. - Glória. - Hic est.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.

Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes prǽviam:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ:
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque iussa fúndere,
Mutávit unda orígenem.

Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Ad Magnif. ant. Magi vidéntes stellam dixérunt ad ínvicem: Hoc signum magni Regis est: eámus, et inquirámus eum, et offerámus ei múnera, aurum, thus et myrrham, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius ut, qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Lux de luce apparuísti, Christe, cui Magi múnera ófferunt, allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica 610.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Omnes de Saba vénient, allelúia: aurum et thus deferéntes, allelúia, allelúia.

¶ Prædictæ antiphonæ et psalmi dicuntur quotidie in Completorio usque ad diem 13 ianuarii inclusive, etiam in festis Sanctorum.

AD MATUTINUM

Non dicitur invitatorium, neque hymnus, sed statim post Dómine, lábia mea apéries, et Deus, in adiutórium, incípitur a primo Nocturno.

Die 13 ianuarii vero dicitur:

Invit. Christus appáruit nobis: * Veníte, adorémus.

Hymnus ut ad I Vesperas 124.

In I Nocturno

Ant. 1 Afférte Dómino, fílii Dei: adoráte Dóminum in aula sancta eius.

Psalmus 28

Afférte Dómino, fílii Dei: * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, ℣. afférte Dómino glóriam nómini eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Vox Dómini super aquas, ℣. Deus maiestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * et confrínget Dóminus cedros Líbani:

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani: * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: ℣. vox Dómini concutiéntis desértum: * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, ℣. et revelábit condénsa: * et in templo eius omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Afférte Dómino, fílii Dei: adoráte Dóminum in aula sancta eius.

Ant. 2 Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia, civitátem Dei, allelúia.

Psalmus 45

Deus noster refúgium et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Flúminis ímpetus lætíficat, allelúia, civitátem Dei, allelúia.

Ant. 3 Psállite Deo nostro, psállite: psállite Regi nostro, psállite sapiénter.

Psalmus 46

Omnes gentes, pláudite mánibus: * iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis, * rex magnus super omnem terram.

Subiécit pópulos nobis * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam: * spéciem Iacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in iúbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham, * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Psállite Deo nostro, psállite: psállite Regi nostro, psállite sapiénter.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent.
℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 55

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas: et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Hódie in Iordáne baptizáto Dómino apérti sunt cæli: et sicut colúmba super eum Spíritus mansit, et vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est. - Hic est.

Lectio ii

Inclináte aurem vestram et veníte ad me: audíte, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem ac præceptórem géntibus. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis: et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum et sanctum Israël, quia glorificávit te. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. - Hic est.

Lectio iii

Quærite Dóminum, dum inveníri potest: invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius, et ad Deum nostrum: quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ, neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia, sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt

viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. iii. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * Reges Arabum et Saba dona Dómino Deo addúcent. ℣. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes. - Reges Arabum. - Glória. - Reges Arabum.

In II Nocturno

Ant. 4 Omnis terra adóret te et psallat tibi: psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Psalmus 65

Iubiláte Deo, omnis terra, ; psalmum dícite nómini eius: * date glóriam laudi eius.

Dícite Deo: Quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te et psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, ; in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, ; óculi eius super gentes respíciunt: * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum: * et audítam fácite vocem laudis eius,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, ; posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam: * et eduxísti nos in refrigérium.

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea,

Et locútum est os meum * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam et misericórdiam suam a me.

Ant. Omnis terra adóret te et psallat tibi: psalmum dicat nómini tuo, Dómine.

Ant. 5 Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent Regi Dómino.

Psalmus 71

Deus, iudícium tuum regi da: * et iustítiam tuam fílio regis:

Iudicáre pópulum tuum in iustítia, * et páuperes tuos in iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles iustítiam.

Iudicábit páuperes pópuli, ; et salvos fáciet fílios páuperum; * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci eius terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem cui non erat adiútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet et dábitur ei de auro Arábiæ, ; et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ; superextollétur super Líbanum fructus eius: * et florébunt de civitáte sicut fenum terræ.

Sit nomen eius benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen eius.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: ℣ et replébitur maiestáte eius omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent Regi Dómino.

Ant. 6 Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine.

Psalmus 85

Inclína, Dómine, aurem tuam et exáudi me: * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine, * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes, quascúmque fecísti, ℣ vénient et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, ℣ et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens et multæ misericórdiæ et verax,

Réspice in me et miserére mei, ℣ da impérium tuum púero tuo: * et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ℣ ut vídeant qui odérunt me et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adiuvísti me et consolátus es me.

Ant. Omnes gentes, quascúmque fecísti, vénient et adorábunt coram te, Dómine.

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

Sermo sancti Leónis Papæ

Serm. 2 de Epiphania

Lectio iv

Gaudéte in Dómino, dilectíssimi, íterum dico, gaudéte: quóniam brevi intervállo témporis post solemnitátem Nativitátis Christi, festívitas Declaratiónis eius illúxit: et quem in illo die Virgo péperit, in hoc mundus agnóvit. Verbum enim caro factum sic susceptiónis nostræ temperávit exórdia: ut natus Iesus et credéntibus maniféstus et persequéntibus esset occúltus. Magos ad eum adorándum prævia stella perdúxit: ut a solis ortu usque ad occásum veri Regis generátio coruscáret, cum rerum fidem et regna Oriéntis per Magos díscerent et Románum impérium non latéret.

℟. iv. Illumináre, illumináre, Ierúsalem: quia venit lux tua, * Et glória Dómini super te orta est.

℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. - Et glória.

Lectio v

Nam et sævítia Heródis, volens primórdia suspécti sibi Regis exstínguere, huic dispensatióni nésciens serviébat: ut dum atróci inténtus facínori, ignótum sibi púerum indiscréta infántium cæde perséquitur, annuntiátum cælitus Dominatóris ortum insígnior ubíque fama loquerétur. Agnoscámus ergo, dilectíssimi, in Magis adoratóribus Christi, vocatiónis nostræ fideíque primítias: et exsultántibus ánimis beátæ spei inítia celebrémus.

℟. v. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, * Et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent. - Et laudem.

Lectio vi

Exínde enim in ætérnam hereditátem cœpimus introíre: exínde nobis Christum loquéntia Scripturárum arcána patuérunt; et véritas, quam Iudæórum obcæcátio non récipit, ómnibus natiónibus lumen suum invéxit.

Honorétur ítaque a nobis sacratíssimus dies, in quo salútis nostræ Auctor appáruit: et quem Magi infántem veneráti sunt in cunábulis, nos omnipoténtem adorémus in cælis. Ac sicut illi de thesáuris suis mýsticas Dómino múnerum spécies obtulérunt, ita et nos de córdibus nostris quæ Deo sunt digna promámus.

℟. vi. Magi véniunt ab Oriénte Ierosólymam, quæréntes et dicéntes: Ubi est qui natus est, cuius stellam vídimus, * Et vénimus adoráre Dóminum? ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. - Et. - Glória. - Et.

In III Nocturno

In ipso die festo

Ant. 7 Veníte, adorémus eum: quia ipse est Dóminus Deus noster.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino: * iubilémus Deo, salutári nostro:

Præoccupémus fáciem eius in confessióne: * et in psalmis iubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus: * et rex magnus super omnes deos.

Quia in manu eius sunt omnes fines terræ: * et altitúdines móntium ipsíus sunt.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud: * et siccam manus eius formavérunt.

Veníte, adorémus et procidámus: et plorémus ante Dóminum, qui fecit nos. * Quia ipse est Dóminus Deus noster:

Et nos pópulus páscuæ eius et oves manus eius. * Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra;

Sicut in irritatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ℣ ubi tentavérunt me patres vestri, * probavérunt me et vidérunt ópera mea.

Quadragínta annis offénsus fui generatióni illi, * et dixi: Semper hi errant corde.

Et isti non cognovérunt vias meas: ℣ ut iurávi in ira mea: * Si introíbunt in réquiem meam.

Ant. Veníte, adorémus eum: quia ipse est Dóminus Deus noster.

Die 13 ianuarii

vero dicitur

Ant. 7 Homo natus est in ea: et ipse fundávit eam Altíssimus.

Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Homo natus est in ea: et ipse fundávit eam Altíssimus.

Ant. 8 Adoráte Dóminum, allelúia, in aula sancta eius, allelúia.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣ commoveátur mare et plenitúdo eius: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Adoráte Dóminum, allelúia, in aula sancta eius, allelúia.

Ant. 9 Adoráte Deum, allelúia, omnes Angeli eius, allelúia.

Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Adórate Deum, allelúia, omnes Angeli eius, allelúia.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 2

Cum natus esset Iesus in Béthlehem Iuda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriénte venérunt Ierosólymam, dicéntes: Ubi est qui natus est rex Iudæórum? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 10 in Evang.

Sicut in lectióne evangélica, fratres caríssimi, audístis, cæli Rege nato, rex terræ turbátus est: quia nimírum terréna altitúdo confúnditur, cum celsitúdo cæléstis aperítur. Sed quæréndum nobis est, quídnam sit, quod, Redemptóre nato, pastóribus in Iudæa Angelus appáruit atque ad adorándum hunc ab Oriénte Magos non Angelus, sed stella perdúxit. Quia vidélicet Iudæis, tamquam ratióne

uténtibus, rationále ánimal, id est Angelus, prædicáre débuit: gentíles vero, quia uti ratióne nesciébant, ad cognoscéndum Dóminum non per vocem, sed per signa perducúntur.

℟. vii. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, donec venírent ad locum ubi Puer erat. Vidéntes autem eam * Gavísi sunt gáudio magno. ℣. Et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. - Gavísi.

Lectio viii

Et notándum quod Redemptórem nostrum, cum iam perféctæ esset ætátis, eísdem gentílibus Apóstoli prædicant, eúmque párvulum, et necdum per humáni córporis offícium loquéntem, stella géntibus denúntiat: quia nimírum ratiónis ordo poscébat, ut et loquéntem iam Dóminum loquéntes nobis prædicatóres innotéscerent, et necdum loquéntem eleménta muta prædicárent. Omnia quippe eleménta Auctórem suum venísse testáta sunt. Ut enim de eis quiddam usu humáno loquar: Deum hunc cæli esse cognovérunt, quia prótinus stellam misérunt.

℟. viii. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum, invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. * Et apértis thesáuris suis obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. ℣. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat Puer. - Et apértis.

Lectio ix

Mare cognóvit, quia sub plantis eius se calcábile præbuit. Terra cognóvit, quia eo moriénte contrémuit. Sol cognóvit, quia lucis suæ rádios abscóndit. Saxa et paríetes cognovérunt, quia témpore mortis eius scissa sunt. Inférnus agnóvit, quia hos quos tenébat mórtuos réddidit. Et tamen hunc, quem Dóminum ómnia insensibília eleménta sensérunt, adhuc infidélium Iudæórum corda Deum esse mínime cognóscunt, et durióra saxis scindi ad pæniténdum nolunt.

℟. ix. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína

mystéria: * In auro osténditur Regis poténtia: in thure Sacerdótem magnum consídera, Et in myrrha Domínicam sepultúram. ℣. Salútis nostræ Auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. - In auro. - Glória. - Et in myrrha.

Postea sequitur:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

℟. Glória tibi, Dómine.

Cap. 3

Factum est autem, cum baptizarétur omnis pópulus, et Iesu baptizáto et oránte, apértum est cælum: et descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cælo facta est: Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi. Et ipse Iesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Ianne, qui fuit Ioseph, qui fuit Mathathíæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Mahath, qui fuit Mathathíæ, qui fuit Sémei, qui fuit Ioseph, qui fuit Iuda, qui fuit Ioánna, qui fuit Resa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Saláthiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Cosan, qui fuit Elmadam, qui fuit Her, qui fuit Iesu, qui fuit Eliézer, qui fuit Iorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Símeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioseph, qui fuit Iona, qui fuit Eliákim, qui fuit Mélea, qui fuit Menna, qui fuit Máthatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Iesse, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naásson, qui fuit Amínadab, qui fuit Aram, qui fuit Esron, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Isaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Rágau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cáinan, qui fuit Arphákxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathúsale, qui fuit Henoch, qui fuit Iared, qui fuit Maláleel, qui fuit Cáinan, qui fuit Henos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei. Iesus autem plenus Spíritu Sancto regréssus est a Iordáne.

Dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Venit lumen tuum, Ierúsalem, et glória Dómini super te orta est: et ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia.

3. Apértis thesáuris suis obtulérunt Magi Dómino aurum, thus et myrrham, allelúia.

4. Mária et flúmina, benedícite Dómino: hymnum dícite, fontes, Dómino, allelúia.

5. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino, aurum, thus et myrrham, Fílio Dei, Regi magno, allelúia.

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

A Patre Unigénitus
Ad nos venit per Vírginem,
Baptísma cruce cónsecrans,
Cunctos fidéles génerans.
De cælo celsus pródiit,
Excépit formam hóminis:
Factúram morte rédimens,
Gáudia vitæ lárgiens.
Hoc te, Redémptor, quæsumus:
Illábere propítius,
Clarúmque nostris sénsibus
Lumen præbe fidélibus.
Mane nobíscum, Dómine,
Noctem obscúram rémove:
Omne delíctum áblue,
Piam medélam tríbue.
Quem iam venísse nóvimus,
Redíre item crédimus:
Sub sceptro tuo ínclito
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta eius.

Ad Bened. ant. Hódie cæléstí Sponso iuncta est Ecclésia, quóniam in Iordáne lavit Christus eius crímina: currunt cum munéribus Magi ad regáles núptias: et ex aqua facto vino lætántur convívæ, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius ut, qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui apparuísti hódie.

¶ Et dicitur quotidie usque ad diem 13 ianuarii inclusive, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

AD TERTIAM

Ant. Venit lumen tuum, Ierúsalem, et glória Dómini super te orta est: et ambulábunt gentes in lúmine tuo, allelúia.

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

℟. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, * Allelúia, allelúia. Reges Tharsis. ℣. Reges Arabum et Saba dona addúcent. Allelúia. Glória. Reges Tharsis.

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

AD SEXTAM

Ant. Apértis thesáuris suis obtulérunt Magi Dómino aurum, thus et myrrham, allelúia.

Capitulum Is. 60

Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui.

℟. Omnes de Saba vénient, * Allelúia, allelúia. Omnes de Saba vénient. ℣. Aurum et thus deferéntes. Allelúia. Glória. Omnes de Saba vénient.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

AD NONAM

Ant. Tria sunt múnera, quæ obtulérunt Magi Dómino, aurum, thus et myrrham, Fílio Dei, Regi magno, allelúia.

Capitulum Is. 60

Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

℟. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, * Allelúia, allelúia. Omnis terra. ℣. Psalmum dicat nómini tuo. Allelúia. Glória. Omnis terra.

℣. Adoráte Dóminum. ℟. In aula sancta eius.

AD II VESPERAS

Ant. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ȝ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ȝ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi. [Gl.]

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cun princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli,

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Ante lucíferum génitus et ante sæcula Dóminus Salvátor noster hódie mundo appáruit.

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.

Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes prævíam:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ:
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque iussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.

Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Ad Magnif. ant. Ab Oriénte venérunt Magi in Béthlehem adoráre Dóminum: et apértis thesáuris suis pretiósa múnera obtulérunt: aurum sicut Regi magno, thus sicut Deo vero, myrrham sepultúræ eius, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius ut, qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

Dominica I
post Epiphaniam

SANCTÆ FAMILIÆ IESU, MARIÆ, IOSEPH

II classis

¶ Si hoc festum in diem 13 ianuarii inciderit, de occurrenti Commemoratione Baptismatis Domini nihil fit.

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Iacob autem génuit Ioseph virum Maríæ, de qua natus est Iesus, qui vocátur Christus.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Luc. 2

Descéndit Iesus cum María et Ioseph, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

℟. Descéndit Iesus cum paréntibus, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater eius conservábat ómnia verba hæc in corde suo. * Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines. ℣. Honóra patrem tuum et matrem tuam: sic præcéperat Dóminus Deus in Lege Móysi, et ita in Fílio suo exémplum nobis præbuit. - Et Iesus. - Glória. - Et Iesus.

Hymnus

O lux beáta cælitum
Et summa spes mortálium,
Iesu, o cui doméstica
Arrísit orto cáritas:

María, dives grátia,
O sola quæ casto potes
Fovére Iesum péctore,
Cum lacte donans óscula:

Tuque ex vetústis pátribus
Delécte custos Vírginis,
Dulci patris quem nómine
Divína Proles ínvocat.

De stirpe Iesse nóbili
Nati in salútem géntium,
Audíte nos qui súpplices
Vestras ad aras sístimus.

Dum sol redux ad vésperum
Rebus nitórem détrahit,
Nos hic manéntes íntimo
Ex corde vota fúndimus.

Qua vestra sedes flóruit
Virtútis omnis grátia,
Hanc detur in domésticis
Referre posse móribus.

Iesu, tuis obédiens
Qui factus es paréntibus,
Cum Patre summo ac Spíritu
Semper tibi sit glória.
Amen.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.

Ad Magnif. ant. Verbum caro factum est, et habitávit in nobis, plenum grátiæ et veritátis; de cuius plenitúdine omnes nos accépimus, et grátiam pro grátia, allelúia.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui Maríæ et Ioseph súbditus domésticam vitam ineffabílibus virtútibus consecrásti: fac nos, utriúsque auxílio, Famíliæ sanctæ tuæ exémplis ínstrui; et consórtium cónsequi sempitérnum: Qui vivis.

Completorium de Epiphania.

AD MATUTINUM

Invit. Christum, Dei Fílium, Maríæ et Ioseph súbditum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Sacra iam splendent decoráta lychnis
Templa, iam sertis redimítur ara,
Et pio fumant redoléntque acérræ
Thuris honóre.

Num iuvet Summo Géniti Paréntе
Régios ortus celebráre cantu?
Num domus David, décora et vetústæ
Nómina gentis?

Grátius nobis memoráre parvum
Názaræ tectum tenuémque cultum;
Grátius Iesu tácitam referre
Cármine vitam.

Nili ab extrémis peregrínus oris,
Angeli ductu, própere remígrat
Multa perpéssus Puer, et patérno
Límine sospes,

Arte, qua Ioseph, húmili excoléndus
Abdito Iesus iuvenéscit ævo,
Seque fabrílis sócium labóris
Adicit ultro.

Irriget sudor mea membra, dixit,
Antequam sparso mádeant cruóre:
Hæc quoque humáno géneri expiándo
Pœna luátur.

Assidet Nato pia Mater almo,
Assidet Sponso bona nupta, felix
Si potest curas releváre fessis
Múnere amíco.

O neque expértes óperæ et labóris,
Nec mali ignári, míseros iuváte,
Quos reluctántes per acúta rerum
Urget egéstas.

Démite his fastus, quibus ampla splendet
Fáustitas, mentem date rebus æquam:
Quotquot implórant cólumen, benígno
Cérnite vultu.

Sit tibi, Iesu, decus atque virtus,
Sancta qui vitæ documénta præbes,
Quique cum summo Genitóre et almo
Flámine regnas. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum.

Psalmi ut in festis B. Mariæ V. [21].

Ant. 2 Ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilæam in civitátem suam Názareth.

Ant. 3 Puer autem crescébat, et confortabátur plenus sapiéntia, et grátia Dei erat in illo.

℣. Propter nos egénus factus est, cum esset dives. ℟. Ut illíus inópia nos dívites essémus.

De Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Colossénses

Lectio i Cap. 3

Indúite vos ergo, sicut elécti Dei, sancti et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patién-

tiam: supportántes ínvicem et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore: et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docéntes et commonéntes vosmetípsos, psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo.

℟. i. Deus noster in terris visus est, * Et cum homínibus conversátus est. ℣. Hic adinvénit omnem viam disciplínæ, et trádidit illam Iacob púero suo. - Et.

Lectio ii

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum. Mulíeres, súbditæ estóte viris, sicut opórtet, in Dómino. Viri, dilígite uxóres vestras et nolíte amári esse ad illas. Fílii, obedíte paréntibus per ómnia: hoc enim plácitum est in Dómino. Patres, nolíte ad indignatiónem provocáre fílios vestros, ut non pusíllo ánimo fiant.

℟. ii. Beáti qui hábitant * In domo tua, Dómine. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. - In domo.

Lectio iii Cap. 3 et 4

Servi, obedíte per ómnia dóminis carnálibus, non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed in simplicitáte cordis, timéntes Deum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino et non homínibus: sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis. Dómino Christo servíte. Qui enim iniúriam facit, recípiet id quod iníque gessit: et non est personárum accéptio apud Deum. Dómini, quod iustum est et æquum, servis præstáte: sciéntes quod et vos Dóminum habétis in cælo. Oratióni instáte, vigiléntes in ea in gratiárum actióne.

℟. iii. Débuit per ómnia frátribus assimilári, * Ut miséricors fíeret. ℣. Cum esset Fílius Dei, dídicit ex iis quæ passus est, obediéntiam. - Ut miséricors fíeret. - Glória. - Ut miséricors fíeret.

In II Nocturno

Ant. 4 Consúrgens Ioseph accépit púerum et matrem eius nocte, et secéssit in Ægýptum.

Ant. 5 Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: Surge et áccipe púerum et matrem eius, et vade in terram Israël.

Ant. 6 Et véniens habitávit Názareth, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

℣. Dóminus vias suas docébit nos. ℟. Et ambulábimus in sémitis eius.

Ex Lítteris Apostólicis Leónis Papæ décimi tértii

Breve Néminem fugit
14 iunii 1892

Lectio iv

Miséricors Deus cum humánæ reparatiónis opus, quod diu sæcula exspectábant, perfícere decrevísset, ita eiúsdem óperis ratiónem ordinémque dispósuit, ut prima ipsa eiúsdem inítia augústam mundo exhibérent spéciem Famíliæ divínitus constitútæ, in qua omnes hómines absolutíssimum domésticæ societátis, omnísque virtútis ac sanctitátis intueréntur exémplar. Talis quidem Família éxstitit Nazarethána illa, in qua, ántequam géntibus univérsis pleno lúmine emicuísset, Sol iustítiæ erat abscónditus: nimírum Christus Deus, Servátor noster, cum Vírgine Matre et Ioseph, viro sanctíssimo, qui erga Iesum patérno fungebátur múnere. Mínime dúbium est quin ex iis láudibus, quæ in societáte et consuetúdine doméstica ex mútuis caritátis offíciis, ex sanctitáte morum, ex pietátis exercitatióne proficiscúntur, máxima quæque enitúerit in sacra illa Família, quæ síquidem eárum futúra erat céteris documénto. Ac proptérea benígno Providéntiæ consílio sic illa cónstitit, ut sínguli christiáni, qualicúmque conditióne vel loco, si ad eam ánimum advértant, fácile possint cuiuscúmque virtútis exercéndæ habére causam et invitaméntum.

℟. iv. Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est mei. ℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis, beátus es, et bene tibi erit. - Dóminus.

Lectio v

Habent revéra patres famílias in Ioseph vigilántiæ providentiæque

patérnæ præclaríssimam normam: habent matres in sanctíssima Vírgine Deípara amóris, verecúndiæ, submissiónis ánimi perfectáque fídei insígne spécimen: fílii vero famílias in Iesu, qui erat súbditus illis, habent divínum obediéntiæ exémplar quod admiréntur, colant, imiténtur. Qui nóbiles nati sunt, discent a Família régii sánguinis quómodo et in édita fortúna se témperent, et in afflícta retíneant dignitátem: qui dites, noscent ab ea quantum sint virtútibus posthabéndæ divítiæ. Operárii autem et ii omnes, qui familiárium rerum angústiis ac tenuióre conditióne tam ácriter irritántur, si ad sanctíssimos illíus domésticæ societátis consórtes respéctent, non déerit eis causa cur loco, qui sibi óbtigit, delecténtur pótius quam dóleant. Commúnes enim cum Sacra Família sunt illis labóres; commúnes curæ de vita quotidiána: débuit et Ioseph de mercéde sua vitæ ratiónibus consúlere; imo ipsæ divínæ manus se fabrílibus exercuérunt. Nec mirum sane est si sapientíssimi hómines divítiis afflUéntes, eas abícere volúerint, sociámque cum Iesu, María et Ioseph sibi elígere paupertátem.

℣. v. Vulpes fóveas habent, et vólucres cæli nidos, * Fílius autem hóminis non habet ubi caput reclínet. ℣. Pauper sum ego, et in labóribus a iuventúte mea. - Fílius.

Lectio vi

Quibus e rebus iure meritóque apud cathólicos Sacræ Famíliæ cultus matúre invéctus, maius in dies síngulos increméntum capit. Id quidem probant tum christianórum sodalitátes sub invocatióne Sacræ Famíliæ institútæ, tum singuláres honóres ei rédditi, tum potíssimum a decessóribus Nostris ad excitándum erga eam pietátis stúdium impertíta privilégia et grátiæ. Huiúsmodi cultus magno in honóre hábitus est iam inde a sæculo décimo séptimo, latéque per Itáliam, Gálliam et Bélgium propagátus, totam fere Európam pervásit: deínde prætergréssus vastos Océani tractus, in América per Canadénsem regiónem sese exténdit, faustísque efflóruit auspíciis. Síquidem nihil magis salutáre aut éfficax famíliis christiánis cogitári potest exémplo Sacræ Famíliæ, quæ perfectiónem absolutionémque compléctitur ómnium virtútum domesticárum. Sic imploráti inter domésticos paríetes adsint propítii Iesus, María et Ioseph, caritátem alant, mores regant, ad virtútem próvocent imitatióne sui, et quæ úndique instant mortáles ærúmnæ, eas leniéndo fáciant tolerabilióres. - Ad cultum vero Sacræ Famíliæ augéndum Leo Papa décimus tértius christiánas famílias eídem Sacræ Famíliæ consecrári præscrípsit: Benedíctus autem décimus quintus Offícium et Missam ad univérsam Eclésiam exténdit.

℣. vi. Cum in forma Dei esset, semetípsum exinanívit, * Formam servi accípiens. ℣. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem. - Formam. - Glória. - Formam.

In III Nocturno

Ant. 7 Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die solémni Paschæ.

Ant. 8 Cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius.

Ant. 9 Non inveniéntes Iesum, regréssi sunt in Ierúsalem, requiréntes eum. ℣. Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea. ℣. Exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 2

Cum factus esset Iesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Ierosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. Et réliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis

Homilia 1 super Missus est, n. 7-8

Et erat súbditus illis. Quis, quibus? Deus homínibus; Deus, inquam, cui Angeli súbditi sunt, cui Principátus et Potestátes obédiunt, súbditus erat Maríæ, nec tantum Maríæ, sed étiam Ioseph propter Maríam. Miráre ergo utrúmlibet, et élige quid ámplius miréris, sive Fílii benignissimam dignatiónem, sive Matris excellentíssimam dignitátem. Utrínque stupor, utrínque miráculum. Et quod Deus

féminæ obtémperet, humílitas absque exémplo; et quod Deo fémina princípétur, sublímitas sine sócio. In láudibus vírginum singuláriter cánitur quod sequúntur Agnum quocúmque íerit. Quibus ergo láudibus iúdicas dignam, quæ étiam præit?

℟. vii. Vere tu es Rex abscónditus, * Deus Israël Salvátor. ℣. Tu doces hóminem sciéntiam. - Deus.

Lectio viii

Disce, homo, obedíre; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperáre. De auctóre tuo loquens Evangelísta, Et erat, inquit, súbditus illis; haud dúbium quin Maríæ et Ioseph. Erubésce, supérbe cinis! Deus se humíliat, et tu te exáltas? Deus se homínibus subdit, et tu, dominári géstiens homínibus, tuo te præpónis auctóri? Utinam mihi, aliquándo tale áliquid cogitánti, Deus respondére dignétur quod et suo increpándo respóndit Apóstolo: Vade, inquit, post me, sátana, quia non sapis ea quæ Dei sunt. Quóties enim homínibus præésse desídero, tóties Deum præíre conténdo; et tunc vere non sápio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est: Et erat súbditus illis. Si hóminis, o homo, imitári dedignáris exémplum, certe non erit tibi indígnum sequi auctórem tuum. Si non potes fórsitan sequi eum quocúmque íerit, dignáre vel sequi quo tibi condescéndit.

℟. viii. Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi: * Ita et per uníus obeditiónem iusti constituéntur multi. ℣. Venit Názareth et erat súbditus illis. - Ita.

Lectio ix

Si non potes sublímem incédere sémitam virginitátis, séquere vel Deum per tutíssimam viam humilitátis; a cuius rectitúdine si qui étiam de virgínibus deviáverint, ut verum fátear, nec ipsi sequúntur Agnum quocúmque íerit. Séquitur quidem Agnum coinquinátus húmilis, séquitur et virgo supérbus, sed néuter quocúmque íerit: quia nec ille ascéndere potest ad mundítiam Agni, qui sine mácula est; nec is ad eiúsdem mansuetúdinem descéndere dignátur, qua scílicet non coram tondénte, sed coram occidénte se obmútuit. Attamen salubriórem elégit sequéndi partem in humilitáte peccátor, quam in virginitáte supérbus; cum et illíus immundítiam sua húmilis satisfáctio purget, et huius pudicítiam supérbia ínquinet.

℟. ix. Descéndit Iesus cum paréntibus, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater eius conservábat ómnia verba hæc in corde suo. * Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines. ℣. Honóra patrem tuum et matrem tuam: sic præcéperat Dóminus Deus in Lege Móysi, et ita in Fílio suo exémplum nobis præbuit. - Et Iesus. - Glória. - Et Iesus.

Ante Laudes ℣. Ecce testem pópulis dedi eum. ℟. Ducem ac præceptórem géntibus.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Post tríduum invenérunt Iesum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Dixit Mater Iesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te.

3. Descéndit Iesus cum eis, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

4. Et Iesus proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines.

5. Et dicébant: Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri fílius?

Capitulum Luc. 2

Descéndit Iesus cum María et Ioseph, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Hymnus

O gente felix hóspita,
Augústa sedes Názaræ,
Quæ fovit alma Ecclésiæ
Et prótulit primórdia.
Sol, qui perérrat áureo
Terras iacéntes lúmine,
Nil grátius per sæcula
Hac vidit æde, aut sánctius.
Ad hanc frequéntes cónvolant
Cæléstis aulæ núntii,
Virtútis hoc sacrárium
Visunt, revísunt, éxcolunt.
Qua mente Iesus, qua manu
Optáta patris pérficit!
Quo Virgo gestit gáudio
Matérna obíre múnera!
Adest amóris párticeps
Curáque Ioseph cóniugi,
Quos mille iungit néxibus
Virtútis auctor grátia.

Hi diligéntes ínvicem
In Iesu amórem cónfluunt,
Utríque Iesus mútuæ
Dat caritátis prǽmia.

Sic fiat, ut nos cáritas
Iungat perénni fœdere,
Pacémque alens domésticam
Amára vitæ témperet!

Iesu, tuis obédiens
Qui factus es paréntibus,
Cum Patre summo ac Spíritu
Semper tibi sit glória.
Amen.

℣. Ponam univérsos fílios tuos doctos a Dómino. ℟. Et multitúdinem pacis fíliis tuis.

Ad Bened. ant. Illúmina nos, Dómine, exémplis famíliæ tuæ, et dírige pedes nostros in viam pacis.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui Maríæ et Ioseph súbditus domésticam vitam ineffabílibus virtútibus consecrásti: fac nos, utriúsque auxílio, Famíliæ sanctæ tuæ exémplis ínstrui; et consórtium cónsequi sempitérnum: Qui vivis.

Ad Horas antiphona et psalmi de dominica.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui Maríæ et Ioseph súbditus fuísti.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Propter nos egénus factus est, cum esset dives, * Allelúia, allelúia. Propter. ℣. Ut illíus inópia nos dívites essémus. Allelúia. Glória. Propter. ℣. Dóminus vias suas docébit nos. ℟. Et ambulábimus in sémitis eius.

AD SEXTAM

Capitulum Rom. 5

Sicut per inobediéntiam uníus hóminis peccatóres constitúti sunt multi, ita et per uníus obeditiónem iusti constituéntur multi.

℟. Dóminus vias suas docébit nos, * Allelúia, allelúia. Dóminus. ℣. Et ambulábimus in sémitis eius. Allelúia. Glória. Dóminus.

℣. Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea. ℟. Exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

AD NONAM

Capitulum Philipp. 2

Semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo.

℟. Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea, * Allelúia, allelúia. Pauper. ℣. Exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus. Allelúia. Glória. Pauper.

℣. Ponam univérsos fílios tuos doctos a Dómino. ℟. Et multitúdinem pacis fíliis tuis.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Post tríduum invenérunt Iesum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos.

Psalmi ut in festis B. Mariæ Virg. [33].

Capitulum Luc. 2

Descéndit Iesus cum María et Ioseph, et venit Názareth, et erat súbditus illis.

Hymnus

O lux beáta cælitum
Et summa spes mortálium,
Iesu, o cui doméstica
Arrísit orto cáritas:

María, dives grátia,
O sola quæ casto potes
Fovére Iesum péctore,
Cum lacte donans óscula:

Tuque ex vetústis pátribus
Delécte custos Vírginis,
Dulci patris quem nómine
Divína Proles ínvocat.

De stirpe Iesse nóbili
Nati in salútem géntium,
Audíte nos qui súpplices
Vestras ad aras sístimus.

Dum sol redux ad vésperum
Rebus nitórem détrahit,
Nos hic manéntes íntimo
Ex corde vota fúndimus.

Qua vestra sedes flóruit
Virtútis omnis grátia,
Hanc detur in domésticis
Referre posse móribus.

Iesu, tuis obédiens
Qui factus es paréntibus,
Cum Patre summo ac Spíritu
Semper tibi sit glória.
Amen.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.

Ad Magnif. ant. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo.

Completorium de Epiphania.

Diebus a 7 ad 12 ianuarii

In Officio feriali tempore Epiphaniæ

Omittuntur preces et prostrationes.

Antiphonæ et psalmi ad omnes Horas (præterquam ad Completorium) et versiculus Nocturni sumuntur de currenti hebdomadæ die, ut in Psalterio.

AD MATUTINUM

Invit. Christus appáruit nobis: * Veníte, adorémus.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.
Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes práviam:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.
Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.
Novum genus poténtiæ:
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque iussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.
Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

Lectiones de Scriptura occurrenti cum suis responsoriis.

Non dicitur Te Deum.

AD LAUDES

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

A Patre Unigénitus
Ad nos venit per Vírginem,
Baptísma cruce cónsecrans,
Cunctos fidéles génerans.
De cælo celsus pródiit,
Excépit formam hóminis:
Factúram morte rédimens,
Gáudia vitæ lárgiens.
Hoc te, Redémptor, quæsumus:
Illábere propítius,
Clarúmque nostris sénsibus
Lumen præbe fidélibus.
Mane nobíscum, Dómine,
Noctem obscúram rémove:
Omne delíctum áblue,
Piam medélam tríbue.
Quem iam venísse nóvimus,
Redíre item crédimus:
Sub sceptro tuo ínclito
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta eius.

Ad Bened. ant. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est: Hic est Fílius meus diléctus, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius ut, qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

Post dominicam I post Epiphaniam dicitur

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

Ad Pretiosa legitur de Regula.

AD PRIMAM

Capitulum Pacem.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui apparuísti hódie.

Oratio Dómine Deus omnípotens.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, * Allelúia, allelúia. Reges Tharsis. ℣. Reges Arabum et Saba dona addúcent. Allelúia. Glória. Reges Tharsis.

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 60

Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui.

℟. Omnes de Saba vénient, * Allelúia, allelúia. Omnes. ℣. Aurum et thus deferéntes. Allelúia. Glória. Omnes.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

AD NONAM

Capitulum Is. 60

Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

℟. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, * Allelúia, allelúia. Omnis terra. ℣. Psalmum di-

cat nómini tuo. Allelúia. Glória. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, allelúia, allelúia.

℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta eius.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius ut, qui iam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúndem.

Post dominicam I post Epiphaniam dicitur

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cæléstis pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

AD VESPERAS

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.

Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes prǽviam:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ:
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque iussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.

Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent.
℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Ad Magnif. ant. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum obtulérunt Dómino aurum, thus et myrrham.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Lux de luce apparuísti, Christe, cui Magi múnera ófferunt, allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Omnes de Saba vénient, allelúia: aurum et thus deferéntes, allelúia, allelúia.

Die 7 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 12

Obsecro ítaque vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam viéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sæculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri: ut probétis quæ sit volúntas Dei bona et benéplacens et perfécta. Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem: et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei.

℟. i. Hódie in Iordáne baptizáto Dómino apérti sunt cæli: et sicut colúmba super eum Spíritus mansit, et vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est. - Hic est.

Lectio ii

Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúndem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter alterius membra. Habéntes autem donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte.

℟. ii. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. - Hic est.

Lectio iii

Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono: Caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes: Honóre ínvicem præveniéntes: Sollicitúdine non pigri: Spíritu ferventes: Dómino serviéntes: Spe gaudéntes: In tribulatióne patiéntes: Oratióni instántes: Necessitátibus sanctórum communicántes: Hospitalitátem sectántes. Benedícite persequéntibus vos: benedícite, et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus,

flere cum fléntibus: Idípsum ínvicem sentiéntes: Non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes.

℟. iii. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * Reges Arabum et Saba dona Dómino Deo addúcent. ℣. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes. - Reges Arabum. - Glória. - Reges Arabum.

Die 8 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 13

Omnis ánima potestátibus sublimióribus súbdita sit: Non est enim potéstas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinátæ sunt. Itaque qui resístit potestáti, Dei ordinatióni resístit. Qui autem resístunt, ipsi sibi damnatiónem acquírunt: nam príncipes non sunt timóri boni óperis, sed mali. Vis autem non timére potestátem? Bonum fac: et habébis laudem ex illa: Dei enim miníster est tibi in bonum.

℟. i. Illumináre, illumináre, Ierúsalem: quia venit lux tua, * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. - Et glória.

Lectio ii

Si autem malum féceris, time: non enim sine causa gládium portat. Dei enim miníster est: vindex in iram ei qui malum agit. Ideo necessitáte súbditi estóte non solum propter iram, sed étiam propter consciéntiam. Ideo enim et tribúta præstátis: minístri enim Dei sunt, in hoc ipsum serviéntes. Réddite ergo ómnibus débita: cui tribútum, tribútum: cui vectígal, vectígal: cui timórem, timórem: cui honórem, honórem.

℟. ii. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, * Et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent. - Et laudem.

Lectio iii

Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam, Non adulterábis, Non occídes, Non furáberis, Non falsum testimónium dices, Non concupísces: et, si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teipsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

℟. iii. Magi véniunt ab Oriénte Ierosólymam, quæréntes et dicéntes: Ubi est qui natus est, cuius stellam vídimus, * Et vénimus adoráre Dóminum? ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. - Et vénimus. - Glória. - Et vénimus.

Die 9 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 14

Infírmum autem in fide assúmite, non in disceptatiónibus cogitatiónum. Alius enim credit se manducáre ómnia: qui autem infírmus est, olus mandúcet. Is, qui mandúcat, non manducántem non spernat: et qui non mandúcat, manducántem non iúdicet: Deus enim illum assúmpsit. Tu quis es, qui iúdicas aliénum servum? Dómino suo stat aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statúere illum.

℟. i. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, donec veníret ad locum ubi Puer erat. Vidéntes autem eam * Gavísi sunt gáudio magno. ℣. Et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. - Gavísi sunt.

Lectio ii

Nam álius iúdicat diem inter diem: álius autem iúdicat omnem diem: unusquísque in suo sensu abúndet. Qui sapit diem, Dómino sapit: et qui mandúcat, Dómino mandúcat: grátias enim agit Deo. Et qui non mandúcat, Dómino non mandúcat et grátias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus.

℟. ii. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum: * Et apértis thesáuris suis obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. ℣. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat Puer. - Et apértis.

Lectio iii

In hoc enim Christus mórtuus est et resurréxit: ut et mortuórum et

vivórum dominétur. Tu autem quid iúdicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Ómnes enim stábimus ante tribúnal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu: et omnis lingua confitébitur Deo. Itaque unusquísque nostrum pro se ratiónem reddet Deo. Non ergo ámplius ínvicem iudicémus; sed hoc iudicáte magis ne ponátis offendículum fratri vel scándalum.

℟. iii. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria: * In auro osténditur Regis poténtia: in thure Sacerdótem magnum consídera, Et in myrrha Domínicam sepultúram. ℣. Salútis nostræ Auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. - In auro. - Glória. - Et in myrrha.

Die 10 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 14

Non ergo blasphemétur bonum nostrum. Non est enim regnum Dei esca et potus, sed iustítia et pax et gáudium in Spíritu Sancto: qui enim in hoc servit Christo, placet Deo et probátus est homínibus. Itaque quæ pacis sunt, sectémur: et quæ ædificatiónis sunt, in ínvicem custodiámus. Noli propter escam destrúere opus Dei: ómnia quidem sunt munda: sed malum est hómini, qui per offendículum mandúcat.

℟. i. Hódie in Iordáne baptizáto Dómino apérti sunt cæli: et sicut colúmba super eum Spíritus mansit, et vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est. - Hic est.

Lectio ii

Bonum est non manducáre carnem et non bíbere vinum, neque in quo frater tuus offénditur aut scandalizátur aut infirmátur. Tu fidem habes? penes temetípsum habe coram Deo: Beátus qui non iúdicat semetípsum in eo quod probat. Qui autem discérnit, si manducáverit, damnátus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccátum est.

℟. ii. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. - Hic est.

Lectio iii Cap. 15

Debémus autem nos firmióres imbecillitátes infirmórum sustinére, et non nobis placére. Unusquísque vestrum próximo suo pláceat in bonum, ad ædificatiónem. Etenim Christus non sibi plácuit, sed sicut scriptum est: Impropéria improperántium tibi cecidérunt super me. Quæcúmque enim scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt: ut per patiéntiam et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. Deus autem patiéntiæ et solátii, det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Iesum Christum: ut unánimes, uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Iesu Christi.

℟. iii. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * Reges Arabum et Saba dona Dómino Deo addúcent. ℣. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes. - Reges Arabum. - Glória. - Reges Arabum.

Die 11 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 15

Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei. Dico enim Christum Iesum minístrum fuísse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promissiónes patrum: gentes autem super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est: Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, et nómini tuo cantábo. Et íterum dicit: Lætámini, gentes, cum plebe eius. Et íterum: Laudáte, omnes gentes, Dóminum: et magnificáte eum, omnes pópuli. Et rursus Isaías ait: Erit radix Iesse, et qui exsúrget régere gentes, in eum gentes sperábunt. Deus autem spei répleat vos omni gáudio et pace in credéndo: ut abundétis in spe et virtúte Spíritus Sancti.

℟. i. Illumináre, illumináre, Ierúsalem: quia venit lux tua, * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. - Et.

Lectio ii

Certus sum autem, fratres mei, et ego ipse de vobis, quóniam et ipsi pleni estis dilectióne, repléti omni sciéntia, ita ut possítis altérutrum monére. Audácius autem scripsi vobis, fratres, ex parte, tamquam in memóriam vos redúcens, propter grátiam quæ data est mihi a Deo, ut sim miníster Christi Iesu in géntibus, sanctíficans Evangélium Dei, ut fiat oblátio géntium accépta et sanctificáta in Spíritu Sancto.

℟. ii. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, * Et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent. - Et laudem.

Lectio iii

Hábeo ígitur glóriam in Christo Iesu ad Deum. Non enim áudeo áliquid loqui eórum, quæ per me non éfficit Christus in obediéntiam géntium, verbo et factis, in virtúte signórum et prodigiórum, in virtúte Spíritus Sancti: ita ut ab Ierúsalem per circúitum usque ad Illýricum repléverim Evangélium Christi.

℟. iii. Magi véniunt ab Oriénte Ierosólymam, quæréntes et dicéntes: Ubi est qui natus est, cuius stellam vídimus, * Et vénimus adoráre Dóminum? ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. - Et vénimus. - Glória. - Et vénimus.

Die 12 ianuarii

De Epístola ad Romános

Lectio i Cap. 16

ComménDo autem vobis Phœben sorórem nostram, quæ est in ministério ecclésiæ quæ est in Cenchris, ut eam suscipiátis in Dómino digne sanctis, et assistátis ei in quocúmque negótio vestri indigúerit: étenim ipsa quoque ástitit multis et mihi ipsi. Salutáte Priscam et Aquilam adiutóres meos in Christo Iesu (qui pro ánima mea suas cervíces supposuérunt, quibus non solus ego grátias ago, sed et cunctæ ecclésiæ géntium), et domésticam ecclésiam eórum.

℟. i. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, donec venírent ad locum ubi Puer erat. Vidéntes autem eam * Gavísi sunt gáudio magno. ℣. Et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. - Gavísi sunt.

Lectio ii

Rogo autem vos, fratres, ut observétis eos qui dissensiónes et offendícula præter doctrínam quam vos didicístis, fáciunt, et declináte ab illis. Huiuscémodi enim Christo Dómino nostro non sérviunt, sed suo ventri: et per dulces sermónes et benedictiónes sedúcunt corda innocéntium. Vestra enim obediéntia in omnem locum divulgáta est. Gáudeo ígitur in vobis. Sed volo vos sapiéntes esse in bono et símplices in malo. Deus autem pacis cónterat Sátanam sub pédibus vestris velóciter.

℟. ii. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum, invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. * Et apértis thesáuris suis obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. ℣. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat Puer. - Et apértis.

Lectio iii

Ei autem qui potens est vos confirmáre iuxta Evangélium meum et prædicatiónem Iesu Christi, secúndum revelatiónem mystérii tempóribus ætérnis táciti (quod nunc patefáctum est per Scriptúras prophetárum secúndum præcéptum ætérni Dei, ad obeditiónem fídei), in cunctis géntibus cógniti; soli sapiénti Deo, per Iesum Christum, cui honor et glória in sæcula sæculórum. Amen. Tu autem.

℟. iii. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria: * In auro osténditur Regis poténtia: in thure Sacerdótem magnum consídera, Et in myrrha Domínicam sepultúram. ℣. Salútis nostræ Auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. - In auro. - Glória. - Et in myrrha.

Die 13 ianuarii

In Commemoratione Baptismatis D. N. I. C.

II classis

Si Commemoratio Baptismatis Domini in dominica occurrit, fit de festo S. Familiæ sine ulla memoria.

Sicubi hoc festum I Vesperas habeat: Omnia ut ad I Vesperas in Epiphania Domini 124, præter hic posita.

Ad Magnif. ant. Baptízat miles Regem, servus Dóminum suum, Ioánnes Salvatórem: aqua Iordánis stúpuit: colúmba protestáta est: Patérna vox audíta est: Hic est Fílius meus.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur: Qui tecum.

AD MATUTINUM

Omnia ut in Epiphania Domini 125, cum variationibus ibidem notatis.

Lectiones dicuntur ut infra.

In I Nocturno

Incipit Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 1

Paulus vocátus Apóstolus Iesu Christi per voluntátem Dei et Sósthenes frater ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, sanctificátis in Christo Iesu, vocátis sanctis, cum ómnibus qui ínvocant nomen Dómini nostri Iesu Christi, in omni loco ipsórum et nostro. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo.

℟. i. Hódie in Iordáne baptizáto Dómino apérti sunt cæli: et sicut colúmba super eum Spíritus mansit, et vox Patris intónuit: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum, et vox de cælo facta est. - Hic est.

Lectio ii

Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu: quod in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo et in omni sciéntia: sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Iesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri Iesu Christi. Fidélis Deus: per quem vocáti estis in societátem Fílii eius Iesu Christi Dómini nostri.

℟. ii. In colúmbæ spécie Spíritus Sanctus visus est, Patérna vox audíta est: * Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui. ℣. Cæli apérti sunt super eum, et vox Patris intónuit. - Hic est.

Lectio iii

Obsecro autem vos, fratres, per nomen Dómini nostri Iesu Christi: ut idípsum dicátis omnes, et non sint in vobis schísmata: sitis autem perfécti in eódem sensu et in eádem senténtia. Significátum est enim mihi de vobis, fratres mei, ab iis qui sunt Chloës, quia contentiónes sunt inter vos. Hoc autem dico, quod unusquísque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apóllo: ego vero Cephæ: ego autem Christi. Divísus est Christus? Numquid Paulus crucifíxus est pro vobis? aut in nómine Pauli baptizáti estis?

℟. iii. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * Reges Arabum et Saba dona Dómino Deo addúcent. ℣. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes. - Reges Arabum. - Glória. - Reges Arabum.

In II Nocturno

Sermo sancti Gregórii Nazianzéni

Orat. in sancta Lumina

Lectio iv

Non possum cohibére lætítiæ voluptátem, sed mente extóllor et afficior: et própriæ pusillitátis oblítus, offícium magni Ioánnis, immo pótius famulátum subíre conténdo ac géstio: et licet non sim præcúrsor, de erémo tamen vénio. Christus ergo illumináture, immo pótius fulgóre suo nos illúminat. Christus baptizátur: simul et nos descendámus, ut cum ipso páriter ascendámus.

℟. iv. Illumináre, illumináre, Ierúsalem: quia venit lux tua, * Et glória Dómini super te orta est. ℣. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. - Et glória.

Lectio v

Ioánnes baptízat, et accédit Iesus, sanctíficans quidem et ipsum qui baptízat, præcípue tamen ut et véterem Adam sepéliat in aquis, et ante ómnia, ut per hæc sanctificéntur aquæ Iordánis; ut, sicut erat spíritus et caro, ita et his, qui baptizándi erant, in spíritu et aqua sanctificatiónis succéssio traderétur. Non súscipit Baptísta, conténdit Iesus. Ego, inquit, opus hábeo a te baptizári. Lucérna dicit ad Solem, et Vox lóquitur ad Verbum.

℟. v. Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, * Et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Reges Tharsis et

ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent. - Et laudem Dómino annuntiántes.

Lectio vi

Ascéndit Iesus de aqua, secum quodámmodo demérsum edúcens et élevans mundum: et vidit non dívidi cælum, sed aperíri, quod sibi ac nobis post se aliquándo Adam ille conclúserat; sicut et ígneo gládio paradísus fúerat conclúsus. Spíritus Sanctus testimónium pérhibet: simília namque sibi ipsa concúrrunt. De cælo testimónium defértur: inde enim erat ille, cui testimónium perhibétur.

℟. vi. Magi véniunt ab Oriénte Ierosólymam, quæréntes et dicéntes: Ubi est qui natus est, cuius stellam vídimus, * Et vénimus adoráre Dóminum? ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. - Et vénimus. - Glória. - Et vénimus.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. i

In illo témpore: Vidit Ioánnes Iesum veniéntem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 6 in Ioann. ante med.

Antequam veníret Dóminus ut baptizarétur a Ioánne in Iordáne, nóverat eum illis vócibus, ubi ait: Tu ad me venis baptizári! Ego a te débeo baptizári. Sed ecce Dóminum nóverat, nóverat Fílium Dei. Unde probámus quod iam nóverat quia ipse baptizáret in Spíritu Sancto? Antequam veníret ad flúvium, cum multi ad Ioánnem cúrrerent baptizári, ait illis: Ego quidem baptízo vos in aqua: qui autem post me venit, maior me est, cuius non sum dignus corrígiam calceaménti sólvere: ipse vos baptizábit in Spíritu Sancto et igne. Iam et hoc nóverat.

℟. vii. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, donec venírent ad locum, ubi Puer erat. Vidéntes autem eam * Gavísi sunt gáudio magno. ℣. Et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. - Gavísi sunt.

Lectio viii

Quid ergo per colúmbam dídicit, ne mendax póstea inveniátur,

(quod avértat a nobis Deus opinári) nisi quandam proprietátem in Christo talem futúram, ut quamvis multi ministri baptizatúri essent, sive iusti sive iniústi, non tribuerétur sánctitas baptísmi, nisi illi super quem descéndit colúmba, de quo dictum est, Hic est qui baptízat in Spíritu Sancto? Petrus baptízet, hic est qui baptízat: Paulus baptízet, hic est qui baptízat.

℟. viii. Vidéntes stellam Magi gavísi sunt gáudio magno: et intrántes domum invenérunt Púerum cum María matre eius, et procidéntes adoravérunt eum. * Et apértis thesáuris suis obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. ℣. Stella, quam víderant Magi in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens staret supra ubi erat Puer. - Et apértis.

Lectio ix

Nam, si pro diversitáte meritórum baptísma sanctum est: quia divérsa sunt mérita, divérsa erunt baptísmata: et tanto quisque áliquid mélius putátur accípere, quanto a melióre vidétur accepísse. Ipsi sancti (intellígite, fratres), boni pertinéntes ad colúmbam, pertinéntes ad sortem civitátis illíus Ierúsalem, ipsi boni in Ecclésia, de quibus dicit Apóstolus, Novit Dóminus qui sunt eius, diversárum gratiárum sunt, non omnes pária mérita habent.

℟. ix. Tria sunt múnera pretiósa, quæ obtulérunt Magi Dómino in die ista, et habent in se divína mystéria: * In auro osténditur Regis poténtia: in thure Sacerdótem magnum consídera, Et in myrrha Domínicam sepultúram. ℣. Salútis nostræ Auctórem Magi veneráti sunt in cunábulis, et de thesáuris suis mýsticas ei múnerum spécies obtulérunt. - In auro. - Glória. - Et in myrrha.

Ante Laudes ℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Véterem hóminem rénovans Salvátor venit ad baptísmum: ut natúram, quæ corrúpta erat, per aquam recuperáret, incorruptíbili veste circumamíctans nos.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Te, qui in Spíritu et igne puríficas humána contágia, Deum ac Redemptórem omnes glorificámus.

3. Baptísta contrémuit, et non audet tángere sanctum Dei vérticem, sed clamat cum tremóre: Sanctífica me, Salvátor.

4. Caput dracónis Salvátor contrívit in Iordánis flúmine, et ab eius potestáte omnes erípuit.

5. Magnum mystérium declarátur hódie: quia Creátor ómnium in Iordáne expúrgat nostra facínora.

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

A Patre Unigénitus
Ad nos venit per Vírginem,
Baptísma cruce cónsecrans,
Cunctos fidéles génerans.
De cælo celsus pródiit,
Excépit formam hóminis:
Factúram morte rédimens,
Gáudia vitæ lárgiens.
Hoc te, Redémptor, quæsumus:
Illábere propítius,
Clarúmque nostris sénsibus
Lumen præbe fidélibus.
Mane nobíscum, Dómine,
Noctem obscúram rémove:
Omne delíctum áblue,
Piam medélam tríbue.
Quem iam venísse nóvimus,
Redíre item crédimus:
Sub sceptro tuo ínclito
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Adoráte Dóminum.
℟. In aula sancta eius.

Ad Bened. ant. Præcúrsor Ioánnes exsúltat cum Iordáne: baptizáto Dómino facta est orbis terrárum exsultátio, facta est peccatórum nostrórum remíssio. Sanctíficans aquas, ipsi omnes clamémus, miserére nobis.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur: Qui tecum.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 1

In illo témpore: Vidit Ioánnes Iesum veniéntem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Tu autem, Dómine.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui apparuísti hódie.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent, * Allelúia, allelúia. Reges Tharsis. ℣. Reges Arabum et Saba dona addúcent. Allelúia. Glória. Reges Tharsis.

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 60

Super te, Ierúsalem, oriétur Dóminus, et glória eius in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui.

℟. Omnes de Saba vénient, * Allelúia, allelúia. Omnes. ℣. Aurum et thus deferéntes. Allelúia. Glória. Omnes.

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

AD NONAM

Capitulum Is. 60

Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

℟. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi, * Allelúia, allelúia. Omnis. ℣. Psalmum dicat nómini tuo. Allelúia. Glória. Omnis.

℣. Adoráte Dóminum. ℟. In aula sancta eius.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Véterem hóminem rénovans Salvátor venit ad baptísmum: ut natúram, quæ corrúpta erat, per aquam recuperáret, incorruptíbili veste circumamíctans nos.

Psalmi ut in festo Epiphaniæ Domini 139.

Capitulum Is. 60

Surge, illumináre, Ierúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est.

Hymnus

Hostis Heródes ímpie,
Christum veníre quid times?
Non éripit mortália,
Qui regna dat cæléstia.
Ibant Magi, quam víderant,
Stellam sequéntes prævíam:
Lumen requírunt lúmine,
Deum faténtur múnere.

Lavácra puri gúrgitis
Cæléstis Agnus áttigit:
Peccáta, quæ non détulit,
Nos abluéndo sústulit.

Novum genus poténtiæ:
Aquæ rubéscunt hýdriæ,
Vinúmque iussa fúndere,
Mutávit unda oríginem.

Glória tibi, Dómine,
Qui apparuísti hódie,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

Ad Magnif. ant. Fontes aquárum sanctificáti sunt, Christo apparénte in glória. Orbis terrárum, hauríte aquas de fóntibus Salvatóris: sanctificávit enim nunc omnem creatúram Christus Deus noster.

Oratio

Deus, cuius Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quæsumus, ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur: Qui tecum vivit.

DOMINICA I POST EPIPHANIAM

II classis

Officium fit de S. Familia, ut supra 141.

Oratio autem huius dominicæ dicitur in Officio feriali infra hebdomadam occurrenti.

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

Lectiones de Scriptura

diebus inter diem 13 ianuarii et dominicam II post Epiphaniam occurrentibus dicendæ.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 2

Et ego, cum veníssem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim iudicávi me scire áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii Cap. 2

Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: sapiéntiam vero non huius sæculi, neque príncipum huius sæculi, qui destruúntur: sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sæcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum huius sæculi cognóvit: si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent. Sed, sicut scriptum est: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii Cap. 2

Nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum: Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. Nos autem non spíritum huius mundi accépimus, sed Spíritum, qui ex Deo est, ut sciámus quæ a Deo donáta sunt nobis: quæ et lóquimur non in doctis humánæ sapiéntiæ verbis, sed in doctrína Spíritus, spirituálibus spirituália comparántes.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 3

Et ego, fratres, non pótui vobis loqui quasi spirituálibus, sed quasi carnálibus. Tamquam párvulis in Christo, lac vobis

potum dedi, non escam: nondum enim poterátis: sed nec nunc quidem poteátis: adhuc enim carnáles estis. Cum enim sit inter vos zelus et conténtio: nonne carnáles estis et secúndum hóminem ambulátis? Cum enim quis dicat, Ego quidem sum Pauli; álius autem, Ego Apóllo; nonne hómines estis? Quid ígitur est Apóllo? quid vero Paulus? Minístri eius, cui credidístis, et unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit: sed Deus increméntum dedit.

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Itaque neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat: sed qui increméntum dat, Deus. Qui autem plantat et qui rigat unum sunt. Unusquísque autem própriam mercédem accípiet secúndum suum labórem. Dei enim sumus adiutóres: Dei agricultúra estis, Dei ædificátio estis. Secúndum grátiam Dei, quæ data est mihi, ut sápiens architéctus fundaméntum pósui: álius autem superædíficat. Unusquísque autem vídeat quómodo superædíficet.

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Fundaméntum enim áliud nemo potest pónere præter id, quod pósitum est, quod est Christus Iesus. Si quis autem superædíficat super fundaméntum hoc, aurum, argéntum, lápides pretiósos, ligna, fenum, stípulam, uniuscuiúsque opus maniféstum erit: Dies enim Dómini declarábit, quia in igne revelábitur: et uniuscuiúsque opus quale sit, ignis probábit. Si cuius opus mánserit quod superædificávit, mercédem accípiet. Si cuius opus árserit, detriméntum patiétur: ipse autem salvus erit: sic tamen quasi per ignem.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte prosequere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 5

Omníno audítur inter vos fornicátio, et talis fornicátio qualis nec inter gentes, ita ut uxórem patris sui áliquis hábeat. Et vos infláti estis: et non magis luctum habuístis, ut tollátur de médio vestrum qui hoc opus fecit. Ego quidem absens córpore, præsens autem spíritu, iam iudicávi ut præsens eum qui sic operátus est, in nómine Dómini nostri Iesu Christi, congregátis vobis et meo spíritu, cum virtúte Dómini nostri Iesu, trádere huiúsmodi sátanæ in intéritum carnis, ut spíritus salvus sit in die Dómini nostri Iesu Christi.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii Cap. 5

Non est bona gloriátio vestra. Nescítis quia módicum ferméntum totam massam corrúmpit? Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur: non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis et veritátis.

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii Cap. 5

Scripsi vobis in epístola: Ne commisceámini fornicáriis. Non útique fornicáriis huius mundi aut avéris aut rapácibus aut idólis serviéntibus: alióquin debuerátis de hoc mundo exíisse. Nunc autem scripsi vobis non commiscéri: si is, qui frater nominátur, est fornicátor

aut avárus aut idólis sérviens aut malédicus aut ebriósus aut rapax: cum huiúsmodi nec cibum súmere.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, suscéptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 6

Audet áliquis vestrum habens negótium advérsus álterum, iudicári apud iníquos, et non apud sanctos? An nescítis quóniam sancti de hoc mundo iudicábunt? Et si in vobis iudicábitur mundus, indígni estis, qui de mínimis iudicétis? Nescítis quóniam Angelos iudicábimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia ígitur iudícia si habuéritis: contemptíbiles, qui sunt in ecclésia, illos constitúite ad iudicándum.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Ad verecúndiam vestram dico. Sic non est inter vos sápiens quisquam, qui possit iudicáre inter fratrem suum? Sed frater cum fratre iudício conténdit: et hoc apud infidéles? Iam quidem omníno delíctum est in vobis, quod iudícia habétis inter vos. Quare non magis iniúriam accípitis? quare non magis fraudem patímini? Sed vos iniúriam fácitis et fraudátis: et hoc frátribus. An nescítis quia iníqui regnum Dei non possidébunt?

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus.

Lectio iii

Nolíte erráre: Neque fornicárii, neque idólis serviéntes, neque adúlteri, neque molles, neque masculórum concubitóres, neque fures, neque avári, neque ebriósi, neque malédici, neque rapáces regnum Dei possidébunt. Et hæc quidem fuístis: sed ablúti estis, sed sanctificáti estis, sed iustificáti estis in nómine Dómini nostri Iesu Christi et in Spíritu Dei nostri.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 6

Omnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt: Omnia mihi licent, sed ego sub nullíus rédigar potestáte. Esca ventri, et venter escis: Deus autem et hunc et has déstruet: corpus autem non fornicatióni, sed Dómino: et Dóminus córpori. Deus vero et Dóminum suscitávit: et nos suscitábit per virtútem suam.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhæret meretrici, unum corpus effícitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Dómino, unus spíritus est.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et.

Lectio iii

Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum, quodcúmque fécerit homo, extra corpus est: qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis

quóniam membra vestra templum sunt Spíritus Sancti, qui in vobis est, quem habétis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Oratio

Vota, quæsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant; et ad implénda quæ víderint, convaléscant. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

De quibus autem scripsístis mihi: Bonum est hómini mulíerem non tángere: propter fornicatiónem autem unusquísque suam uxórem hábeat, et unaquæque suum virum hábeat. Uxóri vir débitum reddat: simíliter autem et uxor viro. Múlier sui córporis potestátem non habet, sed vir. Simíliter autem et vir sui córporis potestátem non habet, sed múlier.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii Cap. 7

Nolíte fraudáre ínvicem, nisi forte ex consénsu ad tempus, ut vacétis oratióni: et íterum revertímini in idípsum, ne tentet vos sátanas propter incontinéntiam vestram. Hoc autem dico secúndum indulgéntiam, non secúndum impérium. Volo enim omnes vos esse sicut meípsum: sed unusquísque próprium donum habet ex Deo: álius quidem sic, álius vero sic. Dico autem non nuptis et víduis: bonum est illis si sic permáneant, sicut et ego. Quod si non se cóntinent, nubant. Mélius est enim núbere, quam uri. Iis autem, qui matrimónio iuncti sunt, præcípio non ego, sed Dóminus, uxórem a viro non discédere: quod si discésserit, manére innúptam aut viro suo reconciliári. Et vir uxórem non dimíttat. Nam céteris ego dico, non Dóminus: Si quis frater uxórem habet infidélem, et hæc conséntit habitáre cum illo, non dimíttat illam. Et si qua múlier fidélis habet virum infidélem, et hic conséntit habitáre cum illa, non dimíttat virum: sanctificátus est enim vir infidélis per mulíerem fidélem, et sanctificáta est múlier infidélis per virum fidélem: alióquin fílii vestri immúndi essent, nunc autem sancti sunt.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

¶ Historia Dómine, ne in ira, hoc est responsoria quæ in dominica II post Epiphaniam post lectiones in Matutinis dicuntur, legi debent dominicis sequentibus usque ad Septuagesimam exclusive.

Responsoria vero ferialia infra hebdomadam cum lectionibus feriæ toto tempore *per annum* sunt dicendæ.

¶ Si sequens dominica vel alia post Epiphaniam, Septuagesima superveniente, impediatur, prætermittitur una cum lectionibus sequentibus, etiamsi de ea nihil fiat post Pentecosten.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℟. Deus, qui sedes super thronum, et iúdicas æquitátem, esto refúgium páuperum in tribulatióne: * Quia tu solus labórem et dolórem consíderas. ℣. Tibi enim derelíctus est pauper: pupíllo tu eris adiútor. - Quia. - Glória. - Quia.

Prædictum responsorium hac die tantum dicitur.

Hymnus

O lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Iam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per.

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 8

De iis autem, quæ idólis sacrificántur, scimus quia omnes sciéntiam habémus. Sciéntia inflat, cáritas vero ædíficat. Si quis autem se exístimat scire áliquid, nondum cognóvit quemádmodum opórteat eum scire. Si quis autem díligit Deum, hic cógnitus est ab eo. De escis autem, quæ idólis immolántur, scimus quia nihil est idólum in mundo, et quod nullus est Deus nisi unus.

℟. i. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. - Miserére mei.

Lectio ii

Nam, etsi sunt qui dicántur dii sive in cælo sive in terra (síquidem sunt dii multi et dómini multi): nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo ómnia et nos in illum: et unus Dóminus Iesus Christus, per quem ómnia et nos per ipsum. Sed non in ómnibus est sciéntia. Quidam autem cum consciéntia usque nunc idóli, quasi idolóthytum mandúcant: et consciéntia ipsórum, cum sit infírma, pollúitur. Esca autem nos non commendat Deo. Neque enim si manducavérimus, abundábimus: neque si non manducavérimus, deficiémus. Vidéte autem ne forte hæc licéntia vestra offendículum fiat infírmis. Si enim quis víderit eum, qui habet sciéntiam, in idólio recumbéntem: nonne consciéntia eius, cum sit infírma, ædificábitur ad manducándum idolóthyta? Et períbit infírmus in tua sciéntia, frater, propter quem Christus mórtuus est? Sic autem peccántes in fratres et percutiéntes consciéntiam eórum infírmam, in Christum peccátis.

℟. ii. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. ℣. Consérva me, Dómine, quóniam in te sperávi: dixi Dómino: Deus meus es tu. - Propter hoc.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio iii Cap. 2

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat mater Iesu ibi. Vocátus est autem et Iesus et discípuli eius ad núptias. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 9 in Ioan. post init.

Quod Dóminus invitátus venit ad núptias, étiam excépta mýstica significatióne, confirmáre vóluit quod ipse fecit núptias. Futúri enim erant, de quibus dixit Apóstolus prohibéntes núbere, et dicéntes quod malæ essent núptiæ, et quod diábolus eas fecísset: cum idem Dóminus dicat in Evangélio, interrogátus utrum líceat hómini dimíttere uxórem suam ex quálibet causa, non licére, excépta causa fornicatiónis.

℟. iii. Abscóndi tamquam aurum peccáta mea, et celávi in sinu meo iniquitátem meam: * Miserére mei, Deus, Secúndum magnam misericórdiam tuam. ℣. Quóniam iniquitátem meam ego agnósco, et delíctum meum coram me est semper: tibi soli peccávi. - Miserére. - Glória. - Secúndum magnam.

AD LAUDES

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Ad Bened. ant. Núptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat ibi Iesus cum María matre eius.

Oratio Omnípotens, ut supra 176.

AD II VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Defeciénte vino, iussit Iesus impléri hýdrias aqua, quæ in vinum convérsa est, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Epístola prima
ad Corínthios

Lectio i Cap. 9

Nescítis quod ii, qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravíum? Sic cúrrite ut comprehendátis. Omnis autem qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet, et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant: nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áërem vérberans: sed castígo corpus meum et in servitútem rédigo: ne forte, cum áliis prædicáverim, ipse réprobus efficiar.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii Cap. 10

Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt et omnes mare transiérunt et omnes in Móyse baptizáti sunt in nube et in mari: et omnes eándem escam spiritálem manducavérunt et omnes eúndem potum spiritálem bibérunt: (bibébant autem de spiritáli, consequénte eos, petra: petra autem erat Christus) sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo: nam prostráti sunt in desérto.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii

Hæc autem in figúra facta sunt nostri, ut non simus concupiscéntes malórum, sicut et illi concupiérunt: neque idolólatræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre et bíbere, et surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt: et cecidérunt una die vigínti tria míllia.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola prima
ad Corínthios

Lectio i Cap. 10

Caríssimi mihi, fúgite ab idolórum cultúra: ut prudéntibus loquor, vos ipsi iudicáte quod dico. Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est? Quóniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participámus. Vidéte Israël secúndum carnem: nonne qui edunt hóstias, partícipes sunt altáris?

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Quid ergo? dico quod idólis immolátum sit áliquid? aut quod idólum sit áliquid? Sed quæ ímmolant gentes, dæmóniis ímmolant et non Deo. Nolo autem vos sócios fíeri dæmoniórum: non potéstis cálicem Dómini bíbere et cálicem dæmoniórum: non potéstis mensæ Dómini partícipes esse et mensæ dæmoniórum. An æmulámur Dóminum? Numquid fortióres illo sumus?

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Omnia mihi licent, sed non ómnia expédiunt. Omnia mihi licent, sed non ómnia ædíficant. Nemo quod suum est quærat, sed quod alteríus. Omne, quod in macéllo venit, manducáte, nihil interrogántes propter conscién̄tiam. Dómini est terra et plenitúdo eius. Si quis vocat vos infidélium, et vultis ire: omne, quod vobis appónitur, manducáte, nihil interrogántes propter conscién̄tiam.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 11

Imitatóres mei estóte, sicut et ego Christi. Laudo autem vos, fratres, quod per ómnia mei mémores estis: et, sicut trádidi vobis, præcépta mea tenétis. Volo autem vos scire quod omnis viri caput Christus est: caput autem mulíeris, vir: caput vero Christi, Deus. Omnis vir orans aut prophétans veláto cápite, detúrpat caput suum. Omnis autem múlier orans aut prophétans non veláto cápite, detúrpat caput suum: unum enim est ac si decalvétur.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii

Nam, si non velátur múlier, tondeátur. Si vero turpe est mulíeri tondéri aut decalvári, velet caput suum. Vir quidem non debet veláre caput suum: quóniam imágo et glória Dei est, múlier autem glória viri est. Non enim vir ex mulíere est, sed múlier ex viro. Etenim non est creátus vir propter mulíerem, sed múlier propter virum. Ideo debet múlier potestátem habére supra caput propter Angelos.

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii

Verúmtamen neque vir sine mulíere: neque múlier sine viro in Dómino. Nam sicut múlier de viro, ita et vir per mulíerem: ómnia autem ex Deo. Vos ipsi iudicáte: decet mulíerem non velátam oráre Deum? Nec ipsa natúra docet vos, quod vir quidem si comam nútriat, ignomínia est illi: múlier vero si comam nútriat, glória est illi: quóniam capílli pro velámine ei dati sunt.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, susceptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 12

De spirituálibus autem nolo vos ignoráre, fratres. Scitis quóniam, cum gentes essétis, ad simulácra muta, prout ducebámini, eúntes. Ideo notum vobis fácio, quod nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anáthema Iesu. Et nemo potest dícere, Dóminus Iesus, nisi in Spíritu Sancto. Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus: et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum.

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus.

Lectio iii

Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngu-

lis prout vult. Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, ómnia autem membra córporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita et Christus. Etenim in uno Spíritu omnes nos in unum corpus baptizáti sumus, sive Iudæi, sive gentíles, sive servi, sive líberi: et omnes in uno Spíritu potáti sumus.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi, et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 13

Si linguis hóminum loquar et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam et nóverim mystéria ómnia et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et.

Lectio iii

Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 14

Fratres, nolíte púeri éffici sénsibus, sed malítia párvuli estóte: sénsibus autem perfécti estóte. In lege scriptum est: Quóniam in áliis linguis et lábiis áliis loquar pópulo huic: et nec sic exáudient me, dicit Dóminus. Itaque linguæ in signum sunt non fidélibus, sed infidélibus: prophetíæ autem non infidélibus, sed fidélibus.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii

Si ergo convéniat univérsa ecclésia in unum et omnes linguis loquántur, intrent autem idiótæ aut infidéles: nonne dicent quod insanítis? Si autem omnes prophétent, intret autem quis infidélis vel idióta, convíncitur ab ómnibus, diiudicátur ab ómnibus: occúlta cordis eius manifésta fiunt: et ita cadens in fáciem adorábit Deum, pronúntians quod vere Deus in vobis sit. Quid ergo est, fratres? Cum convenítis, unusquísque vestrum psalmum habet, doctrínam habet, apocalýpsim habet, linguam habet, interpre-

tatiónem habet: ómnia ad ædificatiónem fiant. Sive lingua quis lóquitur, secúndum duos aut ut multum tres, et per partes, et unus interpretétur. Si autem non fúerit intérpres, táceat in ecclésia, sibi autem loquátur et Deo.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

DOMINICA III POST EPIPHANIAM

II classis

AD I VESPERAS

℣. Vespertína orátio.
℟. Et descéndat super nos.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ maiestátis exténde. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 15

Notum autem vobis fácio, fratres, Evangélium, quod prædicávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustra credidístis. Trádidi enim vobis in primis quod et accépi: quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras: et quia sepúltus est, et quia resurréxit tértia die secúndum Scriptúras: et quia visus est Cephæ et post hoc úndecim.

℟. i. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. - Miserére mei.

Lectio ii

Deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul: ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt: deínde visus est Iacóbo, deínde Apóstolis ómnibus: novíssime autem ómnium tamquam abortívo, visus est et mihi. Ego enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia eius in me vácua non fuit, sed abundántius illis ómnibus laborávi: non ego autem, sed grátia Dei mecum. Sive enim ego, sive illi: sic prædicámus, et sic credidístis. Si autem Christus prædicátur quod resurréxit a mórtuis, quómodo quidam dicunt in vobis, quóniam resurréctio mortuórum non est? Si autem resurréctio mortuórum non est: neque Christus resurréxit. Si autem Christus non resurréxit, inánis est ergo prædicátio nostra, inánis est et fides vestra: invenímur autem et falsi testes Dei: quóniam testimónium díximus advérsus Deum quod suscitáverit Christum, quem non suscitávit, si mórtui non resúrgunt.

℟. ii. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. ℣. Consérva me, Dómine, quóniam in te sperávi: dixi Dómino: Deus meus es tu. - Propter hoc.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 8

In illo témpore: Cum descendísset Iesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprósus véniens, adorábat eum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comment. in c. 8 Matth.

De monte Dómino descendénte, occúrrunt turbæ: quia ad altióra ascéndere non valuérunt. Et primus ei occúrrit leprósus: necdum enim póterat cum lepra tam multíplicem in monte Salvatóris audíre sermónem. Et notándum, quod hic primus speciáliter curátus sit: secúndo, puer centuriónis: tértio, socrus Petri fébriens in Caphárnaum: quarto loco, qui oblati sunt ei a dæmónio vexáti: quorum spíritus verbo eiciébat, quando et omnes male habéntes curávit.

℟. iii. Honor, virtus et potéstas et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus

pérpetim. - In perénni sæculórum témpore. - Glória. - In perénni.

AD LAUDES

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Ad Bened. ant. Cum autem descendísset Iesus de monte, ecce leprósus véniens adorábat eum dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens manum, tétigit eum dicens: Volo, mundáre.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

AD II VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Dómine, si vis, potes me mundáre. Et ait Iesus: Volo, mundáre.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Epístola prima ad Corínthios

Lectio i Cap. 16

De colléctis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinávi ecclésiis Galátiæ, ita et vos fácite. Per unam sábbati unusquísque vestrum apud se sepónat, recóndens quod ei bene placúerit: ut non, cum vénero, tunc colléctæ fiant. Cum autem præsens fúero: quos probavéritis per epístolas, hos mittam perférre grátiam vestram in Ierúsalem. Quod si dignum fúerit ut et ego eam, mecum ibunt.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii

Véniam autem ad vos, cum Macedóniam pertransíero, nam Macedóniam pertransíbo. Apud vos autem fórsitan manébo vel étiam hiemábo: ut vos me deducátis quocúmque íero. Nolo enim vos modo in tránsitu vidére, spero enim me aliquántulum témporis manére apud vos, si Dóminus permíserit. Permanébo autem Ephesi usque ad Pentecósten. Ostium enim mihi apértum est magnum et évidens: et adversárii multi.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii

Si autem vénerit Timótheus, vidéte ut sine timóre sit apud vos: opus enim Dómini operátur, sicut et ego. Ne quis ergo illum spernat: deúcite autem illum in pace, ut véniat ad me: exspécto enim illum cum frátribus. De Apóllo autem fratre vobis notum fácio, quóniam multum rogávi eum ut veníret ad vos cum frátribus: et útique non fuit volúntas ut nunc veníret: véniet autem, cum ei vácuum fúerit.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Incipit Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 1

Paulus Apóstolus Iesu Christi per voluntátem Dei et Timótheus frater ecclésiæ Dei, quæ est Corínthi, cum ómnibus sanctis, qui sunt in univérsa Achâia. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolátio nostra.

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúndem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit

pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis.

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Non enim vólumus ignoráre vos, fratres, de tribulatióne nostra, quæ facta est in Asia, quóniam supra modum graváti sumus supra virtútem, ita ut tædéret nos étiam vívere. Sed ipsi in nobismetípsis respónsum mortis habúimus, ut non simus fidéntes in nobis, sed in Deo, qui súscitat mórtuos: qui de tantis periculis nos erípuit et éruit: in quem sperámus quóniam et adhuc erípiet, adiuvántibus et vobis in oratióne pro nobis: ut ex multórum persónis, eius quæ in nobis est donatiónis, per multos grátiæ agántur pro nobis.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola secúnda ad Corínthios

Lectio i Cap. 3

Incípimus íterum nosmetípsos commendáre? aut numquid egémus (sicut quidam) commendatítiis epístolis ad vos aut ex vobis? Epístola nostra vos estis, scripta in córdibus nostris, quæ scitur et légitur ab ómnibus homínibus: manifestáti quod epístola estis Christi, ministráta a nobis, et scripta non atraménto, sed spíritu Dei vivi: non in tábulis lapídeis, sed in tábulis cordis carnálibus.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii

Fidúciam autem talem habémus per Christum ad Deum: non quod

sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est: qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti: non líttera, sed Spíritu: líttera enim occídit, Spíritus autem vivíficat. Quod si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória, ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi propter glóriam vultus eius, quæ evacuátur: quómodo non magis ministrátio Spíritus erit in glória?

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii

Nam, si ministrátio damnatiónis glória est: multo magis abúndat ministérium iustítiæ in glória. Nam nec glorificátum est, quod cláruit in hac parte, propter excelléntem glóriam. Si enim quod evacuátur, per glóriam est: multo magis quod manet, in glória est. Habéntes ígitur talem spem, multa fidúcia útimur: et non sicut Móyses ponébat velámen super fáciem suam, ut non inténderent fílii Israël in fáciem eius, quod evacuátur, sed obtúsi sunt sensus eórum.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, suscéptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola secúnda ad Corínthios

Lectio i Cap. 5

Scimus enim quóniam, si terréstris domus nostra huius habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non con-

fúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam, dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino: (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam gloriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus.

Lectio iii

Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis: ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo: sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice; atque ad protegéndum nos déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola secúnda ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

Has ergo habéntes promissiónes, caríssimi, mundémus nos ab omni inquinaménto carnis et spíritus, perficiéntes sanctificatiónem in timóre Dei. Cápite nos. Néminem læsimus, néminem corrúpimus, néminem circumvénimus. Non ad condemnatiónem vestram dico: prædíximus enim quod in córdibus nostris estis ad commoriéndum et ad convivéndum.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Multa mihi fidúcia est apud vos, multa mihi gloriátio pro vobis, replétus sum consolatióne, superabúndo gáudio in omni tribulatióne nostra. Nam et, cum venissémus in Macedóniam, nullam réquiem hábuit caro nostra, sed omnem tribulatiónem passi sumus: foris pugnæ, intus timóres. Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et liberásti.

Lectio iii

Non solum autem in advéntu eius, sed étiam in consolatióne, qua consolátus est in vobis, réferens nobis vestrum desidérium, vestrum fletum, vestram æmulatiónem pro me, ita ut magis gaudérem. Quóniam etsi contristávi vos in epístola, non me pænitet: et si pænitéret, videns quod epístola illa (etsi ad horam) vos contristávit, nunc gáudeo: non quia contristáti estis, sed quia contristáti estis ad pæniténtiam.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola secúnda ad Corínthios

Lectio i Cap. 8

Notam autem fácimus vobis, fratres, grátiam Dei, quæ data est in ecclésiis Macedóniæ: quod in multo experiménto tribulatiónis abundántia gáudii ipsórum fuit, et altíssima paupértas eó-

rum abundávit in divítias simplicitátis eórum: quia secúndum virtútem testimónium illis reddo, et supra virtútem voluntárii fuérunt, cum multa exhortatióne obsecrántes nos grátiam et communicatiónem ministérii, quod fit in sanctos.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii

Et non sicut sperávimus, sed semetípsos dedérunt primum Dómino, deínde nobis per voluntátem Dei, ita ut rogarémus Titum: ut quemádmodum cœpit, ita et perfíciat in vobis étiam grátiam istam. Sed sicut in ómnibus abundátis fide et sermóne et sciéntia et omni sollicitúdine, ínsuper et caritáte vestra in nos, ut et in hac grátia abundétis. Non quasi ímperans dico: sed per aliórum sollicitúdinem, étiam vestræ caritátis ingénium bonum cómprobans. Scitis enim grátiam Dómini nostri Iesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cum esset dives, ut illíus inópia vos dívites essétis. Et consílium in hoc do: hoc enim vobis útile est, qui non solum fácere, sed et velle cœpístis ab anno prióre.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

DOMINICA IV POST EPIPHANIAM

II classis

AD I VESPERAS

℣. Vespertína orátio.
℟. Et descéndat super nos.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus. Per.

AD MATUTINUM

De Epístola secúnda ad Corínthios

Lectio i Cap. 10

Ipse autem ego Paulus óbsecro vos per mansuetúdinem et modéstiam Christi, qui in fácie quidem húmilis sum inter vos, absens autem confído in vobis. Rogo autem vos ne præsens áudeam per eam confidéntiam qua exístimor audére in quosdam, qui arbitrántur nos tamquam secúndum carnem ambulémus. In carne enim ambulántes, non secúndum carnem militámus.

℟. i. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. - Miserére.

Lectio ii

Nam arma milítiæ nostræ non carnália sunt, sed poténtia Deo ad destructiónem munitiónum, consília destruéntes et omnem altitúdinem extolléntem se advérsus sciéntiam Dei, et in captivitátem redigéntes omnem intellectum in obséquium Christi, et in promptu habéntes ulcísci omnem inobediéntiam, cum impléta fúerit vestra obediéntia. Quæ secúndum fáciem sunt, vidéte. Si quis confídit sibi Christi se esse, hoc cógitet íterum apud se: quia sicut ipse Christi est, ita et nos. Nam, et si ámplius áliquid gloriátus fúero de potestáte nostra, quam dedit nobis Dóminus in ædificatiónem et non in destructiónem vestram: non erubéscam. Ut autem non exístimer tamquam terrére vos per epístolas: quóniam quidem epístolæ, ínquiunt, graves sunt et fortes: præséntia autem córporis infírma et sermo contemptíbilis: hoc cógitet qui eiúsmodi est, quia quales sumus verbo per epístolas abséntes, tales et præséntes in facto.

℟. ii. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. ℣. Consérva me, Dómine, quóniam in te sperávi: dixi Dómino: Deus meus es tu. - Propter hoc.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 8

In illo témpore: Ascendénte Iesu in navículam, secúti sunt eum

discípuli eius: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comm. in c. 8 Matth.

Quintum signum fecit, quando ascéndens navim de Caphárnaum, ventis imperávit et mari. Sextum, quando in regióne Gerasenórum dedit potestátem dæmónibus in porcos. Séptimum, quando ingrédiens civitátem suam, paralýticum secúndum curávit in léctulo. Primus enim paralýticus est puer centuriónis.

℟. iii. Honor, virtus et potéstas et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. - In perénni. - Glória. - In perénni.

AD LAUDES

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Ad Bened. ant. Ascendénte Iesu in navículam, ecce motus magnus factus est in mari: et suscitavérunt eum discípuli eius, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus.

Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus. Per.

AD II VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Dómine, salva nos, perímus: ímpera et fac, Deus, tranquillitátem.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Incipit Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas

Lectio i Cap. 1

Paulus Apóstolus non ab homínibus, neque per hóminem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem, qui suscitávit eum a mórtuis: et qui mecum sunt omnes fratres eccléśiis Galátiæ. Grátia vobis et pax a Deo Patre et Dómino nostro Iesu Christo, qui dedit semetípsum pro peccátis nostris, ut eríperet nos de præsénti sæculo nequam, secúndum voluntátem Dei et Patris nostri, cui est

glória in sæcula sæculórum: Amen.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii

Miror quod sic tam cito transferímini ab eo qui vos vocávit in grátiam Christi in áliud Evangélium: quod non est áliud, nisi sunt áliqui qui vos contúrbant et volunt convértere Evangélium Christi. Sed, licet nos aut Angelus de cælo evangelízet vobis prætérquam quod evangelizávimus vobis, anáthema sit. Sicut prædíximus, et nunc íterum dico: Si quis vobis evangelizáverit præter id quod accepístis, anáthema sit.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii

Modo enim homínibus suádeo, an Deo? An quæro homínibus placére? Si adhuc homínibus placérem, Christi servus non essem. Notum enim vobis fácio, fratres, Evangélium, quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Iesu Christi.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola ad Gálatas

Lectio i Cap. 3

O insensáti Gálatæ, quis vos fascinávit non obedíre veritáti, ante quorum óculos Iesus Christus præscríptus est, in vobis crucifíxus? Hoc solum a vobis volo díscere: Ex opéribus legis Spíritum accepístis, an ex audítu fídei? Sic stulti estis, ut, cum spíritu cœpéritis, nunc carne consummémini? Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte

mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Qui ergo tríbuit vobis Spíritum et operátur virtútes in vobis: ex opéribus legis, an ex audítu fídei? Sicut scriptum est: Abraham crédidit Deo, et reputátum est illi ad iustítiam. Cognóscite ergo quia qui ex fide sunt, ii sunt fílii Abrahæ. Próvidens autem Scriptúra quia ex fide iustíficat gentes Deus, prænuntiávit Abrahæ: quia benedicéntur in te omnes gentes.

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Igitur qui ex fide sunt, benedicéntur cum fidéli Abraham. Quicúmque enim ex opéribus legis sunt, sub maledícto sunt. Scriptum est enim: Maledíctus omnis qui non permánserit in ómnibus quæ scripta sunt in libro legis ut fáciat ea. Quóniam autem in lege nemo iustificátur apud Deum, maniféstum est: quia iustus ex fide vivit. Lex autem non est ex fide, sed, Qui fécerit ea, vivet in illis.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Deus, qui nos in tantis períclis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Gálatas

Lectio i Cap. 3

Abrahæ dictæ sunt promissiónes et sémini eius. Non dicit: Et semínibus, quasi in multis: sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testaméntum confirmátum a Deo: quæ post quadringéntos et trigínta annos facta est lex, non írritum facit ad evacuándam promissiónem. Nam, si ex lege heréditas, iam non ex promissióne. Abrahæ autem per repromissiónem donávit Deus.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii

Quid ígitur lex? Propter transgressiónes pósita est donec veníret semen, cui promíserat, ordináta per Angelos in manu mediatóris. Mediátor autem uníus non est: Deus autem unus est. Lex ergo advérsus promíssa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificáre, vere ex lege esset iustítia. Sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Iesu Christi darétur credéntibus.

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii

Prius autem quam veníret fides, sub lege custodiebámur conclúsi in eam fidem quæ revelánda erat. Itaque lex pædagógus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificémur. At, ubi venit fides, iam non sumus sub pædagógo. Omnes enim fílii Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Quicúmque enim in Christo baptizáti estis, Christum induístis.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, susceptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Gálatas

Lectio i Cap. 4

Dico autem: Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre: ita et nos, cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus

serviéntes. At, ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra clamántem: Abba, Pater. Itaque iam non est servus, sed fílius: quod si fílius: et heres per Deum. Sed tunc quidem ignorántes Deum, iis, qui natúra non sunt dii, serviebátis. Nunc autem cum cognovéritis Deum, immo cógniti sitis a Deo: quómodo convertímini íterum ad infírma et egéna eleménta, quibus dénuo servíre vultis?

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus, ne derelínquas me.

Lectio iii

Dies observátis et menses et témpora et annos. Tímeo vos, ne forte sine causa laboráverim in vobis. Estóte sicut ego, quia et ego sicut vos: fratres, óbsecro vos: Nihil me læsístis. Scitis autem quia per infirmitátem carnis evangelizávi vobis iam pridem: et tentatiónem vestram in carne mea non sprevístis, neque respuístis: sed sicut Angelum Dei excepístis me, sicut Christum Iesum.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Oratio

Deus, qui nos in tantis periculis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Gálatas

Lectio i Cap. 5

Dico autem: Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum: spíritus autem advérsus carnem: hæc enim sibi ínvicem adversántur: ut non quæcúmque vultis, illa faciátis. Quod si spíritu ducímini, non estis sub lege.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Manifésta sunt autem ópera carnis: quæ sunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes et his simília, quæ prædíco vobis, sicut prædíxi: quóniam qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et liberásti.

Lectio iii

Fructus autem Spíritus est: cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Advérsus huiúsmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis. Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola ad Gálatas

Lectio i Cap. 6

Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qu

spirituáles estis, huiúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans te ipsum, ne et tu tentéris. Alter alteríus ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam, si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii

Communícet autem is qui catechizátur verbo ei qui se catechízat in ómnibus bonis. Nolíte erráre: Deus non irridétur. Quæ enim seminéverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus: témpore enim suo metémus non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei. Vidéte quálibus lítteris scripsi vobis mea manu. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantum ut crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt: sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

DOMINICA V POST EPIPHANIAM

II classis

AD I VESPERAS

℣. Vespertína orátio.
℟. Et descéndat super nos.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

AD MATUTINUM

Incipit Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Ephésios

Lectio i Cap. i

Paulus Apóstolus Iesu Christi per voluntátem Dei ómnibus sanctis, qui sunt Ephesi, et fidélibus in Christo Iesu. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu eius in caritáte.

℟. i. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. - Miserére mei.

Lectio ii

Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Iesum Christum in ipsum: secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiónem per sánguinem eius, remissiónem peccatórum secúndum divítias grátiæ eius, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia: ut notum fáceret nobis sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum eius, quod propósuit in eo, in dispensatióne plenitúdinis témporum, instauráre ómnia in Christo, quæ in cælis et quæ in terra sunt, in ipso. In quo étiam et nos sorte vocáti sumus prædestináti secúndum propósitum eius, qui operátur ómnia secúndum consílium voluntátis suæ: ut simus in laudem glóriæ eius nos, qui ante sperávimus in Christo: in quo et vos, cum audissétis verbum veritátis (Evangélium salútis vestræ), in quo et credéntes signáti estis Spíritu promissiónis Sancto, qui est pignus hereditátis nostræ, in redemptiónem acquisitiónis, in laudem glóriæ ipsíus.

℟. ii. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. ℣. Con-

sérva me, Dómine, quóniam in te sperávi: dixi Dómino: Deus meus es tu. - Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus turbis parábolam hanc: Símile factum est regnum cælórum hómini, qui seminávit bonum semen in agro suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Lib. Quæst. 17 in Evang. secundum Matth. cap. 11

Cum negligéntius ágerent præpósiti Eccléſiæ, aut cum dormitiónem mortis accíperent Apóstoli, venit diábolus, et superseminávit eos, quos malos fílios Dóminus interpretátur. Sed quæritur, utrum hærétici sint, an male vivéntes cathólici. Possunt enim dici fílii mali étiam hærétici: quia ex eódem Evangélii sémine et Christi nómine procreáti, pravis opiniónibus ad falsa dógmata convertúntur.

℟. iii. Honor, virtus et potéstas et ímpérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. - In perénni. - Glória. - In perénni.

AD LAUDES

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Ad Bened. ant. Dómine, nonne bonum semen seminásti in agro tuo? Unde ergo habet zizánia? Et ait illis: Hoc fecit inimícus homo.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

AD II VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Collígite primum zizánia, et alligáte ea in fascículos ad comburéndum: tríticum autem congregáte in hórreum meum, dicit Dóminus.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 4

Obsecro ítaque vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem Spíritus in vínculo pacis. Unum corpus et unus Spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus et Pater ómnium, qui est super omnes et per ómnia et in ómnibus nobis.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii

Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cælos, ut impléret ómnia.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii

Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres et doctóres ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fídei et agnitiónis Fílii Dei, in vírum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 4

Hoc ígitur dico et testíficor in Dómino, ut iam non ambulétis, sicut et gentes ámbulant in vanitáte sensus sui, ténebris obscurátum habén-

tes intelléctum, alienáti a vita Dei per ignorántiam, quæ est in illis propter cæcitátem cordis ipsórum, qui desperántes semetípsos tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam.

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Renovámini autem spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in iustítia et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium, loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo: quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, et nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo.

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Qui furabátur, iam non furétur: magis autem labóret, operándo mánibus suis, quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patiénti. Omnis sermo malus ex ore vestro non procédat: sed si quis bonus ad ædificatiónem fídei, ut det grátiam audiéntibus. Et nolíte contristáre Spíritum Sanctum Dei: in quo signáti estis in diem redemptiónis.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 5

Estóte ergo imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi: et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem et omnis immundítia aut avarítia nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitúdo aut stultilóquium aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet: sed magis gratiárum áctio.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus reserves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii

Hoc enim scitóte intelligéntes: quod omnis fornicátor aut immúndus aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hereditátem in regno Christi et Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte.

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii

Fructus enim lucis est in omni bonitáte et iustítia et veritáte: probántes quid sit beneplácitum Deo: et nolíte communicáre opéribus infructuósis tenebrárum, magis autem redargúite. Quæ enim in occúlto fiunt ab ipsis, turpe est et dícere. Omnia autem, quæ arguúntur, a lúmine manifestántur: omne enim, quod manifestátur, lumen est.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, susceptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 5

Vidéte ítaque, fratres, quómodo caute ambulétis: non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes: rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptérea nolíte fíeri imprudéntes: sed intelligéntes quæ sit volúntas

Dei. Et nolíte inebriári vino, in quo est luxúria: sed implémini Spíritu Sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis et hymnis et cánticis spirituálibus, cantántes et psalléntes in córdibus vestris Dómino, grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Iesu Christi Deo et Patri.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Subiécti ínvicem in timóre Christi. Mulíeres viris suis súbditæ sint, sicut Dómino: quóniam vir caput est mulíeris: sicut Christus caput est Ecclésiæ: Ipse salvátor córporis eius. Sed sicut Ecclésia subiécta est Christo, ita et mulíeres viris suis in ómnibus. Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus diléxit Ecclésiam et seípsum trádidit pro ea.

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus.

Lectio iii

Qui suam uxórem díligit, seípsum díligit. Nemo enim umquam carnem suam ódio hábuit: sed nutrit et fovet eam, sicut et Christus Ecclésiam: quia membra sumus córporis eius, de carne eius et de óssibus eius. Propter hoc relínquet homo patrem et matrem suam, et adhærébit uxóri suæ: et erunt duo in carne una. Sacraméntum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclésia.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Oratio

Famíliam tuam, quæsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 6

Fílii, obedíte paréntibus vestris in Dómino: hoc enim iustum est. Honóra patrem tuum et matrem tuam, quod est mandátum primum in promissióne: ut bene sit tibi et sis longǽvus super terram. Et vos, patres, nolíte ad iracúndiam provocáre fílios vestros: sed educáte illos in disciplína et correptióne Dómini.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Servi, obedíte dóminis carnálibus cum timóre et tremóre, in simplicitáte cordis vestri, sicut Christo: non ad óculum serviéntes, quasi homínibus placéntes, sed ut servi Christi, faciéntes voluntátem Dei ex ánimo, cum bona voluntáte serviéntes, sicut Dómino et non homínibus: sciéntes quóniam unusquísque quodcúmque fécerit bonum, hoc recípiet a Dómino, sive servus, sive liber.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et liberásti.

Lectio iii

Et vos, dómini, éadem fácite illis, remitténtes minas: sciéntes quia et illórum et vester Dóminus est in cælis: et personárum accéptio non est apud eum. De cétero, fratres, confortámini in Dómino et in poténtia virtútis eius. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola ad Ephésios

Lectio i Cap. 6

Non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem: sed advérsus príncipes et potestátes, advérsus mundi

rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequítiæ, in cæléstibus. Propterea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam iustítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii

In ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: et gáleam salútis assúmite: et gládium spíritus (quod est verbum Dei) per omnem oratiónem et obsecratiónem oránte omni témpore in spíritu: et in ipso vigilántes in omni instántia et obsecratióne pro ómnibus sanctis: et pro me, ut detur mihi sermo in apertióne oris mei cum fidúcia, notum fácere mystérium Evangélii: pro quo legatióne fungor in caténa, ita ut in ipso áudeam, prout opórtet me, loqui. Ut autem et vos sciátis quæ circa me sunt, quid agam: ómnia vobis nota fáciet Týchicus, caríssimus frater et fidélis miníster in Dómino: quem misi ad vos in hoc ipsum, ut cognoscátis quæ circa nos sunt, et consolétur corda vestra. Pax frátribus et cáritas cum fide a Deo Patre et Dómino Iesu Christo.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

DOMINICA VI POST EPIPHANIAM

II classis

AD I VESPERAS

℣. Vespertína orátio.
℟. Et descéndat super nos.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

AD MATUTINUM

Incipit Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Philippénses

Lectio i Cap. i

Paulus et Timótheus servi Iesu Christi ómnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philíppis, cum epíscopis et diacónibus. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro et Dómino Iesu Christo. Grátias ago Deo meo in omni memória vestri, semper in cunctis oratiónibus meis pro ómnibus vobis, cum gáudio deprecatiónem fáciens, super communicatióne vestra in Evangélio Christi a prima die usque nunc. Confídens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Iesu.

℟. i. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me: * Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℣. Timor et tremor venérunt super me, et contexérunt me ténebræ, et dixi. - Miserére mei.

Lectio ii

Sicut est mihi iustum hoc sentíre pro ómnibus vobis: eo quod hábeam vos in corde et in vínculis meis et in defensióne et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Iesu Christi. Et hoc oro ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia et in omni sensu: ut probétis potióra, ut sitis sincéri et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu iustítiæ per Iesum Christum, in glóriam et laudem Dei. Scire autem vos volo, fratres, quia quæ circa me sunt, magis ad proféctum venérunt Evangélii: ita ut víncula mea manifésta fíerent in Christo in omni prætório et in céteris ómnibus, et plures e frátribus in Dómino confidéntes vínculis meis, abundántius audérent sine timóre verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invídiam et contentiónem: quidam autem et propter bonam voluntátem Christum prædicant: quidam ex caritáte: sciéntes quóniam in defensiónem Evangélii pósitus sum.

℟. ii. A dextris est mihi Dóminus, ne commóvear: * Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea. ℣. Consérva me, Dómine, quó-

niam in te sperávi: dixi Dómino: Deus meus es tu. - Propter hoc dilatátum est cor meum, et exsultávit lingua mea.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 2 Comm. in cap. 13 Matth.

Regnum cælórum prædicátio Evangélii est et notítia Scripturárum, quæ ducit ad vitam et de qua dícitur ad Iudæos: Auferétur a vobis regnum Dei et dábitur genti faciénti fructus eius. Símile est ergo huiúsmodi regnum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Homo, qui séminat in agro suo, a plerísque Salvátor intellígitur, quod in ánimis credéntium séminet: ab áliis, ipse homo séminans in agro suo, hoc est, in semetípso et in corde suo.

℟. iii. Honor, virtus et potéstas et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. - In perénni. - Glória. - In perénni.

AD LAUDES

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod mínimum est ómnibus semínibus: cum autem créverit, maius est ómnibus oléribus.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

AD II VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Símile est regnum cælórum fermento, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De Epístola ad Philippénses

Lectio i Cap. 2

Si qua ergo consolátio in Christo, si quod solátium caritátis, si qua societas spíritus, si qua víscera miseratiónis: implete gáudium meum ut idem sapiátis, eándem caritátem habéntes, unánimes, idípsum sentiéntes, nihil per contentiónem, neque per inánem glóriam: sed in humilitáte superióres sibi ínvicem arbitrántes, non quæ sua sunt sínguli considerántes, sed ea quæ alióram.

℟. i. Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * Quam abscondísti timéntibus te. ℣. Et perfecísti eis qui sperant in te, Dómine, in conspéctu filiórum hóminum. - Quam abscondísti.

Lectio ii

Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Iesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℟. ii. Benedícam Dóminum in omni témpore: * Semper laus eius in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti et læténtur. - Semper.

Lectio iii

Propter quod et Deus exaltávit illum et donávit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nómine Iesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum, et omnis lingua confiteátur quia Dóminus Iesus Christus in glória est Dei Patris. Itaque, caríssimi mei (sicut semper obedístis): non ut in præséntia mei tantum, sed multo magis nunc in abséntia mea, cum metu et tremóre vestram salútem operámini.

℟. iii. Delectáre in Dómino, * Et dabit tibi petitiónes cordis tui. ℣. Spera in Dómino et fac bonitátem, et inhábita terram et pascéris in divítiis eius. - Et dabit. - Glória. - Et dabit.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola ad Philippénses

Lectio i Cap. 2

Omnia autem fácite sine murmuratiónibus et hæsitatiónibus: ut sitis sine queréla et símplices

fílii Dei, sine reprehensióne in médio natiónis pravæ et pervérsæ: inter quos lucétis sicut lumináriа in mundo, verbum vitæ continéntes ad glóriam meam in die Christi, quia non in vácuum cucúrri, neque in vácuum laborávi.

℟. i. Auribus pércipe, Dómine, lácrimas meas: ne síleas a me, remítte mihi, * Quóniam íncola ego sum apud te et peregrínus. ℣. Dixi: Custódiam vias meas, ut non delínquam in lingua mea. - Quóniam.

Lectio ii

Sed, et si ímmolor supra sacrifícium et obséquium fídei vestræ, gáudeo et congrátulor ómnibus vobis. Idípsum autem et vos gaudéte, et congratulámini mihi. Spero autem in Dómino Iesu, Timótheum me cito míttere ad vos: ut et ego bono ánimo sim, cógnitis quæ circa vos sunt. Néminem enim hábeo tam unánimem, qui sincéra affectióne pro vobis sollícitus sit.

℟. ii. Státuit Dóminus super petram pedes meos, et diréxit gressus meos Deus meus. * Et immísit in os meum cánticum novum. ℣. Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me. - Et immísit.

Lectio iii

Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Iesu Christi. Experiméntum autem eius cognóscite, quia sicut patri fílius, mecum servívit in Evangélio. Hunc ígitur spero me míttere ad vos, mox ut vídero quæ circa me sunt. Confído autem in Dómino quóniam et ipse véniam ad vos cito.

℟. iii. Ego dixi: Dómine, miserére mei; * Sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Dómine, ne in ira tua árguas me, neque in furóre tuo corrípias me. - Sana. - Glória. - Sana.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola
ad Philippénses

Lectio i Cap. 3

De cétero, fratres mei, gaudéte in Dómino. Eadem vobis scríbere, mihi quidem non pigrum, vobis autem necessárium. Vidéte canes, vidéte malos operários, vidéte concisiónem. Nos enim sumus circumcísio, qui spíritu servímus Deo et gloriámur in Christo Iesu et non in carne fidúciam habéntes, quamquam ego hábeam confidéntiam et in carne.

℟. i. Ne perdíderis me, Dómine, cum iniquitátibus meis, * Neque in finem irátus resérves mala mea. ℣. Miserére mei, Deus, miserére mei, quóniam in te confídit ánima mea. - Neque.

Lectio ii

Si quis álius vidétur confídere in carne, ego magis, circumcísus octávo die, ex génere Israël, de tribu Béniamin, Hebræus ex Hebræis, secúndum legem pharisæus, secúndum æmulatiónem pérsequens Ecclésiam Dei, secúndum iustítiam, quæ in lege est, conversátus sine queréla. Sed quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detrimenta.

℟. ii. Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * Cantábo et psalmum dicam Dómino. ℣. Exsúrge, glória mea, exsúrge, psaltérium et cíthara: exsúrgam dilúculo. - Cantábo.

Lectio iii

Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo non habens meam iustítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Iesu: quæ ex Deo est iustítia in fide.

℟. iii. Adiútor meus, tibi psallam, quia, Deus, suscéptor meus es, * Deus meus, misericórdia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus, et ab insurgéntibus in me líbera me. - Deus. - Glória. - Deus.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola
ad Philippénses

Lectio i Cap. 3

Fratres, ego me non árbitror comprehendísse. Unum autem: quæ quidem retro sunt oblivíscens, ad ea vero quæ sunt prióra exténdens meípsum, ad destinátum pérsequor, ad bravium supérnæ vocatiónis Dei in

Christo Iesu. Quicúmque ergo perfécti sumus, hoc sentiámus: et si quid áliter sápitis, et hoc vobis Deus revelábit. Verúmtamen ad quod pervénimus ut idem sapiámus et in eádem permaneámus régula.

℟. i. Deus, in te sperávi, Dómine, non confúndar in ætérnum; in tua iustítia * Líbera me et éripe me. ℣. Esto mihi in Deum protectórem et in locum munítum, ut salvum me fácias. - Líbera.

Lectio ii

Imitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus: quorum deus venter est: et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cælis est.

℟. ii. Repleátur os meum laude, ut hymnum dicam glóriæ tuæ, tota die magnificéntiæ tuæ. Noli me proícere in témpore senectútis; cum defécerit virtus mea, * Deus, ne derelínquas me. ℣. Deus, ne elongéris a me, Deus meus, in auxílium meum réspice. - Deus.

Lectio iii Cap. 3 et 4

Unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Iesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subícere sibi ómnia. Itaque, fratres mei caríssimi et desideratíssimi, gáudium meum et coróna mea: sic state in Dómino, caríssimi.

℟. iii. Gaudébunt lábia mea, dum cantávero tibi, * Et ánima mea, quam redemísti, Dómine. ℣. Sed et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, tota die laudem tuam. - Et ánima. - Glória. - Et ánima.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita et dictis exsequámur et factis. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola
ad Philippénses

Lectio i Cap. 4

Etiam rogo et te, germáne compar, ádiuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte et céteris adiutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ. Gaudéte in Dómino semper: íterum dico gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis: sed in omni oratióne et obsecratióne cum gratiárum actióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum.

℟. i. Confitébor tibi, Dómine Deus, in toto corde meo, et honorificábo nomen tuum in ætérnum, * Quia misericórdia tua, Dómine, magna est super me. ℣. Et eripuísti ánimam meam ex inférno inferióri. - Quia.

Lectio ii

Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras in Christo Iesu. De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque iusta, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte.

℟. ii. Misericórdia tua, Dómine, magna est super me, * Et liberásti ánimam meam ex inférno inferióri. ℣. Deus, iníqui insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam. - Et liberásti.

Lectio iii

Quæ et didicístis et accepístis et audístis et vidístis in me, hæc ágite: et Deus pacis erit vobíscum. Gavísus sum autem in Dómino veheménter, quóniam tandem aliquándo refloruístis pro me sentíre, sicut et sentiebátis: occupáti autem erátis. Non quasi propter penúriam dico: ego enim dídici, in quibus sum, suffíciens esse.

℟. iii. Factus est mihi Dóminus in refúgium, et Deus meus * In auxílium spei meæ. ℣. Deus ultiónum Dóminus, Deus ultiónum líbere egit. - In. - Glória. - In.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Epístola
ad Philippénses

Lectio i Cap. 4

Scio et humiliári, scio et abundáre: (ubíque et in ómnibus institútus sum) et satiári et esuríre et abundáre et penúriam pati. Omnia possum in eo qui me confórtat. Verúmtamen bene fecístis, communicántes tribulatióni meæ. Scitis autem et vos, Philippénses, quod in

princípio Evangélii, quando proféctus sum a Macedónia, nulla mihi ecclésia communicávit in ratióne dati et accépti, nisi vos soli: quia et Thessalonícam semel et bis in usum mihi misístis.

℟. i. Misericórdiam et iudícium cantábo tibi, Dómine, * Psallam, et intélligam in via immaculáta, quando vénies ad me. ℣. Perambulábam in innocéntia cordis mei, in médio domus meæ. - Psallam.

Lectio ii

Non quia quæro datum, sed requíro fructum abundántem in ratióne vestra. Hábeo autem ómnia et abúndo: replétus sum, accéptis ab Epaphrodíto quæ misístis, odórem suavitátis, hóstiam accéptam, placéntem Deo. Deus autem meus ímpleat omne desidérium vestrum secúndum divítias suas in glória in Christo Iesu. Deo autem et Patri nostro glória in sæcula sæculórum: Amen. Salutáte omnem sanctum in Christo Iesu. Salútant vos qui mecum sunt fratres. Salútant vos omnes sancti, máxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Grátia Dómini nostri Iesu Christi cum spíritu vestro. Amen.

℟. ii. Velóciter exáudi me, Dómine, * Quia defecérunt sicut fumus dies mei. ℣. Dies mei sicut umbra declinavérunt, et ego sicut fenum árui. - Quia.

Dominica in Septuagesima

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℟. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum: complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: * Et requiévit Ab omni ópere quod patrárat. ℣. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. - Et requiévit. - Glória. - Ab omni ópere quod patrárat.

Hymnus

O lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Iam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. ant. Peccáta mea, Dómine, sicut sagíttæ infíxa sunt in me: sed ántequam vúlnera génerent in me, sana me, Dómine, medicaménto pæniténtiæ, Deus.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui iuste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per.

Post ultimam orationem additur:

Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

Sic dicitur Benedicámus Dómino hoc sabbato, etiam si Vesperæ fuerint de festo.

¶ Et deinceps non dicitur Allelúia usque ad Missam vigiliæ paschalis, sed in principio Horarum, post ℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat. loco Allelúia dicitur

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

AD MATUTINUM

Invit. Præoccupémus fáciem Dómini, * Et in psalmis iubilémus ei.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro.

Dicto salutári nostro, resumitur invitatorium:

Præoccupémus fáciem Dómini, et in psalmis iubilémus ei.

Quo dicto sequitur

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Et in psalmis iubilémus ei.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus et procidámus ante

Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius.

Præoccupémus fáciem Dómini, et in psalmis iubilémus ei.

℣. Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Et in psalmis iubilémus ei.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Præoccupémus fáciem Dómini, et in psalmis iubilémus ei.

℣. Glória Patri. Sicut erat.

Et in psalmis iubilémus ei.

Præoccupémus fáciem Dómini, et in psalmis iubilémus ei.

Hymnus Nocte surgéntes 570.

In Nocturno

Incipit liber Génesis

Lectio i Cap. 1

In princípio creávit Deus cælum et terram. Terra autem erat inánis et vácua, et ténebræ erant super fáciem abýssi: Et Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem Diem, et ténebras Noctem: factúmque est véspere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmaméntum in médio aquárum: et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas, quæ erant sub firmaménto, ab his, quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum, Cælum: et factum est véspere et mane, dies secúndus.

℟. i. In princípio fecit Deus cælum et terram: et creávit in ea hóminem * Ad imáginem et similitúdinem suam. ℣. Formávit ígitur Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ. - Ad imáginem.

Lectio ii

Dixit vero Deus: Congregéntur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum: et appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terram, congregationésque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam viréntem et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem et faciéntem semen iuxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies tértius. Dixit autem Deus: Fiant luminária in firmaménto cæli, et dívidant diem ac noctem, et sint in signa et témpora et dies et annos: ut lúceant in firmaménto cæli et illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna: lumináre maius, ut præésset diéi: et lumináre minus, ut præésset nocti: et stellas. Et pósuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere et mane, dies quartus.

℟. ii. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum: complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: * Et requiévit ab omni ópere quod patrárat. ℣. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. - Et requiévit.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 20

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 19 in Evang. post init.

Regnum cælórum hómini patrifamílias símile dícitur, qui ad excoléndam víneam suam operários condúcit. Quis vero patrisfamílias similitúdinem réctius tenet, quam Cónditor noster, qui regit quos cóndidit, et eléctos suos sic in hoc mundo póssidet, quasi subiéctos dóminus in domo? Qui habet víneam, universálem scílicet Eccle-

siam, quæ ab Abel iusto usque ad últimum eléctum, qui in fine mundi nascitúrus est, quot sanctos prótulit, quasi tot pálmites misit.

℟. iii. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Néscio, Dómine: numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecísti? * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. - Ecce. - Glória. - Ecce. ℟. Ubi est Abel.

Non dicitur Te Deum usque ad Pascha, exceptis festis I et II classis, sed in omnibus dominicis tertium responsorium repetitur usque ad ℣. exclusive.

Ante Laudes ℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória eius.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Miserére mei, Deus, et a delícto meo munda me, quia tibi soli peccávi.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Confitébor tibi, Dómine, quóniam exaudísti me.

3. Deus Deus meus, ad te de luce vígilo, quia factus es adiútor meus.

4. Benedíctus es in firmaménto cæli, et laudábilis in sæcula, Deus noster.

5. Laudáte Dóminum de cælis. †

Capitulum Apoc. 7

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

Ad Bened. ant. Símile est regnum cælórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam, dicit Dóminus.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui iuste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per.

AD PRIMAM

Ant. Conventióne autem facta cum operáriis ex denário diúrno, misit eos in víneam suam.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Ite et vos in víneam meam, et quod iustum fúerit dabo vobis.

Capitulum 1 Ioan. 4

Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Spes mea, Dómine, * A iuventúte mea.

Non repetitur ℟. (et sic in aliis ℟℟. quæ ad Tertiam, Sextam et Nonam deinceps notabuntur in dominicis usque ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive), sed statim sequitur

℣. In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es meus protéctor. A iuventúte mea. Glória Patri. Spes mea.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

AD SEXTAM

Ant. Quid hic statis tota die otiósi? Respondérunt et dixérunt: Quia nemo nos condúxit.

Capitulum 2 Cor. 13

Grátia Dómini nostri Iesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Esto nobis, Dómine, * Turris fortitúdinis. ℣. A fácie inimíci. Turris. Glória. Esto.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

AD NONAM

Ant. Voca operários, et redde illis mercédem suam, dicit Dóminus.

Capitulum 1 Ioan. 5

Tres sunt qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt.

℟. Educ de cárcere ánimam meam, * Ut confiteátur nómini tuo, Dómine. ℣. Périit fuga a me, et non est qui requírat ánimam meam. Ut confiteátur. Glória. Educ.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Dóminus dírigat et hymnus Lucis Creátor óptime 607.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. ant. Dixit paterfamílias operáriis suis: Quid hic statis tota die otiósi? At illi respondéntes dixérunt: Quia nemo nos condúxit. Ite et vos in víneam meam, et quod iustum fúerit dabo vobis.

Oratio Preces, ut infra.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Hi novíssimi una hora fecérunt, et pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi et æstus.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui iuste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per.

Ad Magnif. ant. Erunt primi novíssimi, et novíssimi primi: multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti, dicit Dóminus.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 2

Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat. Et benedíxit diéi séptimo; et sanctificávit illum: quia in ipso cessáverat ab omni ópere suo quod creávit Deus ut fáceret. Istæ sunt generatiónes cæli et terræ, quando creáta sunt, in die quo fecit Dóminus Deus cælum et terram: et omne virgúltum agri ántequam orirétur in terra, omnémque herbam regiónis priúsquam germináret.

℟. i. In princípio fecit Deus cælum et terram: et creávit in ea hóminem * Ad imáginem et similitúdinem suam. ℣. Formávit ígitur Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ. - Ad imáginem.

Lectio ii

Non enim plúerat Dóminus Deus super terram, et homo non erat qui operarétur terram: sed fons ascendébat e terra, írrigans univérsam superfíciem terræ. Formávit ígitur Dóminus Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo in ánimam vivéntem. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio: in quo pósuit hóminem quem formáverat.

℟. ii. In princípio Deus creávit cælum et terram: et Spíritus Dómini ferebátur super aquas: et vidit Deus cuncta quæ fécerat: * Et erant valde bona. ℣. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum. - Et erant.

Lectio iii

Produxítque Dóminus Deus de humo omne lignum pulchrum visu et ad vescéndum suáve: lignum étiam vitæ in médio paradísi, lignúmque sciéntiæ boni et mali. Et flúvius egrediebátur de loco voluptátis ad irrigándum paradísum, qui inde divíditur in quátuor cápita. Nomen uni Phison: ipse est qui círcuit omnem terram Hévilath, ubi náscitur aurum: et aurum terræ illíus óptimum est: ibi invenítur bdéllium et lapis onýchinus.

℟. iii. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum: complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: * Et requiévit Ab omni ópere quod patrárat. ℣. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. - Et requiévit. - Glória. - Ab omni.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 2

Tulit ergo Dóminus Deus hóminem et pósuit eum in paradíso voluptátis, ut operarétur et custodíret illum: præcepítque ei dicens: Ex omni ligno paradísi cómede: de ligno autem sciéntiæ boni et mali ne cómedas. In quocúmque enim die coméderis ex eo, morte moriéris. Dixit quoque Dóminus Deus: Non est

bonum esse hóminem solum: faciámus ei adiutórium símile sibi.

℟. i. Formávit ígitur Dóminus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo * In ánimam vivéntem. ℣. In princípio fecit Deus cælum et terram, et creávit in ea hóminem. - In ánimam vivéntem.

Lectio ii

Formátis ígitur, Dóminus Deus, de humo cunctis animántibus terræ et univérsis volatílibus cæli, addúxit ea ad Adam, ut vidéret quid vocáret ea. Omne enim quod vocávit Adam ánimæ vivéntis, ipsum est nomen eius. Appellavítque Adam nomínibus suis cuncta animántia et univérsa volatília cæli et omnes béstias terræ. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis eius.

℟. ii. Tulit ergo Dóminus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, * Ut operarétur et custodíret illum. ℣. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio: in quo pósuit hóminem quem formáverat. - Ut operarétur et custodíret illum.

Lectio iii

Immísit ergo Dóminus Deus sopórem in Adam: cumque obdormísset, tulit unam de costis eius et replévit carnem pro ea. Et ædificávit Dóminus Deus costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem: et addúxit eam ad Adam. Dixítque Adam: Hoc nunc, os ex óssibus meis, et caro de carne mea: hæc vocábitur Virágo, quóniam de viro sumpta est.

℟. iii. Dixit Dóminus Deus: Non est bonum hóminem esse solum: * Faciámus ei adiutórium símile sibi. ℣. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis sibi: dixit quoque Deus. - Faciámus ei. - Glória. - Faciámus ei.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 3

Sed et serpens erat callídior cunctis animántibus terræ quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier: De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur: de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus: et ne tangerémus illud, ne forte moriámur.

℟. i. Immísit Dóminus sopórem in Adam, et tulit unam de costis eius: et ædificávit costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, et addúxit eam ad Adam, ut vidéret quid vocáret eam: * Et vocávit nomen eius Virágo, quia de viro sumpta est. ℣. Cumque obdormísset, tulit unam de costis eius, et replévit carnem pro ea. - Et vocávit.

Lectio ii

Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri: et éritis sicut dii, sciéntes bonum et malum. Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum et pulchrum óculis, aspectúque delectábile: et tulit de fructu illíus et comédit: dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum.

℟. ii. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est, sciens bonum et malum: * Vidéte ne forte sumat de ligno vitæ, et vivat in ætérnum. ℣. Chérubim collocávit Dóminus et flámmeum gládium atque versátilem, ad custodiéndam viam ligni vitæ, et ait. - Vidéte ne forte.

Lectio iii

Cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus et fecérunt sibi perizómata. Et, cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor eius a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi. Vocavítque Dóminus Deus Adam et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso; et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me.

℟. iii. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Néscio, Dómine: numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecísti? * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. - Ecce vox. - Glória. - Ecce vox.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 3

Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo eius. Mulíeri quoque dixit: Multiplicábo ærúmnas tuas et concéptus tuos: in dolóre páries fílios, et sub viri potestáte eris, et ipse dominábitur tui.

℟. i. In princípio fecit Deus cælum et terram: et creávit in ea hóminem * Ad imáginem et similitúdinem suam. ℣. Formávit ígitur Deus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ. - Ad imáginem.

Lectio ii

Adæ vero dixit: Quia audísti vocem uxóris tuæ et comedísti de ligno, ex quo præcéperam tibi ne coméderes, maledícta terra in ópere tuo: in labóribus cómedes ex ea cunctis diébus vitæ tuæ. Spinas et tríbulos germinábit tibi, et cómedes herbam terræ. In sudóre vultus tui vescéris pane, donec revertáris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, et in púlverem revertéris.

℟. ii. In princípio Deus creávit cælum et terram: et Spíritus Dómini ferebátur super aquas: et vidit Deus cuncta quæ fécerat: * Et erant valde bona. ℣. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum. - Et.

Lectio iii Cap. 3 et 4

Et vocávit Adam nomen uxóris suæ Heva, eo quod mater esset cunctórum vivéntium. Adam vero cognóvit uxórem suam Hevam: quæ concépit et péperit Cain, dicens: Possédi hóminem per Deum. Rursúmque péperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor óvium: et Cain agrícola.

℟. iii. Igitur perfécti sunt cæli et terra et omnis ornátus eórum: complevítque Deus die séptimo opus suum quod fécerat: * Et requiévit Ab omni ópere quod patrárat. ℣. Vidítque Deus cuncta quæ fécerat: et erant valde bona. - Et requiévit. - Glória. - Ab omni.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 4

Factum est autem post multos dies ut offérret Cain de frúctibus terræ múnera Dómino. Abel quoque óbtulit de primogénitis gregis sui et de adípibus eórum: et respéxit Dóminus ad Abel et ad múnera eius. Ad Cain vero et ad múnera illíus non respéxit: iratúsque est Cain veheménter, et cóncidit vultus eius.

℟. i. Formávit ígitur Dóminus hóminem de limo terræ, et inspirávit in fáciem eius spiráculum vitæ, et factus est homo * In ánimam vivéntem. ℣. In princípio fecit Deus cælum et terram, et creávit in ea hóminem. - In ánimam vivéntem.

Lectio ii

Dixítque Dóminus ad eum: Quare irátus es? et cur cóncidit fácies tua? Nonne si bene égeris, recípies: sin autem male, statim in fóribus peccátum áderit? sed sub te erit appetítus eius, et tu domináberis illíus. Dixítque Cain ad Abel fratrem suum: Egrediámur foras. Cumque essent in agro, consurréxit Cain advérsus fratrem suum Abel, et interfécit eum.

℟. ii. Tulit ergo Dóminus hóminem, et pósuit eum in paradíso voluptátis, * Ut operarétur et custodíret illum. ℣. Plantáverat autem Dóminus Deus paradísum voluptátis a princípio: in quo pósuit hóminem quem formáverat. - Ut operarétur.

Lectio iii

Et ait Dóminus ad Cain: Ubi est Abel frater tuus? Qui respóndit: Néscio. Num custos fratris mei sum ego? Dixítque ad eum: Quid fecísti? Vox sánguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc ígitur maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. Cum operátus fúeris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus et prófugus eris super terram.

℟. iii. Dixit Dóminus Deus: Non est bonum hóminem esse solum: * Faciámus ei adiutórium símile sibi. ℣. Adæ vero non inveniebátur adiútor símilis sibi: dixit quoque Deus. - Faciámus ei. - Glória. - Faciámus ei.

Sabbato

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 4

Dixítque Cain ad Dóminum: Maior est iníquitas mea, quam ut véniam mérear. Ecce éicis me hódie a fácie terræ, et a fácie tua abscóndar, et ero vagus et prófugus in terra: omnis ígitur qui invénerit me, occídet me. Dixítque ei Dóminus: Nequáquam ita fiet: sed omnis qui occíderit Cain, séptuplum puniétur. Posuítque Dóminus Cain signum, ut non interfíceret eum omnis qui invenísset eum.

℟. i. Immísit Dóminus sopórem in Adam, et tulit unam de costis eius: et ædificávit costam, quam túlerat de Adam, in mulíerem, et addúxit eam ad Adam, ut vidéret quid vocáret eam: * Et vocávit nomen eius Virágo, quia de viro sumpta est. ℣. Cumque obdormísset, tulit unam de costis eius, et replévit carnem pro ea. - Et vocávit.

Lectio ii Cap. 4 et 5

Egressúsque Cain a fácie Dómini, habitávit prófugus in terra ad orientálem plagam Eden. Cognóvit autem Cain uxórem suam, quæ concépit et péperit Henoch, et ædificávit civitátem, vocavítque nomen eius ex nómine fílii sui, Henoch. Porro Henoch génuit Irad, et Irad génuit Maviaël, et Maviaël génuit Mathúsaël, et Mathúsaël génuit Lamech, qui accépit duas uxóres. Hic est liber generatiónis Adam. In die, qua creávit Deus hóminem, ad similitúdinem Dei fecit illum. Másculum et féminam creávit eos, et benedíxit illis: et vocávit nomen eórum Adam, in die quo creáti sunt. Vixit autem Adam centum trigínta annis: et génuit fílium ad imáginem et similitúdinem suam, vocavítque nomen eius Seth.

℟. ii. Ubi est Abel frater tuus? dixit Dóminus ad Cain. Néscio, Dómine: numquid custos fratris mei sum ego? Et dixit ad eum: Quid fecísti? * Ecce vox sánguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. ℣. Maledíctus eris super terram, quæ apéruit os suum et suscépit sánguinem fratris tui de manu tua. - Ecce vox.

DOMINICA IN SEXAGESIMA

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℟. Benedícens ergo Deus Noë ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem: * Ad imáginem quippe Dei factus est homo. ℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram: arcum meum ponam in núbibus cæli. - Ad imáginem. - Glória. - Ad imáginem.

Hymnus

O lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Iam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. ant. Erunt primi novíssimi, et novíssimi primi: multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti, dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus; concéde propítius ut contra advérsa ómnia Doctóris géntium protectióne muniámur. Per.

AD MATUTINUM

Invitatorium et psalmus Veníte, exsultémus ut dominica in Septuagesima 217.

Hymnus Nocte surgéntes 570.

In Nocturno

De libro Génesis

Lectio i Cap. 6

Cumque cœpíssent hómines multiplicári super terram et fílias procreássent, vidéntes fílii Dei fílias hóminum quod essent pulchræ, accepérunt sibi uxóres ex ómnibus, quas elégerant. Dixítque Deus: Non permanébit spíritus meus in hómine in ætérnum, quia caro est: erúntque dies illíus centum vigínti annórum. Gigántes autem erant super terram in diébus illis. Postquam enim ingréssi sunt fílii Dei ad fílias

hóminum, illáque genuérunt, isti sunt poténtes a sæculo viri famósi.

℟. i. Noë, vir iustus atque perféctus, cum Deo ambulávit: * Et fecit ómnia quæcúmque præcépit ei Deus. ℣. Noë autem invénit grátiam ante Dóminum Deum. - Et fecit ómnia.

Lectio ii

Videns autem Deus quod multa malítia hóminum esset in terra, et cuncta cogitátio cordis intênta esset ad malum omni témpore, pænítuit eum quod hóminem fecísset in terra. Et tactus dolóre cordis intrínsecus, Delébo, inquit, hóminem, quem creávi, a fácie terræ, ab hómine usque ad animántia, a réptili usque ad vólucres cæli: pænitet enim me fecísse eos. Noë vero invénit grátiam coram Dómino. Hæ sunt generatiónes Noë: Noë vir iustus atque perféctus fuit in generatiónibus suis, cum Deo ambulávit. Et génuit tres fílios, Sem, Cham et Iapheth. Corrúpta est autem terra coram Deo, et repléta est iniquitáte. Cumque vidísset Deus terram esse corrúptam, (omnis quippe caro corrúperat viam suam super terram) dixit ad Noë: Finis univérsæ carnis venit coram me: repléta est terra iniquitáte a fácie eórum, et ego dispérdam eos cum terra.

℟. ii. Requiévit arca mense séptimo super montes Arméniæ: * Et aquæ ibant et decrescébant usque ad décimum mensem. ℣. Décimo enim mense, primo die mensis, cacúmina móntium apparuérunt. - Et aquæ.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 8

In illo témpore: Cum turba plúrima convenírent et de civitátibus properárent ad Iesum, dixit per similitúdinem: Exiit qui séminat, semináre semen suum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 15 in Evang.

Léctio sancti Evangélii, quam modo, fratres carissimi, audístis, expositióne non índiget, sed admonitióne. Quam enim per semetípsam Véritas expósuit, hanc discútere humána fragílitas non præsúmat. Sed est quod sollícite in hac ipsa expositióne Domínica pensáre debeámus: quia, si nos vobis semen verbum, agrum mundum, vólucres dæmónia, spinas divítias significáre dicerémus; ad credéndum nobis mens fórsitan vestra dubitáret.

℟. iii. Benedícens ergo Deus Noë ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem: * Ad imáginem quippe Dei factus est homo. ℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram: arcum meum ponam in núbibus cæli. - Ad imáginem. - Glória. - Ad imáginem. ℟. Benedícens ergo.

Ante Laudes ℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória eius.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, Dómine, dele iniquitátem meam.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu, et exaltábo te.

3. Ad te de luce vígilo, Deus, ut vídeam virtútem tuam.

4. Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

5. Omnes Angeli eius, laudáte Dóminum de cælis.

Capitulum Apoc. 7

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

Ad Bened. ant. Cum turba plúrima convenírent ad Iesum et de civitátibus properárent ad eum, dixit per similitúdinem: Exiit qui séminat semináre semen suum.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus, concéde propítius ut contra advérsa ómnia Doctóris géntium protectióne muniámur. Per.

AD PRIMAM

Ant. Semen cécidit in terram bonam et áttulit fructum, áliud centésimum et áliud sexagésimum.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Semen cécidit in terram bonam, et áttulit fructum in patiéntia.

Capitulum 1 Ioan. 4

Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Spes mea, Dómine, * A iuventúte mea. ℣. In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es meus protéctor. A iuventúte mea. Glória. Spes mea.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

AD SEXTAM

Ant. Iesus hæc dicens clamábat: Qui habet aures audiéndi áudiat.

Capitulum 2 Cor. 13

Grátia Dómini nostri Iesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Esto nobis, Dómine, * Turris fortitúdinis. ℣. A fácie inimíci. Turris. Glória. Esto.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

AD NONAM

Ant. Qui verbum Dei rétinent corde perfécto et óptimo, fructum áfferunt in patiéntia.

Capitulum 1 Ioan. 5

Tres sunt qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt.

℟. Educ de cárcere ánimam meam, * Ut confiteátur nómini tuo, Dómine. ℣. Périit fuga a me, et non est qui requírat ánimam meam. Ut confiteátur. Glória. Educ.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Dóminus dírigat et hymnus Lucis Creátor óptime 607.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. ant. Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, céteris autem in parábolis, dixit Iesus discípulis suis.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Semen est verbum Dei, sator autem Christus: omnis qui audit eum, manébit in ætérnum.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia ex nulla nostra actióne confídimus; concéde propítius ut contra advérsa ómnia Doctóris géntium protectióne muniámur. Per.

Ad Magnif. ant. Quod autem cécidit in terram bonam: hi sunt, qui in corde bono et óptimo verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 7

Fecit ergo Noë ómnia quæ mandáverat ei Dóminus. Erátque sexcentórum annórum quando dilúvii aquæ inundavérunt super terram. Et ingréssus est Noë et fílii eius, uxor eius et uxóres filiórum eius cum eo in arcam propter aquas dilúvii. De animántibus quoque mundis et immúndis et de volúcribus, et ex omni, quod movétur super terram, duo et duo ingréssa sunt ad Noë in arcam, másculus et fémina, sicut præcéperat Dóminus Noë.

℟. i. Noë, vir iustus atque perféctus, cum Deo ambulávit: * Et fecit ómnia quæcúmque præcépit ei Deus. ℣. Noë autem invénit grátiam ante Dóminum Deum. - Et fecit.

Lectio ii

Cumque transíssent septem dies, aquæ dilúvii inundavérunt super terram. Anno sexcentésimo vitæ Noë, mense secúndo, septimodécimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abýssi magnæ, et cataráctæ cæli apértæ sunt: et facta est plúvia super terram quadragínta diébus et quadragínta nóctibus.

℟. ii. Quadragínta dies et noctes apérti sunt cæli, et ex omni carne habénte spíritum vitæ * Ingréssi sunt in arcam: et clausit a foris óstium Dóminus.

℣. Noë vero et fílii eius, uxor eius et uxóres filiórum eius. - Ingréssi sunt in arcam: et clausit a foris óstium Dóminus.

Lectio iii

In artículo diéi illíus ingréssus est Noë et Sem et Cham et Iapheth fílii eius: uxor illíus et tres uxóres filiórum eius cum eis in arcam: ipsi et omne ánimal secúndum genus suum, universáque iuménta in génere suo, et omne quod movétur super terram in génere suo, cunctúmque volátile secúndum genus suum, univérsæ aves, omnésque vólucres ingréssæ sunt ad Noë in arcam.

℟. iii. Requiévit arca mense séptimo super montes Arméniæ: * Et aquæ ibant et decrescébant usque ad décimum mensem. ℣. Décimo enim mense, primo die mensis, cacúmina móntium apparuérunt. - Et aquæ. - Glória. - Et aquæ.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 7

Factúmque est dilúvium quadragínta diébus super terram: et multiplicátæ sunt aquæ, et elevavérunt arcam in sublíme a terra. Vehemènter enim inundavérunt: et ómnia replevérunt in superfície terræ: porro arca ferebátur super aquas. Et aquæ prævaluérunt nimis super terram: opertíque sunt omnes montes excélsi sub univérso cælo.

℟. i. Volens Noë scire si iam cessássent aquæ, emísit colúmbam: quæ ramum viréntis olívæ in ore suo déferens, * Ad arcam revérsa est. ℣. Déferens autem signum cleméntiæ Dei colúmba in ore suo. - Ad arcam.

Lectio ii

Quíndecim cúbitis áltior fuit aqua super montes, quos operúerat. Consumptáque est omnis caro quæ movebátur super terram, vólucrum, animántium, bestiárum, omniúmque reptílium, quæ reptant super terram: univérsi hómines et cuncta, in quibus spiráculum vitæ est in terra, mórtua sunt.

℟. ii. Ædificávit Noë altáre Dómino, ófferens super illud holocáustum: odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et benedíxit eis dicens: * Créscite et multiplicámini et repléte terram. ℣. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum et cum sémine vestro post vos. - Créscite.

Lectio iii

Et delévit omnem substántiam, quæ erat super terram, ab hómine usque ad pecus, tam réptile quam vólucres cæli: et deléta sunt de terra: remánsit autem solus Noë et qui cum eo erant in arca. Obtinuerúntque aquæ terram centum quinquagínta diébus.

℟. iii. Ponam arcum meum in núbibus cæli, dixit Dóminus ad Noë: * Et recordábor fœderis mei, quod pépigi tecum. ℣. Cumque obdúxero núbibus cælum, apparébit arcus meus in núbibus. - Et recordábor. - Glória. - Et recordábor.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 8

Cumque transíssent quadragínta dies, apériens Noë fenéstram arcæ, quam fécerat, dimísit corvum: qui egrediebátur et non revertebátur, donec siccaréntur aquæ super terram. Emísit quoque colúmbam post eum, ut vidéret si iam cessássent aquæ super fáciem terræ. Quæ, cum non invenísset ubi requiésceret pes eius, revérsa est ad eum in arcam: aquæ enim erant super univérsam terram: extendítque manum et apprehénsam íntulit in arcam.

℟. i. Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus, non adíciam ultra aquas dilúvii super terram: pacti mei recordábor, * Ut non perdam aquis dilúvii omnem carnem. ℣. Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. - Ut non perdam.

Lectio ii

Exspectátis autem ultra septem diébus áliis, rursum dimísit colúmbam ex arca. At illa venit ad eum ad vésperam, portans ramum olívæ virentibus fóliis in ore suo. Intelléxit ergo Noë quod cessássent aquæ super terram. Exspectavítque nihilóminus septem álios dies: et emísit colúmbam, quæ non est revérsa ultra ad eum. Igitur sexcentésimo primo anno, primo mense, prima die mensis imminútæ sunt aquæ super terram.

℟. ii. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum et cum sémine vestro post vos: * Neque erit deínceps dilúvium díssipans terram. ℣. Erit arcus meus in núbibus, et vidébo illum, et recordábor fœderis mei sempitérni. - Neque erit deínceps.

Lectio iii

Et apériens Noë tectum arcæ, aspéxit, vidítque quod exsiccáta esset superfícies terræ. Mense secúndo, séptimo et vigésimo die mensis arefácta est terra. Locútus est autem Deus ad Noë, dicens: Egrédere de arca, tu et uxor tua, fílii tui et uxóres filiórum tuórum tecum: cuncta animántia, quæ sunt apud te, ex omni carne.

℟. iii. Benedícens ergo Deus Noë ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem: * Ad imáginem quippe Dei factus est homo. ℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram: arcum meum ponam in núbibus cæli. - Ad imáginem. - Glória. - Ad imáginem.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 8

Egréssus est ergo Noë et fílii eius: uxor illíus et uxóres filiórum eius cum eo. Sed et ómnia animántia, iuménta et reptília quæ reptant super terram secúndum genus suum egréssa sunt de arca. Ædificávit autem Noë altáre Dómino: et tollens de cunctis pecóribus et volúcribus mundis, óbtulit holocáusta super altáre.

℟. i. Noë, vir iustus atque perféctus, cum Deo ambulávit: * Et fecit ómnia quæcúmque præcépit ei Deus. ℣. Noë autem invénit grátiam ante Dóminum Deum. - Et fecit.

Lectio ii

Odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hómines: sensus enim et cogitátio humáni cordis in malum prona sunt ab adolescéntia sua: non ígitur ultra percútiam omnem ánimam viventem sicut feci. Cunctis diébus terræ, seméntis et messis, frigus et æstus, æstas et hiems, nox et dies non requiéscent.

℟. ii. Quadragínta dies et noctes apérti sunt cæli, et ex omni carne habénte spíritum vitæ * Ingréssi sunt in arcam: et clausit a foris óstium Dóminus. ℣. Noë vero et fílii eius, uxor eius et uxóres filiórum eius. - Ingréssi sunt.

Lectio iii Cap. 9

Benedixítque Deus Noë et fíliis eius. Et dixit ad eos: Créscite et multiplicámini et repléte terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animália terræ et super omnes vólucres cæli, cum univérsis quæ movéntur super terram: omnes pisces maris mánui vestræ tráditi sunt. Et omne, quod movétur et vivit, erit vobis in cibum: quasi ólera viréntia trádidi vobis ómnia. Excépto, quod carnem cum sánguine non comedétis.

℟. iii. Requiévit arca mense séptimo super montes Arméniæ: * Et aquæ ibant et decrescébant usque ad décimum mensem. ℣. Décimo enim mense, primo die mensis, cacúmina móntium apparuérunt. - Et aquæ. - Glória. - Et aquæ.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 9

Dixítque Deus: Hoc signum fœderis quod do inter me et vos, et ad omnem ánimam vivéntem, quæ est vobíscum in generatiónes sempitérnas: Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. Cumque obdúxero núbibus cælum, apparébit arcus meus in núbibus: et recordábor fœderis mei vobíscum, et cum omni ánima vivénte quæ carnem végetat: et non erunt ultra aquæ dilúvii ad deléndum univérsam carnem.

℟. i. Volens Noë scire si iam cessássent aquæ, emísit colúmbam: quæ ramum viréntis olívæ in ore suo déferens, * Ad arcam revérsa est. ℣. Déferens autem signum cleméntiæ Dei colúmba in ore suo. - Ad arcam.

Lectio ii

Erítque arcus in núbibus, et vidébo illum, et recordábor fœderis sempitérni quod pactum est inter Deum et omnem ánimam vivéntem univérsæ carnis quæ est super

terram. Dixítque Deus ad Noë: Hoc erit signum fœderis, quod constítui inter me et omnem carnem super terram. Erant ergo fílii Noë, qui egréssi sunt de arca, Sem, Cham et Iapheth.

℟. ii. Ædificávit Noë altáre Dómino, ófferens super illud holocáustum: odoratúsque est Dóminus odórem suavitátis, et benedíxit eis dicens: * Créscite et multiplicámini et repléte terram. ℣. Ecce ego státuam pactum meum vobíscum et cum sémine vestro post vos. - Créscite.

Lectio iii

Cœpítque Noë vir agrícola exercére terram, et plantávit víneam. Bibénsque vinum inebriátus est, et nudátus in tabernáculo suo. Quod cum vidísset Cham pater Chánaan, verénda scílicet patris sui esse nudáta, nuntiávit duóbus frátribus suis foras. At vero Sem et Iapheth pállium imposuérunt húmeris suis, et incedéntes retrórsum, operuérunt verénda patris sui: faciésque eórum avérsæ erant, et patris virília non vidérunt.

℟. iii. Ponam arcum meum in núbibus cæli, dixit Dóminus ad Noë: * Et recordábor fœderis mei, quod pépigi tecum. ℣. Cumque obdúxero núbibus cælum, apparébit arcus meus in núbibus. - Et recordábor. - Glória. - Et recordábor.

Sabbato

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 11

Erat autem terra lábii uníus et sermónum eorúndem. Cumque proficisceréntur de Oriénte, invenérunt campum in terra Sénnaar et habitavérunt in eo. Dixítque alter ad próximum suum: Veníte, faciámus láteres et coquámus eos igni. Habuerúntque láteres pro saxis et bitúmen pro cæménto: et dixérunt: Veníte, faciámus nobis civitátem et turrim, cuius culmen pertíngat ad cælum: et celebrémus nomen nostrum ántequam dividámur in univérsas terras.

℟. i. Per memetípsum iurávi, dicit Dóminus, non adíciam ultra aquas dilúvii super terram: pacti mei recordábor, * Ut non perdam aquis dilúvii omnem carnem. ℣. Arcum meum ponam in núbibus, et erit signum fœderis inter me et inter terram. - Ut non perdam.

Lectio ii

Descéndit autem Dóminus ut vidéret civitátem et turrim, quam ædificábant fílii Adam, et dixit: Ecce, unus est pópulus et unum lábium ómnibus: cœperúntque hoc fácere, nec desístent a cogitatiónibus suis, donec eas ópere cómpleant. Veníte ígitur, descendámus, et confundámus ibi linguam eórum, ut non áudiat unusquísque vocem próximi sui. Atque ita divísit eos Dóminus ex illo loco in univérsas terras, et cessavérunt ædificáre civitátem. Et idcírco vocátum est nomen eius Babel, quia ibi confúsum est lábium univérsæ terræ: et inde dispérsit eos Dóminus super fáciem cunctárum regiónum. Hæ sunt generatiónes Sem: Sem erat centum annórum quando génuit Arpháxad, biénnio post dilúvium.

℟. ii. Benedícens ergo Deus Noë ait: Nequáquam ultra maledícam terræ propter hóminem: * Ad imáginem quippe Dei factus est homo. ℣. Hoc erit signum fœderis inter me et terram: arcum meum ponam in núbibus cæli. - Ad imáginem.

DOMINICA IN QUINQUAGESIMA

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

℟. Dum staret Abraham ad ílicem Mambre, vidit tres viros ascendéntes per viam: tres vidit * Et unum adorávit. ℣. Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes iuxta eum. - Et unum. - Glória. - Et unum.

Hymnus

O lux beáta Trínitas,
Et principális Unitas,
Iam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.

Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine. ℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Ad Magnif. ant. Quod autem cécidit in terram bonam: hi sunt, qui in corde bono et óptimo verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; atque a peccatórum vínculis absolútos ab omni nos adversitáte custódi. Per.

AD MATUTINUM

Invitatorium et psalmus Veníte, exsultémus ut dominica in Septuagesima 217.

Hymnus Nocte surgéntes 570.

In Nocturno

De libro Génesis

Lectio i Cap. 12

Dixit autem Dóminus ad Abram: Egrédere de terra tua et de cognatióne tua et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstrábo tibi. Faciámque te in gentem magnam, et benedícam tibi, et magnificábo nomen tuum, erísque benedíctus. Benedícam benedicéntibus tibi, et maledícam maledicéntibus tibi, atque in te benedicéntur univérsæ cognatiónes terræ. Egréssus est ítaque Abram sicut præcéperat ei Dóminus, et ivit cum eo Lot.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Abram dicens: Egrédere de terra tua et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrávero tibi: et fáciam te créscere * In gentem magnam. ℣. Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. - In gentem magnam.

Lectio ii

Septuagínta quinque annórum erat Abram cum egrederétur de Haran. Tulítque Sárai uxórem suam et Lot fílium fratris sui, universámque substántiam quam possíderant, et ánimas quas fécerant in Haran: et egréssi sunt ut irent in terram Chánaan. Cumque veníssent in eam, pertransívit Abram terram usque ad locum Sichem, usque ad convállem illústrem: Chananæus autem tunc erat in terra. Appáruit autem Dóminus Abram, et dixit ei: Sémini tuo dabo terram hanc. Qui ædificávit ibi altáre Dómino, qui apparúerat ei. Et inde transgrédiens ad montem, qui erat contra Oriéntem Bethel, teténdit ibi tabernáculum suum, ab Occidénte habens Bethel, et ab Oriénte Hai. Ædificávit quoque ibi altáre

Dómino, et invocávit nomen eius. Perrexítque Abram vadens, et ultra progrédiens ad merídiem.

℟. ii. Dixit autem Dóminus ad Abram: Ego sum, et pactum meum tecum: sanctificétur in vobis omne masculínum: * Et erit signum inter me et semen tuum. ℣. Ex te namque egrediétur, in quo omnes gentes benedicéntur. - Et erit.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 18

In illo témpore: Assúmpsit Iesus duódecim, et ait illis: Ecce ascéndimus Ierosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per prophétas de Fílio hóminis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Hom. 2 in Evang.

Redémptor noster, prævidens ex passióne sua discipulórum ánimos perturbándos, eis longe ante, et eiúsdem passiónis pœnam et resurrectiónis suæ glóriam prædíxit: ut, cum eum moriéntem, sicut prædíctum est, cérnerent; étiam resurrectúrum non dubitárent. Sed quia carnáles adhuc discípuli nullo modo valébant cápere verba mystérii, venítur ad miráculum. Ante eórum óculos cæcus lumen recépit: ut, qui cæléstis mystérii verba non cáperent, eos ad fidem cæléstia facta solidárent.

℟. iii. Deus dómini mei Abraham, dírige viam meam: * Ut cum salúte revértar In domum dómini mei. ℣. Obsecro, Dómine, fac misericórdiam cum servo tuo. - Ut cum salúte. - Glória. - In domum. ℟. Deus dómini mei.

Ante Laudes ℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória eius.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Avérte, Dómine, fáciem tuam a peccátis meis: et omnes iniquitátes meas dele.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, factus est mihi in salútem.

3. In matutínis, Dómine, meditábor in te, quia factus es adiútor meus.

4. Benedicámus Patrem et Fílium in sæcula cum Sancto Spíritu.

5. Iúvenes et vírgines, senes cum iunióribus laudent nomen Dómini.

Capitulum Apoc. 7

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. Dómine, refúgium factus es nobis. ℟. A generatióne et progénie.

Ad Bened. ant. Ecce ascéndimus Ierosólymam, et consummabúntur ómnia quæ scripta sunt de Fílio hóminis. Tradétur enim géntibus et illudétur et flagellábitur et conspuétur: et, postquam flagelláverint, occídent eum, et tértia die resúrget.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; atque a peccatórum vínculis absolútos ab omni nos adversitáte custódi. Per.

AD PRIMAM

Ant. Iter faciénte Iesu, dum appropinquáret Iéricho, cæcus clamábat ad eum, ut lumen recípere mererétur.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Transeúnte Dómino, clamábat cæcus ad eum: Miserére mei, fili David.

Capitulum 1 Ioan. 4

Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Spes mea, Dómine, * A iuventúte mea. ℣. In te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es meus protéctor. A iuventúte mea. Glória. Spes mea.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

AD SEXTAM

Ant. Cæcus sedébat secus viam et clamábat: Miserére mei, fili David.

Capitulum 2 Cor. 13

Grátia Dómini nostri Iesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Esto nobis, Dómine, * Turris fortitúdinis. ℣. A fácie inimíci. Turris. Glória. Esto.

℣. Dóminus regit me, et níhil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

AD NONAM

Ant. Cæcus magis ac magis clamábat, ut eum Dóminus illumináret.

Capitulum 1 Ioan. 5

Tres sunt qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt.

℟. Educ de cárcere ánimam meam, * Ut confiteátur nómini tuo, Dómine. ℣. Périit fuga a me, et non est qui requírat ánimam meam. Ut confiteátur. Glória. Educ.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Dóminus dírigat et hymnus Lucis Creátor óptime 607.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. ant. Stans autem Iesus iussit cæcum addúci ad se, et ait illi: Quid vis ut fáciam tibi? Dómine, ut vídeam. Et Iesus ait illi: Réspice, fides tua te salvum fecit. Et conféstim vidit, et sequebátur illum magníficans Deum.

Feria secunda

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 13

Ascéndit ergo Abram de Ægýpto, ipse et uxor eius, et ómnia quæ habébat, et Lot cum eo ad austrálem plagam. Erat autem dives valde in possessióne auri et argénti. Reversúsque est per iter, quo vénerat, a merídie in Bethel usque ad locum ubi prius fíxerat tabernáculum inter Bethel et Hai: in loco altáris quod fécerat prius, et invocávit ibi nomen Dómini.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Abram dicens: Egrédere de terra tua et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrávero tibi: et fáciam te créscere * In gentem magnam. ℣. Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. - In gentem magnam.

Lectio ii

Sed et Lot, qui erat cum Abram, fuérunt greges óvium et arménta et tabernácula. Nec póterat eos cápere terra, ut habitárent simul: erat quippe substántia eórum multa, et nequíbant habitáre commúniter. Unde et facta est rixa inter pastóres gregum Abram et Lot. Eo autem témpore Chananæus et Pherezæus habitábant in terra illa.

℟. ii. Reverténti Abram a cæde quátuor regum, occúrrit rex Salem Melchísedech, ófferens panem et vinum, erat enim Dei sacérdos: * Et benedíxit illi. ℣. Benedíctus Abram Deo altíssimo, qui creávit cælum et terram. - Et benedíxit illi.

Lectio iii

Dixit ergo Abram ad Lot: Ne, quæso, sit iúrgium inter me et te, et inter pastóres meos et pastóres tuos: fratres enim sumus. Ecce univérsa terra coram te est: recéde a me, óbsecro. Si ad sinístram íeris, ego déxteram tenébo: si tu déxteram elégeris, ego ad sinístram pergam. Elegítque sibi Lot regiónem circa Iordánem, et recéssit ab Oriénte.

℟. iii. Dixit autem Dóminus ad Abram: Ego sum, et pactum meum tecum: sanctificétur in vobis omne masculínum: * Et erit signum inter me et semen tuum. ℣. Ex te namque egrediétur, in quo omnes gentes benedicéntur. - Et erit. - Glória. - Et erit.

Feria II et III quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Tradétur enim géntibus ad illudéndum et flagellándum et crucifigéndum.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; atque a peccatórum vínculis absolútos ab omni nos adversitáte custódi. Per.

Ad Magnif. ant. Omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Génesis

Lectio i Cap. 15

Factus est sermo Dómini ad Abram per visiónem dicens: Noli timére, Abram, ego protéctor tuus sum et merces tua magna nimis. Dixítque Abram: Dómine Deus, quid dabis mihi? Ego vadam absque líberis: et fílius procuratóris domus meæ iste Damáscus Eliézer. Addidítque Abram: Mihi autem non dedísti semen: et ecce vernáculus meus, heres meus erit.

℟. i. Dum staret Abraham ad ílicem Mambre, vidit tres viros ascendéntes per viam: tres vidit * Et unum adorávit. ℣. Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes iuxta eum. - Et unum adorávit.

Lectio ii

Statímque sermo Dómini factus est ad eum, dicens: Non erit hic heres tuus: sed qui egrediétur de útero tuo, ipsum habébis herédem. Eduxítque eum foras, et ait illi: Súspice cælum et númera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Crédidit Abram Deo, et reputátum est illi ad iustítiam.

℟. ii. Clamor, inquit Dóminus, Sodomórum et Gomórrhæ venit ad me: * Descéndam, et vidébo utrum clamórem ópere compléverint. ℣. Abraham stabat coram Deo, et ait: Absit a te, Dómine, ut perdas iustum cum ímpiis. - Descéndam.

Lectio iii

Dictúmque est ad eum: Scito prænóscens quod peregrínum futúrum sit semen tuum in terra non sua, et subícient eos servitúti, et afflígent quadringéntis annis. Verúmtamen gentem, cui servitúri sunt, ego iudicábo: et post hæc egrediéntur cum magna substántia. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepúltus in senectúte bona. Generatióne autem quarta reverténtur huc.

℟. iii. Ascéndens ergo Deus ab Abraham, pluit ignem et sulphur super Sódomam: * Abraham mane consúrgens stetit, et evérsas urbes a longe conspéxit. ℣. Recordátus est Deus Abraham, et liberávit Lot de subversióne Sódomæ. - Abraham. - Glória. - Abraham.

Feria quarta cinerum

I classis

In hac et aliis feriis usque ad Nonam sabbati sequentis inclusive, omnia dicuntur ut in præcedentibus feriis post Septuagesimam, exceptis iis quæ hic habentur propria.

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 6

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum ieiunátis, nolíte fíeri sicut hypócritæ tristes. Et réliqua.

Homília sancti Máximi Epíscopi

Homilia in die Cinerum

Quia nonnullórum est consuetúdo, caríssimi, adveniéntes Quadragésimæ dies devotióre ieiúnio prævenire, necessário præsens Evangélii decúrsa est léctio, in qua Dóminus noster, virtútum spirituálium retribútor, sanctam nobis perfectámque dedit régulam ieiunándi, dicens: Cum ieiunátis, non éritis sicut hypócritæ tristes: extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus ieiunáre. Non enim Deo ieiúnat, sed homínibus, quicúmque ostentatióne ieiúnii sui glóriam requírit humánam.

℟. i. Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum: * Tolle fílium tuum, quem díligis, Isaac: et ófferes illum ibi in holocáustum super unum móntium quem díxero tibi. ℣. Vocátus quoque a Dómino respóndit: Adsum: et ait ei Dóminus. - Tolle.

Lectio ii

Extérminant autem fácies suas qui, mæróre simuláto, religiósum vultum populórum óculis mentiúntur. Non vult enim disciplínæ cæléstis Magíster irreligióse agi quod fíeri pro religióne præcípitur: nec pátitur invocántium se labórem, quibus ætérnam parat mercédem, infructuósæ iactántiæ vítio deperíre. Non éritis, inquit, sicut hypócritæ tristes. Si enim vere mæstus et tristis es quia ieiúnas, nullam tibi ut ingrátus apud Deum grátiam reservábis: quia, quamvis opus fácias bonum, pravitáte tamen degéneris ánimi invítus operáris.

℟. ii. Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens: * Ne exténdas manum tuam super púerum, eo quod tímeas Dóminum. ℣. Cumque extendísset manum, ut immoláret fílium, ecce Angelus Dómini de cælo clamávit, dicens. - Ne exténdas.

Lectio iii

Si autem pro quadam sanctitátis imágine tristítiam símulas, omnem fructum promissiónis divínæ, obséquii tui ostentátor, amíttis. Quod si Deo ieiúnium tuum defers, cur illud homínibus pari tecum conditióne viventibus, vanæ glóriæ sectátor, osténtas? Hanc Apóstolus secútus sententiam dicébat: Nolíte fíeri inánis glóriæ cúpidi. Iináne est enim et vanum, quidquid nullíus pónderis aut virtútis firmitáte consístit. Iináne est, quod cum sæculo prætereúnte defíciens, ad vitam non transit ætérnam.

℟. iii. Deus dómini mei Abraham, dírige viam meam: * Ut cum salúte revértar In domum dómini mei. ℣. Obsecro, Dómine, fac misericórdiam cum servo tuo. - Ut cum salúte. - Glória. - In domum dómini mei.

Ante Laudes ℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

AD LAUDES

Capitulum Ioel. 2

Convertímini ad me in toto corde vestro in ieiúnio et fletu et planctu: et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. Cum ieiunátis, nolíte fíeri sicut hypócritæ tristes.

Oratio

Præsta, Dómine, fidélibus tuis: ut ieiuniórum veneránda solémnia et cóngrua pietáte suscípiant, et secúra devotióne percúrrant. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 6

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum ieiunátis, nolíte fíeri sicut hypócritæ tristes. Tu autem.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 55

Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius: et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

AD NONAM

Capitulum Is. 58

Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris, ait Dóminus omnípotens.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Hodie, finita Nona, fratres in choro prostrati dicunt septem psalmos pœnitentiales, terminando quemlibet per Glória Patri. Exsistentes vero extra chorum ad eos recitandos non tenentur.

AD VESPERAS

Capitulum Ioel. 2

Convertímini ad me in toto corde vestro in ieiúnio et fletu et planctu: et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans orígenem:
Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.
Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Ad Magnif. ant. Thesaurizáte vobis thesáuros in cælo: ubi nec ærúgo nec tínea demolítur.

Oratio

Inclinántes se, Dómine, maiestáti tuæ propitiátus inténde: ut, qui divíno múnere sunt refécti, cæléstibus semper nutriántur auxíliis. Per.

¶ Ordo huius feriæ servetur usque ad Vesperas proximi sabbati exclusive, præter ea quæ propriis locis notantur. Ad Pretiosa vero legitur de Regula.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 8

In illo témpore: Cum introísset Iesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum et dicens: Dómine, puer meus iacet in domo paralýticus et male torquétur. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Lib. 2 de Consensu Evangelistarum cap. 20

Videámus, utrum sibi de hoc servo centuriónis Matthæus Lucásque conséntiant. Matthæus enim dicit: Accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Puer meus iacet in domo paralýticus. Cui vidétur repugnáre, quod ait Lucas: Et cum audísset de Iesu, misit ad eum senióres Iudæórum, rogans eum ut veníret, et sanáret servum eius. At illi cum veníssent ad Iesum, rogábant eum sollícite, dicéntes ei: Quia dignus est ut hoc illi præ-

stes: díligit enim gentem nostram, et synagógam ipse ædificávit nobis.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Abram dicens: Egrédere de terra tua et de cognatióne tua, et veni in terram, quam monstrávero tibi: et fáciam te créscere * In gentem magnam. ℣. Benedícens benedícam tibi, et multiplicábo te. - In gentem magnam.

Lectio ii

Iesus autem ibat cum illis: et cum iam non longe esset a domo, misit ad eum centúrio amícos, dicens: Dómine, noli vexári: non enim dignus sum ut sub tectum meum intres. Si enim hoc ita gestum est, quómodo erit verum quod Matthæus narrat, Accéssit ad eum quidam centúrio, cum ipse non accésserit, sed amícos míserit: nisi diligénter adverténtes intelligámus, Matthæum non omníno deseruísse usitátum morem loquéndi?

℟. ii. Reverténti Abram a cæde quátuor regum, occúrrit rex Salem Melchísedech, ófferens panem et vinum, erat enim Dei sacérdos: * Et benedíxit illi. ℣. Benedíctus Abram Deo altíssimo, qui creávit cælum et terram. - Et benedíxit illi.

Lectio iii

Non ergo absúrde Matthæus, étiam quod vulgo possit intélligi, per álios facto accéssu centuriónis ad Dóminum, compéndio dícere vóluit: Accéssit ad eum centúrio. Verúmtamen non negligénter intuénda est étiam sancti Evangelístæ altitúdo mýsticæ locutiónis, secúndum quam scriptum est in psalmo: Accédite ad eum, et illumináminí. Proínde quia fidem centuriónis, qua vere accéditur ad Iesum, ipse ita laudávit, ut díceret, Non invéni tantam fidem in Israël: ipsum pótius accessísse ad Christum dícere vóluit prudens Evangelísta, quam illos, per quos verba sua míserat.

℟. iii. Dixit autem Dóminus ad Abram: Ego sum, et pactum meum tecum: sanctificétur in vobis omne masculínum: * Et erit signum inter me et semen tuum. ℣. Ex te namque egrediétur, in quo omnes gentes benedicéntur. - Et erit. - Glória. - Et erit.

AD LAUDES

℣. In matutínis.
℟. Quia fuísti.

Ad Bened. ant. Dómine, puer meus iacet paralýticus in domo et male torquétur. Amen dico tibi, ego véniam et curábo eum.

Oratio

Deus, qui culpa offénderis, pæniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per.

AD VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus.

Oratio

Parce, Dómine, parce pópulo tuo: ut, dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comm. in cap. 5 et 6 Matth.

Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos. Multi præcépta Dei, imbecillitáte sua, non sanctórum víribus æstimántes, putant esse impossibília quæ præcépta sunt: et dicunt suffícere virtútibus, non odísse inimícos: céterum dilígere, plus præcípi, quam humána natúra patiátur. Sciéndum est ergo, Christum non impossibília præcípere, sed perfécta. Quæ fecit David in Saul, et in Absalom.

℟. i. Dum staret Abraham ad ílicem Mambre, vidit tres viros ascendéntes per viam: tres vidit * Et unum adorávit. ℣. Cumque elevásset óculos, apparuérunt ei tres viri stantes iuxta eum. - Et unum adorávit.

Lectio ii

Stéphanus quoque martyr pro inimícis lapidántibus deprecátus est: et Paulus anáthema cupit esse pro persecutóribus suis. Hæc autem Iesus et dócuit et fecit, dicens: Pater, ignósce illis, quod enim fáciunt, né-

sciunt. Ut sitis fílii Patris vestri, qui in cælis est. Si Dei præcépta custódiens, fílius quis effícitur Dei: ergo non est natúra fílius, sed arbítrio suo. Cum ergo facis eleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ fáciunt in synagógis et in vicis, ut honorificéntur ab homínibus.

℟. ii. Clamor, inquit Dóminus, Sodomórum et Gomórrhæ venit ad me: * Descéndam, et vidébo utrum clamórem ópere compléverint. ℣. Abraham stabat coram Deo, et ait: Absit a te, Dómine, ut perdas iustum cum ímpiis. - Descéndam.

Lectio iii

Qui tuba canit eleemósynam fáciens, hypócrita est. Qui ieiúnans demolítur fáciem suam, ut ventris inanitátem monstret in vultu, et hic hypócrita est. Qui in synagógis, et in ángulis plateárum orat, ut videátur ab homínibus, hypócrita est. Ex quibus ómnibus collígitur hypócritas esse, qui quódlibet fáciunt ut ab homínibus glorificéntur. Mihi vidétur et ille, qui dicit fratri suo, Dimítte, ut tollam festúcam de óculo tuo: nam propter glóriam hoc fácere vidétur, ut ipse iustus esse videátur.

℟. iii. Ascéndens ergo Deus ab Abraham, pluit ignem et sulphur super Sódomam: * Abraham mane consúrgens stetit, et evérsas urbes a longe conspéxit. ℣. Recordátus est Deus Abraham, et liberávit Lot de subversióne Sódomæ. - Abraham. - Glória. - Abraham.

AD LAUDES

℣. In matutínis.
℟. Quia fuísti.

Ad Bened. ant. Cum facis eleemósynam, nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua.

Oratio

Inchoáta ieiúnia, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquere: ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus. Per.

AD VESPERAS

℣. Dirigátur, Dómine.
℟. Sicut incénsum.

Ad Magnif. ant. Tu autem cum oráveris, intra in cubículum tuum, et clauso óstio ora Patrem tuum.

Oratio

Tuére, Dómine, pópulum tuum, et ab ómnibus peccátis cleménter emúnda: quia nulla ei nocébit advérsitas, si nulla ei dominétur iníquitas. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio i Cap. 6

In illo témpore: Cum sero esset, erat navis in médio mari, et Iesus solus in terra. Et vidit discípulos suos laboránte in remigándo. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 2 cap. 28 in c. 6 Marci

Labor discipulórum in remigándo, et contrárius eis ventus, labóres sanctæ Ecclésiæ vários designat, quæ inter undas sæculi adversántis, et immundórum flatus spirítuum, ad quiétem pátriæ cæléstis, quasi ad fidam lítoris statiónem, pervenire conátur. Ubi bene dícitur quia navis erat in médio mari, et ipse solus in terra: quia nonnúnquam Ecclésia tantis Gentílium pressúris non solum afflícta, sed et fœdáta est, ut (si fíeri posset) Redémptor ipsíus eam prorsus deseruísse ad tempus viderétur.

℟. i. Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum: * Tolle fílium tuum, quem díligis, Isaac: et ófferes illum ibi in holocáustum super unum móntium quem díxero tibi. ℣. Vocátus quoque a Dómino respóndit: Adsum: et ait ei Dóminus. - Tolle.

Lectio ii

Unde est illa vox eius inter undas procellásque tentatiónum irruéntium deprehénsæ, atque auxílium protectiónis illíus gemebúndo clamóre quæréntis: Ut quid, Dómine, recessísti longe, déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne? Quæ páriter vocem inimíci persequéntis expónit, in sequéntibus psalmi subíciens: Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus, avértit fáciem suam ne vídeat usque in finem.

℟. ii. Angelus Dómini vocávit Abraham, dicens: * Ne exténdas manum tuam super púerum, eo quod tímeas Dóminum. ℣. Cumque extendísset manum, ut immoláret fílium, ecce Angelus Dómini de cælo clamávit, dicens. - Ne exténdas.

Lectio iii

Verum ille non oblíviscitur oratiónem páuperum, neque avértit fá-

ciem suam a sperántibus in se; quin pótius et certántes cum hóstibus, ut vincant, ádiuvat, et victóres in ætérnum corónat. Unde hic quoque apérte dícitur, quia vidit eos laborántes in remigándo. Videt quippe Dóminus laborántes in mari, quamvis ipse pósitus sit in terra: quia etsi ad horam differre videátur auxílium tribulátis impéndere, nihilóminus eos, ne in tribulatiónibus defíciant, suæ respéctu pietátis corróborat.

℟. iii. Deus Dómini mei Abraham, dírige viam meam: * Ut cum salúte revértar In domum dómini mei. ℣. Obsecro, Dómine, fac misericórdiam cum servo tuo. - Ut cum salúte. - Glória. - In domum.

AD LAUDES

℣. In matutínis.
℟. Quia fuísti.

Ad Bened. ant. Quare ieiunávimus, et non aspexísti: humiliávimus ánimas nostras, et nescísti?

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris; et concéde ut hoc solémne ieiúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus. Per.

Dominica I in Quadragesima

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

℟. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pœniténtiæ, et invenire non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. - Atténde. - Glória. - Atténde.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.

Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis
Confer medélam lánguidis.

Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnif. ant. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: in his ergo diébus exhibeámus nos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in vigíliis, in ieiúniis et in caritáte non ficta.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam ánnua quadragesimáli observatióne purificas, præsta famíliæ tuæ: ut, quod a te obtinére abstinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exsequátur. Per.

AD COMPLETORIUM

℟. In pace, hymnus Christe, qui lux es et ad Nunc dimittis ant. Evigila, ut in Ordinario 566.

AD MATUTINUM

Invit. Non sit vobis vanum mane súrgere ante lucem: * Quia promísit Dóminus corónam vigilántibus.

Hymnus Summi largítor 570.

In Nocturno

Antiphonæ et psalmi de dominica cum versículo de tempore Quadragesimæ, ut in Psalterio; quæ dicuntur etiam in reliquis dominicis Quadragesimæ.

De Ioéle Prophéta

Lectio i Cap. 2

Cánite tuba in Sion, sanctificáte ieiúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiam, coadunáte senes, congregáte párvulos et sugéntes úbera: egrediátur sponsus de cubíli suo et sponsa de thálamo suo. Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, et dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo, et ne des hereditátem tuam in oppróbrium, ut dominéntur eis natiónes. Quare dicunt in pópulis: Ubi est Deus eórum? Zelátus est Dóminus terram suam, et

pepércit pópulo suo. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, * Per arma iustítiæ virtútis Dei. ℣. In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia. - Per arma.

De Isaía Prophéta

Lectio ii Cap. 58

Nolíte ieiunáre sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excélso clamor vester. Numquid tale est ieiúnium quod elégi, per diem afflígere hóminem ánimam suam? Numquid contorquére quasi círculum caput suum, et saccum et cinerem stérnere? Numquid istud vocábis ieiúnium et diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est magis ieiúnium quod elégi? dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes, dimítte eos qui confrácti sunt líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et inveníre non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. - Atténde.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 4

In illo témpore: Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo. Et, cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 16 in Evang.

Dubitári a quibúsdam solet, a quo spíritu ductus sit Iesus in desértum, propter hoc, quod súbditur: Assúmpsit eum diábolus in sanctam civitátem: et rursum: Assúmpsit eum in montem excélsum valde. Sed vere, et absque ulla quæstióne conveniénter accípitur, ut a Sancto Spíritu in desértum ductus credátur; ut illuc eum suus Spíritus dúceret, ubi hunc ad tentándum malígnus inveníret.

℟. iii. Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo: * Et accédens tentátor dixit ei: Si Fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. ℣. Et, cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. - Et accédens. - Glória. - Si Fílius Dei es. ℟. Ductus est Iesus.

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Cor mundum crea in me, Deus: et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre.

3. Sic benedícam te in vita mea, Dómine: et in nómine tuo levábo manus meas.

4. In spíritu humilitátis et in ánimo contríto suscipiámur, Dómine, a te: et sic fiat sacrifícium nostrum, ut a te suscipiátur hódie, et pláceat tibi, Dómine Deus.

5. Laudáte Deum, cæli cælórum et aquæ omnes.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

Hymnus

Iam, Christe, sol iustítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.
Da tempus acceptábile,
Et pœnítens cor tríbue:
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.
Quiddámque pæniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Maióre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.
Dies venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia:
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.
Te rerum univérsitas,
Clemens, adóret, Trínitas:
Et nos, novi per véniam,
Novum canámus cánticum. Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas eius. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Bened. ant. Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo: et, cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam ánnua quadragesimáli observatióne purífícas, præsta famíliæ tuæ: ut, quod a te obtinére abstinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exsequátur. Per.

AD PRIMAM

Ant. Iesus autem cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procédit de ore Dei.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

℟. Partícipem me fac, Deus, ómnium timéntium te * Et custodiéntium mandáta tua. ℣. Aspice in me et miserére mei secúndum iudícium diligéntium nomen tuum. Et custodiéntium. Glória. Partícipem.

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

AD SEXTAM

Ant. Tunc assúmpsit eum diábolus in sanctam civitátem, et státuit eum supra pinnáculum templi et dixit ei: Si fílius Dei es, mitte te deórsum.

Capitulum 2 Cor. 6

Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

℟. Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * Ut custódiam mandáta tua, Dómine. ℣. A iudíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. Ut custódiam. Glória. Ab omni.

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

AD NONAM

Ant. Vade, sátana; non tentábis Dóminum Deum tuum.

Capitulum 2 Cor. 6

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

℟. Sépties in die laudem dixi tibi, Dómine Deus meus: * Ne perdas me. ℣. Errávi sicut ovis quæ perírerat: requíre servum tuum Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Ne perdas me. Glória. Sépties.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Hortámur, hymnus Audi, benígne et ℣. Angelis suis 608.

Ad Magnif. ant. Relíquit eum tentátor: et accessérunt Angeli, et ministrábant ei.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ

AD MATUTINUM

Invitatorium de feria currenti, ut in Psalterio.

Hymnus

Summi largítor prémii,
Spes qui es única mundi,
Preces inténde servórum
Ad te devóte clamántium.

Nostra te consciéntia
Grave offendísse monstrat:
Quam emúndes, supplicámus,
Ab ómnibus piáculis.

Si rénuis, quis tríbuet?
Indúlge, quia potens es:
Te corde rogáre mundo
Fac nos, precámur, Dómine.

Ergo nunc accépta nostrum,
Qui sacrásti ieiúnium:
Quo mýstice paschália
Capiámus sacraménta.

Summa nobis hoc cónferat
In Deitáte Trínitas,
In qua gloriátur unus
Per cuncta sæcula Deus.
Amen.

Antiphonæ et psalmi de feria, cum ℣. de tempore Quadragesimæ, ut in Psalterio.

Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD LAUDES

Psalmi de feria, 2 loco, sub suis antiphonis, ut in Psalterio.

Capitulum Ioel. 2

Convertímini ad me in toto corde vestro in

ieiúnio et fletu et planctu: et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus

Iam, Christe, sol iustítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.
Da tempus acceptábile,
Et pœnítens cor tríbue:
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.
Quiddámque pœniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Maióre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.
Dies venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia:
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.
Te rerum univérsitas,
Clemens, adóret, Trínitas:
Et nos, novi per véniam,
Novum canámus cánticum. Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas eius. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Bened. antiphona propria.

Dicuntur preces.

Oratio propria.

Ad Pretiosa legendum est de Regula.

Ad Horas super psalmos feriæ currentis antiphonæ de tempore Quadragesimæ, ut in Psalterio.

AD PRIMAM

Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

AD TERTIAM

Ant. Advenérunt nobis dies pœniténtiæ, ad rediménda peccáta, et salvándas ánimas.

Capitulum Ioël. 2

Convertímini ad me in toto corde vestro in ieiúnio et fletu et planctu: et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Infra I et II hebdomadam:

℟. Partícipem me fac, Deus, ómnium timéntium te * Et custodiéntium mandáta tua. ℣. Aspice in me et miserére mei secúndum iudícium diligéntium nomen tuum. Et. Glória. Partícipem.

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

Infra III et IV hebdomadam:

℟. Bonum mihi, Dómine, quod humiliásti me: * Bonum mihi lex oris tui super míllia auri et argénti. ℣. Manus tuæ fecérunt me et plasmavérunt me: da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua. Bonum mihi lex oris tui. Glória. Bonum mihi, Dómine, quod.

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

Dicuntur preces.

Oratio Laudum.

AD SEXTAM

Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Capitulum Is. 55

Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur eius: et ad Deum nostrum, quóniam multus est ad ignoscéndum.

Infra I et II hebdomadam:

℟. Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * Ut custódiam mándata tua, Dómine. ℣. A iudíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. Ut custódiam. Glória. Ab omni.

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Infra III et IV hebdomadam:

℟. Servus tuus ego sum: * Da mihi intelléctum, Dómine. ℣. Ut discam mandáta tua. Da mihi. Glória. Servus.

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Dicuntur preces.

Oratio Laudum.

AD NONAM

Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Capitulum Is. 58

Frange esuriénti panem tuum, et egénos vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris, ait Dóminus omnípotens.

Infra I et II hebdomadam:

℟. Sépties in die laudem dixi tibi, Dómine Deus meus: * Ne perdas me. ℣. Errávi sicut ovis quæ perierat: requíre servum tuum, Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Ne perdas me. Glória. Sépties.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

Infra III et IV hebdomadam:

℟. Declára super nos, Deus, * Tuam misericórdiam. ℣. Declarátio sermónum tuórum dat intel-

léctum, Dómine. Tuam misericórdiam. Glória. Declára super nos, Deus, tuam misericórdiam.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

Dicuntur preces.
Oratio Laudum.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi ut in Psalterio.

Capitulum Ioël. 2

Convertímini ad me in toto corde vestro in ieiúnio et fletu et planctu: et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, ait Dóminus omnípotens.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.

Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis
Confer medélam lánguidis.

Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnif. antiphona propria.
Dicuntur preces.
Oratio propria.

AD COMPLETORIUM

Antiphona et psalmi de feria.
Reliqua ut in Ordinario 563, cum variationibus ibidem 566 pro tempore Quadragesimæ notatis.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum vénerit Fílius hóminis in maiestáte sua et omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super sedem maiestátis suæ: et congregabúntur ante eum omnes gentes. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Lib. de fide et operibus, cap. 15

Si mandátis non servátis ad vitam veníri potest per solam fidem, quæ sine opéribus mórtua est: illud deínde quómodo verum erit, quod eis, quos ad sinístram positúrus est, dicet: Ite in ignem ætérnum, qui parátus est diábolo, et ángelis eius? Nec íncrepat, quia in eum non credidérunt; sed quia bona ópera non fecérunt. Nam proptérea omnes gentes segregatúrum se dixit, quæ permíxtæ eísdem páscuis utebántur: ut appáreat, eos illi dictúros: Dómine, quando te vídimus illa et illa patiéntem, et non ministrávimus tibi? qui in eum credíderant, sed bona operári non curáverant: tamquam de ipsa fide mórtua ad vitam pervenirétur ætérnam.

℟. i. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, * Per arma iustítiæ virtútis Dei. ℣. In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia. - Per arma.

Lectio ii

An forte ibunt in ignem ætérnum, qui ópera misericórdiæ non fecérunt: et non ibunt, qui aliéna rapuérunt? vel corrumpéndo in se templum Dei, in se ipsos immisericórdes fuérunt? Quasi ópera misericórdiæ prosint áliquid sine dilectióne, dicénte Apóstolo: Si distríbuam ómnia mea paupéribus, caritátem autem non hábeam, nihil mihi prodest. Aut díligat quisquam próximum sicut seípsum, qui non díligit seípsum? Qui enim díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

℟. ii. In ómnibus exhibeámus nos sicut Dei minístros in multa patiéntia: * Ut non vituperétur ministérium nostrum. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem. - Ut non vituperétur.

Lectio iii

Neque illud dici hic póterit, in quo nonnúlli seípsos sedúcunt, ignem ætérnum dictum, non ipsam combustiónem ætérnam. Per ignem quippe, qui ætérnus erit, transitúros arbitrántur eos, quibus propter fidem mórtuam per ignem promíttunt salútem: ut vidélicet ipse ignis ætérnus sit, combústio vero eórum, hoc est, operátio ignis, non sit in eos ætérna: cum et hoc prævidens Dó-

minus, senténtiam suam conclúsit, ita dicens: Sic ibunt illi in combustiónem ætérnam, iusti autem in vitam ætérnam.

℟. iii. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et invenire non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. - Atténde. - Glória. - Atténde.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi.

Oratio

Convérte nos, Deus, salutáris noster: et, ut nobis ieiúnium quadragesimále profíciat, mentes nostras cæléstibus ínstrue disciplínis. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis, dicit Dóminus.

Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, nostrórum víncula peccatórum; et, quidquid pro eis merémur, propitiátus avérte. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 21

In illo témpore: Cum intrásset Iesus Ierosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic? Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Hom. 7 in Quadrag.

Quod maledicéndo ficum infructuósam per figúram fecit Dóminus, hoc idem mox apértius osténdit, eiciéndo improbos de templo. Neque enim áliquid peccávit arbor, quod esuriénte Dómino poma non hábuit, quorum necdum tempus advénerat: sed peccavére sacerdótes, qui in domo Dómini negótia sæculária gerébant, et fructum pietátis, quem debúerant, quemque in eis Dóminus esuriébat, ferre supersédérant.

℟. i. Paradísi portas apériat nobis ieiúnii tempus: suscipiámus illud oránte et deprecántes, * Ut in die resurrectiónis cum Dómino gloriémur. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patiéntia. - Ut in die.

Lectio ii

Arefécit Dóminus árborem maledícto, ut hómines hoc vidéntes, sive audiéntes, multo magis intellígerent se divíno condemnándos esse iudício, si absque óperum fructu, de plausu tantum sibi religiósi sermónis, velut de sónitu et teguménto viridántium blandiréntur foliórum. Verum quia non intellexérunt, in ipsos consequénter districtiónem méritæ ultiónis exércuit: et eiécit commércia rerum humanárum de domo illa, in qua divínas tantum res agi, hóstias et oratiónes Deo offérri, verbum Dei legi, audíri, et decantári præcéptum erat.

℟. ii. Scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra: * Et convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus et miséricors est. ℣. Revertímini unusquísque a via sua mala et a péssimis cogitatiónibus vestris. - Et convertímini.

Lectio iii

Et quidem credéndum est, quia ea tantum vendi vel emi repérerit in templo, quæ ad ministérium necessária essent eiúsdem templi, iuxta hoc, quod álias factum légimus, cum idem templum ingrédiens, invénit in eo vendéntes et eméntes oves, et boves, et colúmbas: quia nimírum hæc ómnia, nonnísi ut offerréntur in domo Dómini, eos, qui de longe vénerant, ab indígenis comparáre credéndum est. Si ergo Dóminus nec ea volébat venúmdari in templo, quæ in templo volébat offérri, vidélicet propter stúdium avarítiæ, sive fraudis, quod próprium solet esse negotiántium fácinus; quanta putas animadversióne puníret, si invenísset ibi áliquos rísui vel vanilóquio vacántes, aut álii cuílibet vítio mancipátos?

℟. iii. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperis, et ipsa orábit pro vobis ad Dóminum: * Quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum. ℣. Date eleemósynam, dicit Dó-

minus: et ecce ómnia munda sunt vobis. - Quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum. - Glória. - Quia.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Intrávit Iesus in templum Dei, et eiciébat omnes vendéntes et eméntes: et mensas nummulariórum et cáthedras vendéntium colúmbas evértit.

Oratio

Réspice, Dómine, famíliam tuam: et præsta ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Scriptum est enim quia domus mea domus oratiónis est cunctis géntibus: vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat quotídie docens in templo.

Oratio

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ; et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam. Per.

Feria quarta
Quatuor Temporum
AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 12

In illo témpore: Respondérunt Iesu quidam de scribis et pharisæis dicéntes: Magíster, vólumus a te signum vidére. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi
Lib. 7 in Luc. cap. 11

Iudæórum plebe damnáta, Ecclésiæ mystérium evidénter exprímitur, quæ in Ninivítis per pæniténtiam, et in regína Austri per stúdium percipiéndæ sapiéntiæ, de totíus orbis fínibus congregátur, ut pacífici Salomónis verba cognóscat. Regína plane, cuius regnum est indivísum, de divérsis et distántibus pópulis in unum corpus assúrgens.

℟. i. In ieiúnio et fletu orábunt sacerdótes, dicéntes: * Parce, Dómine, parce pópulo tuo: et ne des hereditátem tuam in perditiónem. ℣. Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes, dicéntes. - Parce.

Lectio ii

Itaque sacraméntum illud magnum est de Christo et Ecclésia: sed tamen hoc maius est, quia illud in figúra ante præcéssit, nunc autem plenum in veritáte mystérium est. Ex duóbus ígitur constat Ecclésia: ut aut peccáre nésciat, aut peccáre désinat. Pæniténtia enim delíctum ábolet, sapiéntia cavet.

℟. ii. Tribulárer, si nescírem misericórdias tuas, Dómine. Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat: * Qui Chananæam et publicánum vocásti ad pæniténtiam. ℣. Et Petrum lacrimántem suscepísti, miséricors Dómine. - Qui Chananæam.

Lectio iii

Céterum Ionæ signum, ut typus Domínicæ passiónis, ita étiam grávium, quæ Iudæi commíserant, testificátio peccatórum est. Simul advértere licet, et maiestátis oráculum, et pietátis indícium. Namque Ninivitárum exémplo et denuntiátur supplícium, et remédium demonstrátur. Unde étiam Iudæi debent non desperáre indulgéntiam, si velint ágere pæniténtiam.

℟. iii. Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo: * Et accédens tentátor dixit ei: Si Fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. ℣. Et, cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. - Et accédens. - Glória. - Si Fílius.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Generátio hæc prava et pervérsa signum quærit: et signum non dábitur ei, nisi signum Ionæ prophétæ.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi; et contra cuncta nobis adversántia déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus et tribus nóctibus, ita erit Fílius hóminis in corde terræ.

Oratio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra; ut vidére possímus quæ agénda sunt, et quæ recta sunt ágere valeámus. Per.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 15

In illo témpore: Egréssus Iesus secéssit in partes Tyri et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 2 Comm. in c. 15 Matth.

Scribis et pharisæis calumniatóribus derelíctis, transgréditur in partes Tyri et Sidónis, ut Týrios Sidoniósque curáret. Múlier autem Chananæa egréditur de fínibus prístinis, ut clamans fíliæ ímpetret sanitátem. Obsérva quod in quintodécimo loco fília Chananæ sanétur. Miserére mei, Dómine, fili David. Inde novit vocáre fílium David, quia egréssa iam fúerat de fínibus suis, et errórem Tyriórum ac Sidoniórum loci ac fídei commutatióne dimíserat.

℟. i. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, * Per arma iustítiæ virtútis Dei. ℣. In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia. - Per arma.

Lectio ii

Fília mea male a dæmónio vexátur. Ego fíliam Chananæ puto ánimas esse credéntium, quæ male a dæmónio vexabántur, ignoránte Creatórem, et adoránte lápidem. Qui non respóndit ei verbum. Non de supérbia pharisáica, nec de scribárum supercílio: sed ne ipse senténtiæ suæ viderétur esse contrárius, per quam iússerat: In viam Géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis.

℟. ii. In ómnibus exhibeámus nos sicut Dei minístros in multa patiéntia: * Ut non vituperétur ministérium nostrum. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem. - Ut non.

Lectio iii

Nolébat enim occasiónem calumniatóribus dare: perfectámque salútem Géntium Passiónis et Resurrectiónis témpori reservábat. Et accedéntes discípuli eius rogábant eum dicéntes: Dimítte eam: quia clamat post nos. Discípuli illo adhuc témpore mystéria Dómini nesciéntes, vel misericórdia commóti, rogábant pro Chananæa muliere, quam alter Evangelísta Syrophœníssam appéllat.

℟. iii. Emendémus in mélius quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis quærámus spátium pæniténtiæ, et invenire non possímus: * Atténde, Dómine, et miserére, quia peccávimus tibi. ℣. Peccávimus cum pátribus nostris: iniúste égimus, iniquitátem fécimus. - Atténde. - Glória. - Atténde.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Egréssus Iesus secéssit in partes Tyri et Sidónis: et ecce múlier Chananæa a fínibus illis egréssa clamábat dicens: Miserére mei, fili David.

Oratio

Devotiónem pópuli tui, quæsumus, Dómine, benígnus inténde: ut, qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. O múlier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petísti.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulis christiánis et quæ profiténtur agnóscere; et cæléste munus dilígere, quod frequéntant. Per.

Feria sexta

Quatuor Temporum

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 5

In illo témpore: Erat dies festus Iudæórum, et ascéndit Iesus Ierosólymam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 17 in Ioan. post init.

Videámus quid vóluit significáre in illo uno, quem étiam ipse, servans unitátis mystérium, de tot languéntibus unum sanáre dignátus est. Invénit in annis eius número quemdam languóris. Trigínta et octo annos habébat in infirmitáte. Hic número quómodo magis ad languórem pertíneat quam ad sanitátem, paulo diligéntius exponéndum est. Inténtos vos volo: áderit Dóminus, ut cón-

grue loquar, et sufficiénter audiátis.

℟. i. Paradísi portas apériat nobis ieiúnii tempus: suscipiámus illud oántes et deprecántes, * Ut in die resurrectiónis cum Dómino gloriémur. ℣. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: commendémus nosmetípsos in multa patiéntia. - Ut in die.

Lectio ii

Quadragenárius númerus sacrátus nobis in quadam perfectióne commendátur. Notum esse árbitror caritáti vestræ: testántur sæpíssime divínæ Scriptúræ: ieiúnium hoc número consecrátum esse bene nostis. Sive ergo in Lege, sive in Prophétis, sive in Evangélio quadragenárius númerus nobis in ieiúnio commendátur. Ieiúnium autem magnum et generále est abstinére ab iniquitátibus. Cáritas implet Legem: ad plenitúdinem Legis in ómnibus opéribus pértinet quadragenárius númerus.

℟. ii. Scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra: * Et convertímini ad Dóminum Deum vestrum, quia benígnus et miséricors est. ℣. Revertímini unusquísque a via sua mala et a péssimis cogitatiónibus vestris. - Et convertímini.

Lectio iii

In caritáte autem duo præcépta nobis commendántur: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex tota mente tua: et, Díliges próximum tuum sicut teípsum. In his duóbus præcéptis tota Lex pendet, et Prophétæ. Si ergo quadragenárius númerus habet perfectiónem Legis, et Lex non implétur nisi in gémino præcépto caritátis: quid miráris quia languébat, qui ad quadragínta, duo minus habébat?

℟. iii. Abscóndite eleemósynam in sinu páuperis, et ipsa orábit pro vobis ad Dóminum: * Quia sicut aqua exstínguit ignem, ita eleemósyna exstínguit peccátum. ℣. Date eleemósynam, dicit Dóminus: et ecce ómnia munda sunt vobis. - Quia. - Glória. - Quia.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Angelus Dómini descendébat de cælo, et movebátur aqua, et sanabátur unus.

Oratio

Esto, Dómine, propítius plebi tuæ: et, quam tibi facis esse devótam, benígno réfove miserátus auxílio. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Qui me sanum fecit, ille mihi præcépit: Tolle grabátum tuum, et ámbula in pace.

Oratio

Exáudi nos, miséricors Deus, et méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde. Per.

Sabbato

Quatuor Temporum

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 17

In illo témpore: Assúmpsit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem fratrem eius, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ

Homil. de Transfig. Domini

Evangélica léctio, dilectíssimi, quæ per aures córporis interiórem méntium nostrárum pulsávit audítum, ad magni sacraménti nos intelligéntiam vocat: quam, aspiránte grátia Dei, facílius assequémur, si consideratiónem nostram ad ea, quæ paulo supérius sunt narráta, referámus. Salvátor enim humáni géneris Iesus Christus, condens eam fidem, quæ et ímpios ad iustítiam, et mórtuos révocat ad vitam, ad hoc discípulos suos doctrínæ mónitis et óperum miráculis imbuébat, ut idem Christus, et Unigénitus Dei, et hóminis Fílius crederétur.

℟. i. In ieiúnio et fletu orábunt sacerdótes, dicéntes: * Parce, Dómine, parce pópulo tuo: et ne des hereditátem tuam in perditiónem. ℣. Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes, dicéntes. - Parce.

Lectio ii

Nam unum horum sine áltero non próderat ad salútem: et æquális erat perículi, Dóminum Iesum Christum, aut Deum tantúmmodo sine hómine, aut sine Deo solum hóminem credidísse; cum utrúmque esset páriter confiténdum: quia sicut Deo vera humánitas, ita hómini ínerat vera di-

vínitas. Ad confirmándam ergo huius fídei salubérrimam cognitiónem interrogáverat discípulos suos Dóminus, inter divérsas aliórum opiniónes quid ipsi de eo créderent, quidve sentírent.

℟. ii. Tribulárer, si nescírem misericórdias tuas, Dómine. Tu dixísti: Nolo mortem peccatóris, sed ut convertátur et vivat: * Qui Chananæam et publicánum vocásti ad pæniténtiam. ℣. Et Petrum lacrimántem suscepísti, miséricors Dómine. - Qui Chananæam.

Lectio iii

Ubi Petrus Apóstolus, per revelatiónem summi Patris corpórea súperans, et humána transcéndens, vidit mentis óculis Fílium Dei vivi, et conféssus est glóriam Deitátis: quia non ad solam respéxit substántiam carnis et sánguinis. Tantúmque in hac fídei sublimitáte complácuit, ut beatitúdinis felicitáte donátus, sacram inviolábilis petræ accíperet firmitátem: super quam fundáta Ecclésia, portis ínferi et mortis légibus prævaléret: nec in solvéndis aut ligándis quorumcúmque causis, áliud ratum esset in cælis quam quod Petri sedísset arbítrio.

℟. iii. Ductus est Iesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo: * Et accédens tentátor dixit ei: Si Fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. ℣. Et, cum ieiunásset quadragínta diébus et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. - Et accédens. - Glória. - Si Fílius.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Assúmpsit Iesus discípulos suos, et ascéndit in montem: et transfigurátus est ante eos.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice; atque ab eo flagélla tuæ iracúndiæ cleménter avérte. Per.

DOMINICA II IN QUADRAGESIMA

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

℟. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ abundántiam: sérviant tibi tribus et pópuli: * Esto dóminus fratrum tuórum. ℣. Et incurvéntur ante te fílii matris tuæ. - Esto. - Glória. - Esto.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.
Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.
Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis
Confer medélam lánguidis.
Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.
Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnif. ant. Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

Oratio

Deus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui, intérius exteriúsque custódi: ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Quóniam Deus magnus Dóminus, * Et Rex magnus super omnes deos.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Quóniam Deus magnus Dóminus, Et Rex magnus super omnes deos.

Quo dicto sequitur:

℣. Quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Et Rex magnus super omnes deos.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino qui fecit nos, quia ipse est Dóminus

Deus noster: nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius.

Quóniam Deus magnus Dóminus, Et Rex magnus super omnes deos.

℣. Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Et Rex magnus super omnes deos.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Quóniam Deus magnus Dóminus, Et Rex magnus super omnes deos.

℣. Glória Patri. Sicut erat.

Et Rex magnus super omnes deos.

Quóniam Deus magnus Dóminus, Et Rex magnus super omnes deos.

Hymnus Summi largitor 570.

In Nocturno

De libro Génesis

Lectio i Cap. 27

Sénuit autem Isaac, et caligavérunt óculi eius, et vidére non póterat: vocavítque Esau fílium suum maiórem, et dixit ei: Fili mi? Qui respóndit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quod senúerim, et ignórem diem mortis meæ. Sume arma tua, pháretram et arcum, et egrédere foras: cumque venátu áliquid apprehénderis, fac mihi inde pulméntum sicut velle me nosti, et affer ut cómedam: et benedícat tibi ánima mea ántequam móriar.

℟. i. Tolle arma tua, pháretram et arcum, et affer de venatióne tua, ut cómedam: * Et benedícat tibi ánima mea. ℣. Cumque venátu áliquid attúleris, fac mihi inde pulméntum, ut cómedam. - Et benedícat.

Lectio ii

Quod cum audísset Rebécca, et ille abiísset in agrum ut iussiónem patris impléret, dixit fílio suo Iacob: Audívi patrem tuum loquéntem cum Esau fratre tuo, et dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos ut cómedam, et benedícam tibi coram Dómino ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiésce consíliis meis: et pergens ad gregem, affer mihi duos hædos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter véscitur: quas cum intúleris, et coméderit, benedícat tibi priúsquam moriátur. Cui ille respóndit: Nosti quod Esau frater meus homo pilósus sit, et ego lenis: si attrectáverit me pater meus, et sénserit, tímeo ne putet me sibi voluísse illúdere, et indúcam super me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledíctio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. Abiit, et áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, sicut velle nóverat patrem illíus. Et véstibus Esau valde bonis, quas apud se habébat domi, índuit eum.

℟. ii. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ abundántiam: sérviant tibi tribus et pópuli: * Esto dóminus fratrum tuórum. ℣. Et incurvéntur ante te fílii matris tuæ. - Esto dóminus.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 17

In illo témpore: Assúmpsit Iesus Petrum et Iacóbum et Ioánnem fratrem eius, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et réliqua.

Homília sancti Leónis Papæ

Homilia de Transfigur.

Assúmpsit Iesus Petrum et Iacóbum et fratrem eius Ioánnem; et, conscénso cum eis seórsum monte præcélso, claritátem suæ glóriæ demonstrávit: quia, licet intellexíssent in eo maiestátem Dei, ipsíus tamen córporis, quo divínitas tegebátur, poténtiam nesciébant. Et ídeo próprie signantérque promíserat, quosdam de astántibus discípulis non prius gustáre mortem, quam vidérent Fílium hóminis veniéntem in regno suo, id est, in régia claritáte, quam spiritáliter ad natúram suscépti hóminis pertinéntem, his tribus viris vóluit esse conspícuam.

℟. iii. Orávit Iacob et dixit: Dómine, qui dixísti mihi, Revértere in terram nativitátis tuæ: * Erue me de manu fratris mei, quia valde eum tímeo. ℣. Deus, in cuius conspéctu ambulavérunt patres nostri, Dómine, qui pascis me a iuventúte mea. - Erue me. - Glória. - Erue me. ℟. Orávit Iacob.

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Dómine, lábia mea apéries: et os meum annuntiábit laudem tuam.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Déxtera Dómini fecit virtútem: déxtera Dómini exaltávit me.

3. Factus est adiútor meus Deus meus.

4. Trium puerórum cantémus hymnum: quem cantábant in camíno ignis, benedicéntes Dóminum.

5. Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi: præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

Hymnus

Iam, Christe, sol iustítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.
Da tempus acceptábile,
Et pœnitens cor tríbue:
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.
Quiddámque pœniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Maióre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.
Dies venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia:
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.
Te rerum univérsitas,
Clemens, adóret, Trínitas:
Et nos, novi per véniam,
Novum canámus cánticum. Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas eius. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Bened. ant. Assúmpsit Iesus discípulos suos, et ascéndit in montem: et transfigurátus est ante eos.

Oratio

Deus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui, intérius exteriúsque custódi: ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per.

AD PRIMAM

Ant. Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Partícipem me fac, Deus, ómnium timéntium te * Et custodiéntium mandáta tua. ℣. Aspice in me et miserére mei secúndum iudícium diligéntium nomen tuum. Et custodiéntium. Glória. Partícipem me fac, Deus. ℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

AD SEXTAM

Ant. Faciámus hic tria tabernácula: tibi unum, Móysi unum et Elíæ unum.

Capitulum 2 Cor. 6

Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

℟. Ab omni via mala prohíbui pedes meos, * Ut custódiam mandáta tua, Dómine. ℣. A iudíciis tuis non declinávi, quia tu legem posuísti mihi. Ut custódiam. Glória. Ab omni.

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

AD NONAM

Ant. Visiónem, quam vidístis, némini dixéritis, donec a mórtuis resúrgat Fílius hóminis.

Capitulum 2 Cor. 6

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

℟. Sépties in die laudem dixi tibi, Dómine Deus meus: * Ne perdas me. ℣. Errávi sicut ovis quæ períerat: requíre servum tuum, Dómine, quia mandáta tua non sum oblítus. Ne perdas me. Glória. Sépties in die.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Hortámur, hymnus Audi, benígne et ℣. Angelis suis 608.

Ad Magnif. ant. Visiónem, quam vidístis, némini dixéritis, donec a mórtuis resúrgat Fílius hóminis.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 8

In illo témpore: Dixit Iesus turbis Iudæórum: Ego vado, et quærétis me, et in peccáto vestro moriémini. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 38 in Ioann. post init.

Locútus est Dóminus Iudæis, dicens: Ego vado. Christo enim Dómino mors profectio fuit illo, unde vénerat. Ego, inquit, vado, et quærétis me: non desidério, sed ódio. Nam illum, posteáquam discéssit ab óculis hóminum, inquisiérunt et qui óderant et qui amábant: illi persequéndo, isti habére cupiéndo. In psalmis ait ipse Dóminus per Prophétam: Périit fuga a me, et non est qui requírat ánimam meam. Et íterum in álio psalmo: Confundántur et revereántur requiréntes ánimam meam.

℟. i. Tolle arma tua, pháretram et arcum, et affer de venatióne tua, ut cómedam: * Et benedícat tibi ánima mea. ℣. Cumque venátu áliquid attúleris, fac mihi inde pulméntum, ut cómedam. - Et benedícat.

Lectio ii

Culpávit qui non requírerent: damnávit requiréntes. Bonum est enim quærere ánimam Christi, sed quo modo eam quæsiérunt discípuli: et malum est quærere ánimam Christi, sed quo modo eam Iudæi quæsiérunt: illi enim ut habérent, isti ut pérderent. Dénique istis, quia sic quærébant more malo, corde pervérso, quod séquitur adiúnxit: Quærétis me: et ne putétis quia bene me quærétis, in peccáto vestro moriémini.

℟. ii. Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus: créscere te fáciat Deus meus sicut arénam maris: * Et donet tibi de rore cæli benedictiónem. ℣. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus: et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. - Et donet tibi.

Lectio iii

Hoc est Christum male quærere, in peccáto suo mori: hoc est illum odísse, per quem possit solum salvus esse. Cum enim hómines, quorum spes in Deo est, non débeant mala réddere, nec pro malis: reddébant isti mala pro bonis. Prænuntiávit ergo illis Dóminus, dixítque sententiam præscius, quod in suo peccáto moreréntur. Deinde adiúnxit: Quo ego vado, vos non potéstis veníre. Hoc et discípulis suis álio loco dixit: nec tamen eis dixit, In peccáto vestro moriémini.

℟. iii. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ abundántiam: sérviant tibi tribus et pópuli: * Esto dóminus fratrum tuórum. ℣. Et incurvéntur ante te fílii matris tuæ. - Esto dóminus. - Glória. - Esto.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Ego princípium, qui et loquor vobis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut família tua, quæ se, affligéndo carnem, ab alimentis ábstinet; sectándo iustítiam a culpa ieiúnet. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Qui me misit, mecum est et non relíquit me solum: quia quæ plácita sunt ei, fácio semper.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus effectum. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 23

In illo témpore: Locútus est Iesus ad turbas et ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et pharisæi. Omnia ergo quæcúmque díxerint vobis, serváte et fácite: secúndum ópera vero eórum nolíte fácere. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 4 Comm. in cap. 23 Matth.

Quid mansuétius, quid benígnius Dómino? Tentátur a pharisæis, confringúntur insídiæ eórum, et secúndum psalmístam, Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: et nihilóminus propter sacerdótii et nóminis dignitátem hortátur pópulos ut subi-

ciántur eis, non ópera, sed doctrínam considerántes. Quod autem ait, Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et pharisæi: per cáthedram, doctrínam Legis osténdit.

℟. i. Quis ígitur ille est qui dudum captam venatiónem áttulit mihi, et comédi ex ómnibus priúsquam tu veníres? * Benedixíque ei, et erit benedíctus. ℣. Dóminum tuum illum constítui, et omnes fratres eius servitúti illíus subiugávi. - Benedixíque ei.

Lectio ii

Ergo et illud, quod dícitur in psalmo, In cáthedra pestiléntiæ non sedit: et, Cáthedras vendéntium colúmbas evértit: doctrínam debémus accípere. Alligant enim ónera grávia et importabília, et impónunt in húmeros hóminum: dígito autem suo nolunt ea movére. Hoc generáliter advérsus omnes magístros dictum est, qui grávia iubent et minóra non fáciunt.

℟. ii. Dum exíret Iacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait: Quam terríbilis est locus iste! * Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciébam. - Non est hic.

Lectio iii

Dilátant enim phylactéria sua et magnificant fímbrias. Dóminus, cum dedísset mandáta Legis per Móysen, ad extrémum íntulit: Ligábis ea in manu tua, et erunt immóta ante óculos tuos. Et est sensus: Præcépta mea sint in manu tua, ut ópere compleántur: sint ante óculos tuos, ut die ac nocte meditéris in eis. Hoc pharisæi male interpretántes, scribébant in membránis decálogum Móysi, id est, decem verba Legis complicántes ea et ligántes in fronte, et quasi corónam cápiti faciéntes, ut semper ante óculos moveréntur.

℟. iii. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodíerit me, et déderit mihi panem ad edéndum et vestiméntum quo opériar, et revocáverit me cum salúte: * Erit mihi Dóminus in refúgium, Et lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo mane Iacob, tulit lápidem et eréxit in títulum, fundénsque óleum désuper, ait. - Erit mihi. - Glória. - Et lapis.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Unus est enim Magíster vester, qui in cælis est, dicit Dóminus.

Oratio

Pérfice, quæsumus, Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium: ut, quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te operánte impleámus. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Qui maior est vestrum, erit miníster vester: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur, dicit Dóminus.

Oratio

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris: et animárum nostrárum medére languóribus; ut, remissióne percépta, in tua semper benedictióne lætémur. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 20

In illo témpore: Ascéndens Iesus Ierosólymam, assúmpsit duódecim discípulos secréto et ait illis: Ecce ascéndimus Ierosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum et scribis, et condemnábunt eum morte. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 de fide ad Gratianum, cap. 2

Consideráte, quæ mater filiórum Zebedæi cum fíliis et pro fíliis petat. Mater est útique, cui pro filiórum honóre sollícitæ, immoderátior quidem, sed tamen ignoscénda mensúra votórum est. Atque mater ætáte longæva, stúdio religiósa, solátio destitúta: quæ tunc témporis, quando vel iuvánda vel alénda foret válidæ prolis auxílio, abésse sibi líberos patiebátur, et voluptáti suæ mercédem sequéntium Christum prætúlerat filiórum.

℟. i. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste, quem eréxi in títulum, vocábitur domus Dei: et de univérsis, quæ déderis mihi, * Décimas et hóstias pacíficas ófferam tibi. ℣. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodíerit me. - Décimas.

Lectio ii

Hæc ígitur, stúdio matérnæ sedulitátis indulgéntior, obsecrábat Salvatórem, dicens: Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam et alter ad sinístram in regno tuo. Etsi error, pietátis tamen error est. Nésciunt enim matérna víscera patiéntiam. Etsi voti avára, tamen veniábilis cupíditas, quæ non pecúniæ est ávida, sed grátiæ. Nec inverecúnda petítio, quæ non sibi, sed líberis consulébat. Matrem consideráte, matrem cogitáte.

℟. ii. Dixit Angelus ad Iacob: Dimítte me, auróra est. Respóndit ei: Non dimíttam te, nisi benedíxeris mihi. * Et benedíxit ei in eódem loco. ℣. Nequáquam vocáberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum. - Et benedíxit.

Lectio iii

Considerábat Christus matris dilectiónem, quæ filiórum mercéde grandævam solabátur senéctam, et desidériis licet fessa matérnis, carissimórum pignorum tolerábat abséntiam. Consideráte étiam féminam, hoc est, sexum fragiliórem, quem Dóminus própria nondum confirmáverat passióne. Consideráte, inquam, Hevæ illíus primæ mulíeris herédem, transfúsa in omnes immoderátæ cupiditátis successióne labéntem: quam Dóminus adhuc próprio sánguine non redémerat. Hereditário ígitur múlier delinquébat erróre.

℟. iii. Orávit Iacob et dixit: Dómine, qui dixísti mihi, Revértere in terram nativitátis tuæ: * Erue me de manu fratris mei, quia valde eum tímeo. ℣. Deus, in cuius conspéctu ambulavérunt patres nostri, Dómine qui pascis me a iuventúte mea. - Erue me. - Glória. - Erue me.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Ecce ascéndimus Ierosólymam, et Fílius hóminis tradétur ad crucifigéndum.

Oratio

Pópulum tuum, quæsumus, Dómine, propítius réspice: et, quos ab escis carnálibus præcípis abstinére, a nóxiis quoque vítiis cessáre concéde. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Sedére autem mecum non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo.

Oratio

Deus, innocéntiæ restitútor et amátor, dírige ad te tuórum corda servórum: ut, spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles et in ópere efficáces. Per.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpura et bysso: et epulabátur quotídie spléndide. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 40 in Evang.

Quem, fratres caríssimi, quem dives iste, qui induebátur púrpura et bysso, et epulabátur quotídie spléndide, nisi Iudáicum pópulum significat: qui cultum vitæ extérius hábuit, qui accéptæ Legis delíciis ad nitórem usus est, non ad utilitátem? Quem vero Lázarus ulcéribus plenus, nisi gentílem pópulum figuráliter éxprimit? Qui dum convérsus ad Deum peccáta confitéri sua non erúbuit, huic vulnus in cute fuit.

℟. i. Tolle arma tua, pháretram et arcum, et affer de venatióne tua, ut cómedam: * Et benedícat tibi ánima mea. ℣. Cumque venátu áliquid attúleris, fac mihi inde pulméntum, ut cómedam. - Et benedícat.

Lectio ii

In cutis quippe vúlnere virus a viscéribus tráhitur et foras erúmpit. Quid est ergo peccatórum confessio, nisi quædam vúlnerum rúptio? Quia peccáti virus salúbriter aperítur in confessióne, quod pestífere latébat in mente. Vúlnera étenim cutis in superfíciem trahunt humórem putrédinis. Et confiténdo peccáta, quid áliud ágimus, nisi malum, quod in nobis latébat, aperímus?

℟. ii. Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus: créscere te fáciat Deus meus sicut arénam maris: * Et donet tibi de rore cæli benedictiónem. ℣. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus: et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. - Et donet.

Lectio iii

Sed Lázarus vulnerátus cupiébat saturári de micis, quæ cadébant de mensa dívitis, et nemo illi dabat: quia gentílium quemque ad cognitiónem Legis admíttere supérbus ille pópulus despiciébat. Qui dum doctrínam Legis non ad caritátem hábuit, sed ad elatiónem; quasi de accéptis ópibus túmuit: et quia ei verba defluébant de sciéntia, quasi micæ cadébant de mensa.

℟. iii. Det tibi Deus de rore cæli et de pinguédine terræ abundántiam: sérviant tibi tribus et pópuli: * Esto dóminus fratrum tuórum. ℣. Et incurvéntur ante te fílii matris tuæ. - Esto. - Glória. - Esto.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Pater Abraham, miserére mei, et mitte Lázarum ut intíngat extrémum dígiti sui in aquam, ut refrígeret linguam meam.

Oratio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ: ut, ieiúniis et oratiónibus conveniénter inténti, liberémur ab hóstibus mentis et córporis. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Fili, recordáre quia recepísti bona in vita tua, et Lázarus simíliter mala.

Oratio

Adésto, Dómine, fámulis tuis, et perpétuam benignitátem largíre poscéntibus: ut iis, qui te auctóre et gubernatóre gloriántur, et congregáta restáures, et restauráta consérves. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 21

In illo témpore: Dixit Iesus turbis Iudæórum et princípibus sacerdótum parábolam hanc: Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam, et sepem circúmdedit ei. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 9 in cap. 20 Lucæ

Plerique várias significatiónes de víneæ appellatióne derívant: sed evidénter Isaías víneam Dómini Sábaoth, domum Israël esse memorávit. Hanc víneam quis álius, nisi Deus, cóndidit? Hic est ergo, qui eam locávit colónis et ipse péregre fuit: non quia ex loco ad locum proféctus est Dóminus, qui ubíque semper præsens est; sed quia est præséntior diligéntibus, negligéntibus abest.

℟. i. Quis ígitur ille est qui dudum captam venatiónem áttulit mihi, et comédi ex ómnibus priúsquam tu veníres? * Benedixíque ei, et erit benedíctus. ℣. Dóminum tuum illum constítui, et omnes fratres eius servitúti illíus subiugávi. - Benedixíque ei.

Lectio ii

Multis autem tempóribus ábfuit, ne præpropera viderétur exáctio. Nam quo indulgéntior liberálitas, eo inexcusabílior pervicácia. Unde bene secúndum Matthæum habes, quia et sepe circúmdedit eam: hoc est, divínæ custódiæ munitióne vallávit, ne fácile spiritálium patéret incúrsibus bestiárum. Et fodit in ea tórcular. Quómodo intellígimus quid sit tórcular, nisi quia forte psalmi pro torculáribus inscribúntur; eo quod in his mystéria domínicæ passiónis, modo musti Sancto fervéntis Spíritu, redundántius æstuáverint?

℟. ii. Dum exíret Iacob de terra sua, vidit glóriam Dei, et ait: Quam terríbilis est locus iste! * Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Vere Deus est in loco isto, et ego nesciébam. - Non est.

Lectio iii

Dénique ébrii putabántur, quibus Spíritus Sanctus inundábat. Ergo et hic fodit tórcular, in quod uvæ rationábilis fructus intérior spirituáli infusióne defluéret. Ædificávit turrim, vérticem scílicet Legis attóllens: atque ita hanc víneam munítam, instrúctam, ornátam locávit Iudæis. Et témpore frúctuum sérvulos suos misit. Bene tempus frúctuum pósuit, non proventum. Nullus enim fructus éxstitit Iudæórum, nullus víneæ huius proventus, de qua Dóminus ait: Exspectávi ut fáceret uvas: fecit autem spinas.

℟. iii. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodíerit me, et déderit mihi panem ad edéndum et vestiméntum

quo opériar, et revocáverit me cum salúte: * Erit mihi Dóminus in refúgium, Et lapis iste in signum. ℣. Surgens ergo mane Iacob, tulit lápidem et eréxit in títulum, fundénsque óleum désuper, ait. - Erit mihi. - Glória. - Et lapis iste in signum.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Malos male perdet, et víneam suam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus suis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, sacro nos purificánte ieiúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias pervenire. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Quæréntes eum tenére, timuérunt turbam: quia sicut prophétam eum habébant.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis: ut, bonis opéribus inhæréndo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne deféndi. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 15

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis et scribis parábolam istam: Homo quidam hábuit duos fílios: et dixit adolescéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 7 Comm. in c. 15 Lucæ post init.

Vides quod divínum patrimónium peténtibus datur. Nec putes culpam patris, quod adolescentióri dedit. Nulla Dei regno infírma ætas: nec fides gravátur annis. Ipse certe se iudicávit idóneum, qui popóscit. Atque útinam non recessísset a patre! Impediméntum nescísset ætátis. Sed posteáquam domum pátriam derelínquens, péregre proféctus est, cœpit egére.

℟. i. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste, quem eréxi in títulum, vocábitur domus Dei: et de univérsis, quæ déderis mihi, * Décimas et hóstias pacíficas ófferam tibi. ℣. Si Dóminus Deus meus fúerit mecum in via ista, per quam ego ámbulo, et custodíerit me. - Décimas.

Lectio ii

Mérito ergo prodégit patrimónium, qui recéssit ab Ecclésia. Et péregre proféctus est in regiónem longínquam. Quid enim longínquius, quam a se recédere, nec regiónibus, sed móribus separári; stúdiis discrétum esse, non terris; et quasi interfúso luxúriæ sæculáris æstu, divórtia habére sanctórum? Etenim qui se a Christo séparat, exsul est pátriæ, civis est mundi. Sed nos non sumus ádvenæ atque peregríni; sed cives sumus sanctórum et doméstici Dei. Qui enim erámus longe, facti sumus prope in sánguine Christi.

℟. ii. Dixit Angelus ad Iacob: Dimítte me, auróra est. Respóndit ei: Non dimíttam te, nisi benedíxeris mihi. * Et benedíxit ei in eódem loco. ℣. Nequáquam vocáberis Iacob, sed Israël erit nomen tuum. - Et benedíxit.

Lectio iii

Non invideámus de longínqua regióne remeántibus: quia et nos fúimus in regióne longínqua, sicut Isaías docet, dicens: Qui sedébant in regióne umbræ mortis, lux orta est illis. Régio ergo longínqua, umbra est mortis. Nos autem, quibus spíritus ante fáciem Christus est Dóminus, in umbra vívimus Christi. Et ídeo dicit Ecclésia: In umbra eius concupívi et sedi. Ille ígitur, vivéndo luxurióse, consúmpsit ómnia ornaménta natúræ.

℟. iii. Orávit Iacob et dixit: Dómine, qui dixísti mihi, Revértere in terram nativitátis tuæ: * Erue me de manu fratris mei, quia valde eum tímeo. ℣. Deus, in cuius conspéctu ambulavérunt patres nostri, Dómine qui pascis me a iuventúte mea. - Erue me. - Glória. - Erue me.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Vadam ad Patrem meum et dicam ei: Pater, fac me sicut unum ex mercenáriis tuis.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, nostris efféctum ieiúniis salutárem; ut castigátio carnis assúmpta ad nostrárum vegetatiónem tránseat animárum. Per.

DOMINICA III IN QUADRAGESIMA

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te. ℟. Loquens Ioseph frátribus suis dixit: * Pax vobis, nolíte timére: Pro salúte enim vestra misit me Dóminus ante vos. ℣. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægýpti omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis. - Pax vobis. - Glória. - Pro salúte.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.
Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.
Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis
Confer medélam lánguidis.
Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.
Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera. Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnif. ant. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proférte stolam primam et indúite illum, et date ánulum in manu eius et calceaménta in pédibus eius.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice; atque ad defensiónem nostram déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

AD COMPLETORIUM

Ad Nunc dimittis ant. Média vita in morte sumus: quem quærimus adiutórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proícias nos in témpore senectútis; cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. Sancte Deus, sancte fortis...

Hæc antiphona ante canticum dicitur sine versu et resumptione, post autem canticum cum versu et resumptione.

AD MATUTINUM

Invit. Plorémus coram Dómino Deo nostro, * Qui fecit nos.

Hymnus Summi largítor 570.

In Nocturno

De libro Génesis

Lectio i Cap. 37

Ioseph, cum sédecim esset annórum, pascébat gregem cum frátribus suis adhuc puer: et erat cum fíliis Balæ et Zelphæ uxórum patris sui: accusavítque fratres suos apud patrem crímine péssimo. Israël autem diligébat Ioseph super omnes fílios suos, eo quod in senectúte genuísset eum: fecítque ei túnicam polýmitam. Vidéntes autem fratres eius quod a patre plus cunctis fíliis amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui.

℟. i. Vidéntes Ioseph a longe, loquebántur mútuo fratres, dicéntes: Ecce somniátor venit: * Veníte, occidámus eum, et videámus si prosint illi sómnia sua. ℣. Cumque vidíssent Ioseph fratres sui, quod a patre cunctis frátribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui: unde et dicébant. - Veníte.

Lectio ii

Accidit quoque ut visum sómnium referret frátribus suis: quæ causa maióris ódii seminárium fuit. Dixítque ad eos: Audíte sómnium meum quod vidi: putábam nos ligáre manípulos in agro: et quasi consúrgere manípulum meum, et stare, vestrósque manípulos circumstántes adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres eius: Numquid rex noster eris? aut subiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum, invídiæ et ódii fómitem ministrávit. Aliud quoque vidit sómnium, quod narrans frátribus, ait: Vidi per sómnium quasi solem, et lunam, et stellas úndecim adoráre me. Quod cum patri suo et frátribus retulísset, increpávit eum pater suus, et dixit: Quid sibi vult hoc sómnium quod vidísti? Num ego et mater tua et fratres tui adorábimus te super terram? Invidébant ei ígitur fratres sui: pater vero rem tácitus considerábat.

℟. ii. Videns Iacob vestiménta Ioseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit: * Fera péssima devorávit fílium meum Ioseph. ℣. Congregátis

autem cunctis líberis eius ut delinírent dolórem patris, nóluit eos audíre, sed dixit. - Fera péssima devorávit fílium meum Ioseph.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio iii Cap. 11

In illo témpore: Erat Iesus eíciens dæmónium, et illud erat mutum. Et, cum eiecísset dæmónium, locútus est mutus, et admirátæ sunt turbæ. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 4 in Luc., cap. 11

Dæmoníacus iste apud Matthæum non solum mutus, sed et cæcus fuísse narrátur: curatúsque dícitur a Dómino, ita ut loquerétur et vidéret. Tria ergo signa simul in uno hómine perpetráta sunt: cæcus videt, mutus lóquitur, possédsus a dæmone liberátur. Quod et tunc quidem carnáliter factum est, sed et quotídie complétur in conversióne credéntium: ut, expúlso primum dæmone, fídei lumen aspíciant: deínde ad laudes Dei tacéntia prius ora laxéntur.

℟. iii. Loquens Ioseph frátribus suis dixit: * Pax vobis, nolíte timére: Pro salúte enim vestra misit me Dóminus ante vos. ℣. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægýptii omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis. - Pax vobis. - Glória. - Pro salúte. ℟. Loquens Ioseph.

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Fac benígne in bona voluntáte tua, ut ædificéntur, Dómine, muri Ierúsalem.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Dóminus mihi adiútor est: non timébo quid fáciat mihi homo.

3. Adhæsit ánima mea post te, Deus meus.

4. Vim virtútis suæ oblítus est ignis, ut púeri tui liberaréntur illæsi.

5. Sol et luna, laudáte Deum, quia exaltátum est nomen eius solíus.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

Hymnus

Iam, Christe, sol iustítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.
Da tempus acceptábile,
Et pœnítens cor tríbue:
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.
Quiddámque pæniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Maióre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.
Dies venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia:
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.
Te rerum univérsitas,
Clemens, adóret, Trínitas:
Et nos, novi per véniam,
Novum canámus cánticum. Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas eius. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Bened. ant. Et cum eiecísset dæmónium, locútus est mutus, et admirátæ sunt turbæ.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice; atque ad defensiónem nostram déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

AD PRIMAM

Ant. Si in dígito Dei eício dæmónia, profécto pervénit in vos regnum Dei.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. Dum fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ómnia quæ póssidet.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Bonum mihi, Dómine, quod humiliásti me: * Bonum mihi lex oris tui super míllia auri et argénti. ℣. Manus tuæ fecérunt me et plasmavérunt me: da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua. Bonum mihi lex oris tui. Glória. Bonum mihi, Dómine, quod.

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

AD SEXTAM

Ant. Qui non cólligit mecum, dispérgit: et qui non est mecum, contra me est.

Capitulum 2 Cor. 6

Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

℟. Servus tuus ego sum: * Da mihi intelléctum, Dómine. ℣. Ut discam

mandáta tua. Da mihi intelléctum, Dómine. Glória. Servus tuus ego sum. ℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice; atque ad defensiónem nostram déxteram tuæ maiestátis exténde. Per.

AD NONAM

Ant. Cum immúndus spíritus exíerit ab hómine, ámbulat per loca inaquósa, quærens réquiem, et non invenit.

Capitulum 2 Cor. 6

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in iciúniis multis, per arma iustítiæ.

℟. Declára super nos, Deus, * Tuam misericórdiam. ℣. Declarátio sermónum tuórum dat intelléctum, Dómine. Tuam misericórdiam. Glória. Declára.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604. Capitulum Hortámur, hymnus Audi, benígne et ℣. Angelis suis 608.

Ad Magnif. ant. Extóllens quædam múlier vocem de turba dixit: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At Iesus dixit ei: Quinímmo beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt illud.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 4

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis: Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: Médice, cura teípsum: quanta audívimus facta in Caphárnaum, fac et hic in pátria tua. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 4 in cap. 4 Lucæ

Non mediocris invídia próditur, quæ cívicæ caritátis oblíta, in acérba ódia causas amóris infléctit. Simul hoc exémplo páriter et oráculo declarátur, quod frustra opem misericórdiæ cæléstis exspéctes, si aliénæ frúctibus virtútis invídeas. Aspernátor enim Dóminus invidórum est; et ab iis, qui divína benefícia in

áliis persequúntur, mirácula suæ potestátis avértit.

℟. i. Vidéntes Ioseph a longe, loquebántur mútuo fratres, dicéntes: Ecce somniátor venit: * Veníte, occidámus eum, et videámus si prosint illi sómnia sua. ℣. Cumque vidíssent Ioseph fratres sui, quod a patre cunctis frátribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui: unde et dicébant. - Veníte.

Lectio ii

Domínicæ quippe carnis actus, divinitátis exémplum est: et invisibília nobis eius, per ea quæ sunt visibília, demonstrántur. Non otióse ítaque Salvátor excúsat, quod nulla in pátria sua mirácula virtútis operátus sit: ne fortássis áliquis viliórem pátriæ nobis esse debére putáret afféctum. Neque enim cives póterat non amáre, qui amáret omnes: sed ipsi se caritáte pátriæ, dum ínvident, abdicárunt.

℟. ii. Dixit Iudas frátribus suis: Ecce Ismaëlítæ tránseunt: veníte, venumdétur, et manus nostræ non polluántur: * Caro enim et frater noster est. ℣. Quid enim prodest, si occidérimus fratrem nostrum et celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius est enim ut venumdétur. - Caro enim.

Lectio iii

Et multi leprósi erant in Iudæa tempóribus Eliséi prophétæ: et nemo eórum mundátus est, nisi Náaman Syrus. Evidénter hic sermo nos Dómini salutáris infórmat, et ad stúdium venerándæ divinitátis hortátur: quod nemo sanátus osténditur et maculósi morbo córporis absolútus, nisi qui religióso offício stúduit sanitáti. Non enim dormiéntibus divína benefícia, sed observántibus deferúntur.

℟. iii. Videns Iacob vestiménta Ioseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit: * Fera péssima devorávit Fílium meum Ioseph. ℣. Congregátis autem cunctis líberis eius ut delinírent dolórem patris, nóluit eos audíre, sed dixit. - Fera péssima devorávit. - Glória. - Fílium meum Ioseph.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Amen dico vobis, quia nemo prophéta accéptus est in pátria sua.

Oratio

Córdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: ut, sicut ab escis carnálibus abstinémus; ita sensus quoque nostros a nóxiis retrahámus excéssibus. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Iesus autem, tránsiens per médium illórum, ibat.

Oratio

Subvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 18

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te et ipsum solum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 16 de verbis Dom.

Quare illum córripis? Quia tu doles, quod peccáverit in te? Absit. Si amóre tui id facis, nihil facis: si amóre illíus facis, óptime facis. Dénique in ipsis verbis atténde, cuius amóre id fácere débeas, utrum tui, an illíus. Si te audíerit, inquit, lucrátus es fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucréris illum. Sic faciéndo lucráris: nisi fecísses, períerat. Quid est ergo, quod pleríque hómines ista peccáta contémnunt, et dicunt, Quid magnum feci? In hóminem peccávi. Noli contémnere, quod in hóminem peccásti.

℟. i. Ioseph, dum intráret in terram Ægýpti, linguam, quam non nóverat, audívit: * Manus eius in labóribus serviérunt, et lingua eius inter príncipes loquebátur sapiéntiam. ℣. Divértit ab onéribus dorsum eius. - Manus eius.

Lectio ii

Vis nosse, quia in hóminem peccándo perísti? Si te ille, in quem peccásti, corripúerit inter te et ipsum solum, et audíeris illum, lucrátus est te. Quid est, Lucrátus est te, nisi quia períeras, si non lucrarétur te? Nam si non períeras, quómodo te lucrátus est? Nemo ergo

contémnat, quando peccat in fratrem. Ait enim in quodam loco Apóstolus: Sic autem peccántes in fratres et percutiéntes consciéntiam eórum infírmam, in Christum peccátis; ídeo quia membra Christi omnes facti sumus.

℟. ii. Meménto mei, dum bene tibi fúerit: * Ut súggeras Pharaóni ut edúcat me de isto cárcere: quia furtim sublátus sum et hic ínnocens in lacum missus sum. ℣. Tres enim adhuc dies sunt post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et restítuet te in gradum prístinum: tunc meménto mei. - Ut súggeras.

Lectio iii

Quómodo non peccas in Christum, qui peccas in membrum Christi? Nemo ergo dicat, Quia non peccávi in Deum, sed peccávi in fratrem: in hóminem peccávi; leve vel nullum peccátum est. Forte inde dicis, Leve est, quia cito curátur. Peccásti in fratrem: fac satis, et sanátus es. Cito fecísti rem mortíferam, sed remédium cito invenísti.

℟. iii. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis, Nolíte peccáre in púerum: et non audístis me? * En sanguis eius exquíritur. ℣. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus. - En sanguis. - Glória. - En sanguis.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Si duo ex vobis consénserint super terram de omni re quamcúmque petíerint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est, dicit Dóminus.

Oratio

Exáudi nos, omnípotens et misércors Deus; et continéntiæ salutáris propítius nobis dona concéde. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Ubi duo vel tres congregáti fúerint in nómine meo, in médio eórum sum, dicit Dóminus.

Oratio

Tua nos, Dómine, protectióne defénde; et ab omni semper iniquitáte custódi. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 15

In illo témpore: Accessérunt ad Iesum ab Ierosólymis scribæ et pharisæi, dicéntes: Quare discípuli tui transgrediúntur traditiónes seniórum? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 2 Comm. in c. 15 Matth.

Mira pharisæórum scribarúmque stultítia. Dei Fílium árguunt, quare discípuli eius hóminum traditiónes et præcépta non servent. Non enim lavant manus suas, cum panem mandúcant. Manus, id est ópera, non córporis útique sed ánimæ, lavándæ sunt, ut fiat in illis verbum Dei. Ipse autem respóndens, ait illis: Quare et vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram? Falsam calúmniam vera responsióne confútat.

℟. i. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus: * Idcírco venit super nos tribulátio. ℣. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolíte peccáre in púerum: et non audístis me? - Idcírco.

Lectio ii

Cum, inquit, vos propter traditiónem hóminum præcépta Dómini negligátis; quare discípulos meos arguéndos putátis, quod seniórum iussa parvipéndant, ut Dei scita custódiant? Nam Deus dixit: Honóra patrem et matrem, et, Qui maledíxerit patri vel matri, morte moriátur. Vos autem dícitis: Quicúmque díxerit patri aut matri, Munus quodcúmque est ex me, tibi próderit: et non honorificábit patrem suum aut matrem suam. Honor in Scriptúris non tantum in salutatiónibus et offíciis deferéndis, quantum in eleemósynis ac múnerum oblatióne sentítur.

℟. ii. Tóllite hinc vobíscum múnera et ite ad dóminum terræ; et, dum invenéritis, adoráte eum super terram: * Deus autem meus fáciat vobis eum placábilem: et remíttat et hunc fratrem vestrum vobíscum et eum quem tenet in vínculis. ℣. Súmite de óptimis terræ frúgibus in vasis vestris, et deférte viro múnera. - Deus autem.

Lectio iii

Honóra, inquit Apóstolus, víduas, quæ vere víduæ sunt. Hic honor donum intellígitur. Et in álio loco: Presbýteri dúplici honóre honorándi sunt, máxime qui labórant in verbo et doctrína Dei. Et per hoc mandátum iubémur bovi trituránti os non cláudere: et dignus sit operárius mercéde sua. Præcéperat Dóminus, vel imbecillitátes vel ætátes vel penúrias paréntum considerans, ut fílii honorárent, étiam in vitæ necessáriis ministrándis, paréntes suos.

℟. iii. Loquens Ioseph frátribus suis dixit: * Pax vobis, nolíte timére: Pro salúte enim vestra misit me Dóminus ante vos. ℣. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægýptii omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis. - Pax vobis. - Glória. - Pro salúte.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Audíte, et intellígite traditiónes, quas Dóminus dedit vobis.

Oratio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: ut, salutáribus ieiúniis erudíti, a nóxiis quoque vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Non lotis mánibus manducáre non coínquinat hóminem.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus; liberáti a malis ómnibus secúra tibi mente serviámus. Per.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 4

In illo témpore: Surgens Iesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 4 in c. 4 Lucæ prope finem

Vide cleméntiam Dómini Salvatóris. Nec indignatióne commótus, nec

scélere offénsus, nec iniúria violátus Iudæam déserit: quin étiam immemor iniúriæ, memor cleméntiæ, nunc docéndo, nunc liberándo, nunc sanándo, infídæ plebis corda demúlcet. Et bene sanctus Lucas virum a spíritu nequítiæ liberátum ante præmísit, et súbdidit féminæ sanitátem. Utrúmque enim sexum Dóminus curatúrus advénerat.

℟. i. Vidéntes Ioseph a longe, loquebántur mútuo fratres, dicéntes: Ecce somniátor venit: * Veníte, occidámus eum, et videámus si prosint illi sómnia sua. ℣. Cumque vidíssent Ioseph fratres sui, quod a patre cunctis frátribus plus amarétur, óderant eum, nec póterant ei quidquam pacífice loqui: unde et dicébant. - Veníte.

Lectio ii

Sed prior sanári débuit, qui prior creátus est: nec prætermítti illa, quæ mobilitáte magis ánimi, quam pravitáte peccáverat. Sábbato medicínæ Domínicæ ópera cœpta significat, ut inde nova creatúra cœperit, ubi vetus creatúra ante desívit: nec sub lege esse Dei Fílium, sed supra legem in ipso princípio designáret: nec solvi legem, sed impléri. Neque enim per legem, sed verbo factus est mundus, sicut légimus: Verbo Dómini cæli firmáti sunt.

℟. ii. Dixit Iudas frátribus suis: Ecce Ismaëlítæ tránseunt: veníte, venumdétur, et manus nostræ non polluántur: * Caro enim et frater noster est. ℣. Quid enim prodest, si occidérimus fratrem nostrum et celavérimus sánguinem ipsíus? Mélius est enim ut venumdétur. - Caro enim.

Lectio iii

Non sólvitur ergo lex, sed implétur: ut fiat renovátio hóminis iam labéntis. Unde et Apóstolus ait: Exspoliántes vos véterem hóminem, indúite novum, qui secúndum Deum creátus est. Et bene sábbato cœpit, ut ipsum se osténderet Creatórem, qui ópera opéribus intéxeret, et prosequerétur opus, quod ipse iam cœperat: ut si domum faber renováre dispónat, non a fundaméntis, sed a culmínibus íncipit sólvere vetustátem. Itaque ibi prius manum ádmovet, ubi ante desíerat.

℟. iii. Videns Iacob vestiménta Ioseph, scidit vestiménta sua cum fletu, et dixit: * Fera péssima devorávit Fílium meum Ioseph. ℣. Congregátis autem cunctis líberis eius ut delinírent dolórem patris, nóluit eos audíre, sed dixit. - Fera péssima devorávit. - Glória. - Fílium meum Ioseph.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Exíbant autem dæmónia a multis clamántia et dicéntia, Quia tu es Fílius Dei: et íncrepans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ieiuniórum nobis sancta devótio et purificatiónem tríbuat, et maiestáti tuæ nos reddat accéptos. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Omnes qui habébant infírmos, ducébant illos ad Iesum, et curabántur.

Oratio

Subiéctum tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cæléstis amplíficet; et tuis semper fáciat servíre mandátis. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 4

In illo témpore: Venit Iesus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar: iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioseph fílio suo. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 15 in Ioann. post initium

Iam incípiunt mystéria. Non enim frustra fatigátur Iesus: non enim frustra fatigátur virtus Dei: non enim frustra fatigátur, per quem fatigáti recreántur: non enim frustra fatigátur, quo deserénte fatigámur, quo præsénte firmámur. Fatigátur tamen Iesus, et fatigátur ab itínere, et sedet, et iuxta púteum sedet, et hora sexta fatigátus sedet. Omnia ista innuunt áliquid: inténtos nos fáciunt; ut pulsémus hortántur.

℟. i. Ioseph, dum intráret in terram Ægýpti, linguam, quam non nóverat, audívit: * Manus eius in labóribus serviérunt, et lingua eius inter

príncipes loquebátur sapiéntiam. ℣. Divértit ab onéribus dorsum eius. - Manus eius in labóribus serviérunt, et lingua eius inter príncipes loquebátur sapiéntiam.

Lectio ii

Ipse ergo apériat et nobis et vobis, qui dignátus est ita hortári, ut díceret: Pulsáte, et aperiétur vobis. Tibi fatigátus est ab itínere Iesus. Invenímus virtútem Iesum, et invenímus infírmum Iesum: fortem et infírmum. Fortem: quia in princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in princípio apud Deum. Vis vidére, quam iste Fílius Dei fortis sit? Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil: et sine labóre facta sunt.

℟. ii. Meménto mei, dum bene tibi fúerit: * Ut súggeras Pharaóni ut edúcat me de isto cárcere: quia furtim sublátus sum et hic ínnocens in lacum missus sum. ℣. Tres enim adhuc dies sunt post quos recordábitur Phárao ministérii tui, et restítuet te in gradum prístinum: tunc meménto mei. - Ut súggeras.

Lectio iii

Quid ergo illo fórtius, per quem sine labóre facta sunt ómnia? Infírmum vis nosse? Verbum caro factum est, et habitávit in nobis. Fortitúdo Christi te creávit: infírmitas Christi te recreávit. Fortitúdo Christi fecit, ut quod non erat, esset: infírmitas Christi fecit, ut quod erat, non períret. Cóndidit nos fortitúdine sua: quæsívit nos infirmitáte sua. Nutrívit ergo ipse infírmus infírmos, tamquam gallína pullos suos: huic enim se símilem fecit.

℟. iii. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis, Nolíte peccáre in púerum: et non audístis me? * En sanguis eius exquíritur. ℣. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus. - En sanguis. - Glória. - En sanguis.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Dómine, ut vídeo, prophéta es tu: patres nostri in monte hoc adoravérunt.

Oratio

Ieiúnia nostra, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquere: ut, sicut ab aliméntis abstinémus in córpore, ita a vítiis ieiunémus in mente. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu et veritáte.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis adversántia, te adiuvánte, vincámus. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 8

In illo témpore: Perréxit Iesus in montem Olivéti: et dilúculo íterum venit in templum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 33 in Ioann. post init.

Iesus perréxit in montem Olivéti, in montem fructuósum, in montem unguénti, in montem chrísmatis. Ubi enim decébat docére Christum, nisi in monte Olivéti? Christi enim nomen a chrísmate dictum est: chrisma autem græce, latíne únctio nominátur. Ideo autem nos unxit, quia luctatóres contra diábolum fecit. Et dilúculo íterum venit in templum, et omnis pópulus venit ad eum, et sedens docébat eos: et non tenebátur, quia nondum pati dignabátur.

℟. i. Mérito hæc pátimur, quia peccávimus in fratrem nostrum, vidéntes angústiam ánimæ eius, dum deprecarétur nos, et non audívimus: * Idcírco venit super nos tribulátio. ℣. Dixit Ruben frátribus suis: Numquid non dixi vobis: Nolíte peccáre in púerum: et non audístis me? - Idcírco.

Lectio ii

Nunc iam atténdite, ubi ab inimícis tentáta sit Dómini mansuetúdo. Addúcunt autem illi scribæ et pharisæi mulíerem in adultério deprehénsam: et statuérunt eam in médio, et dixérunt ei: Magíster, hæc múlier modo deprehénsa est in adultério. In lege autem Móyses mandávit nobis huiúsmodi lapidáre. Tu ergo

quid dicis? Hæc autem dicébant tentántes eum, ut possent accusáre eum. Unde accusáre? Numquid ipsum in áliquo facínore deprehénderant, aut illa múlier ad eum áliquo modo pertinuísse dicebátur?

℟. ii. Tóllite hinc vobíscum múnera et ite ad dóminum terræ; et, dum invenéritis, adoráte eum super terram: * Deus autem meus fáciat vobis eum placábilem: et remíttat et hunc fratrem vestrum vobíscum et eum quem tenet in vínculis. ℣. Súmite de óptimis terræ frúgibus in vasis vestris, et deférte viro múnera. - Deus autem.

Lectio iii

Intelligámus, fratres, admirábilem mansuetúdinem in Dómino fuísse. Animadvertérunt eum nímium esse mitem, nímium esse mansuétum. De illo quippe fúerat ante prædíctum: Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde et regna, propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam. Cum ergo de duóbus istis, id est, de veritáte et mansuetúdine, eius inimíci livóre et invídia torqueréntur: in tértio, id est iustítia, scándalum posuérunt.

℟. iii. Loquens Ioseph frátribus suis dixit: * Pax vobis, nolíte timére: Pro salúte enim vestra misit me Dóminus ante vos. ℣. Elevavítque vocem cum fletu, quam audiérunt Ægýptii omnísque domus Pharaónis. Et dixit frátribus suis. - Pax vobis. - Glória. - Pro salúte.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Inclinávit se Iesus et scribébat in terra: Si quis sine peccáto est, mittat in eam lápidem.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui se, affligéndo carnem, ab aliméntis ábstinent; sectándo iustítiam a culpa ieiúnent. Per.

DOMINICA IV IN QUADRAGESIMA

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

℟. Audi, Israël, præcépta Dómini et ea in corde

tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel. ℣. Obsérva ígitur et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis. - Et dabo. - Glória. - Et dabo.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.

Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis
Confer medélam lánguidis.

Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Ad Magnif. ant. Nemo te condemnávit, múlier? Nemo, Dómine. Nec ego te condemnábo: iam ámplius noli peccáre.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Pópulus Dómini, et oves páscuæ eius, * Veníte, adorémus Dóminum.

Hymnus Summi largítor 570.

In Nocturno

De libro Exodi

Lectio i Cap. 3

Móyses autem pascébat oves Iethro sóceri sui sacerdótis Mádian: cumque minásset gregem ad interióra desérti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuítque ei Dóminus in flamma ignis de médio rubi: et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur. Dixit ergo Móyses: Vadam, et vidébo visiónem hanc magnam, quare non comburátur rubus. Cernens autem Dóminus quod pérgeret ad vidéndum, vocávit eum de médio rubi, et ait: Móyses, Móyses. Qui respóndit: Adsum. At ille: Ne apprópies, inquit, huc: solve calceaméntum de pédibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: Descénde in Ægýptum, et dic Pharaóni ut dimíttat pópulum meum: indurátum est cor Pharaónis: non vult dimíttere pópulum meum nisi * In manu forti. ℣. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, qui est in Ægýpto: et gémitum eius audívi et descéndi liberáre eum. - In manu forti.

Lectio ii

Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Iacob. Abscóndit Móyses fáciem suam: non enim audébat aspícere contra Deum. Cui ait Dóminus: Vidi afflictiónem pópuli mei in Ægýpto, et clamórem eius audívi propter durítiam eórum qui præsunt opéribus. Et sciens dolórem eius, descéndi ut líberem eum de mánibus Ægyptiórum, et edúcam de terra illa in terram bonam, et spatiósam, in terram quæ fluit lacte et melle. Clamor ergo filiórum Israël venit ad me: vidíque afflictiónem eórum, qua ab Ægýptiis opprimúntur. Sed veni, et mittam te ad Pharaónem, ut edúcas pópulum meum, fílios Israël de Ægýpto. Dixítque Móyses ad Deum: Quis sum ego ut vadam ad Pharaónem, et edúcam fílios Israël de Ægýpto? Qui dixit ei: Ego ero tecum: et hoc habébis signum, quod míserim te: Cum edúxeris pópulum meum de Ægýpto, immolábis Deo super montem istum.

℟. ii. Cantémus Dómino: glorióse enim honorificátus est, equum et ascensórem proiécit in mare. * Adiútor et protéctor factus est mihi Dóminus in salútem. ℣. Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen eius. - Adiútor.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio iii Cap. 6

In illo témpore: Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberíadis: et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 24 in Ioannem

Mirácula, quæ fecit Dóminus noster Iesus Christus, sunt quidem divína ópera, et ad intelligéndum Deum de visibílibus ádmonent humánam mentem. Quia enim ille non est talis substántiæ, quæ vidéri óculis possit; et mirácula eius, quibus totum mundum regit, universámque creatúram administrat, assiduitáte viluérunt, ita ut pæne nemo dignétur atténdere ópera Dei mira et stupénda in quólibet séminis grano: secúndum ipsam suam misericórdiam servávit sibi quædam, quæ fáceret opportúno témpore præter usitátum cursum ordinémque natúræ: ut non maióra, sed insólita vidéndo stupérent, quibus quotidiána viluérant.

℟. iii. Audi, Israël, præcépta Dómini et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel. ℣. Obsérva ígitur et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis. - Et dabo. - Glória. - Et dabo. ℟. Audi, Israël.

Ante Laudes ℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, si avérteris fáciem tuam a peccátis meis.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Bonum est speráre in Dómino quam speráre in princípibus.

3. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

4. Potens es, Dómine, erípere nos de manu mortis: liberáre nos, Deus noster.

5. Reges terræ et omnes pópuli, laudáte Deum.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

Hymnus

Iam, Christe, sol iustítiæ,
Mentis dehíscant ténebræ,
Virtútum ut lux rédeat,
Terris diem cum réparas.

Da tempus acceptábile,
Et pœnítens cor tríbue:
Convértat ut benígnitas
Quos longa suffert píetas.

Quiddámque pœniténtiæ
Da ferre, quamvis grávium,
Maióre tuo múnere,
Quo démptio fit críminum.

Dies venit, dies tua,
In qua reflórent ómnia:
Lætémur in hac, ad tuam
Per hanc redúcti grátiam.

Te rerum univérsitas, Clemens, adóret, Trínitas: Et nos, novi per véniam, Novum canámus cánticum. Amen.

℣. Scuto circúmdabit te véritas eius. ℟. Non timébis a timóre noctúrno.

Ad Bened. ant. Abiit Iesus trans mare Galilææ, quod est Tiberíadis: et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa super his qui infirmabántur. Súbiit ergo in montem Iesus, et ibi sedébat cum discípulis suis. Erat autem próximum Pascha dies festus Iudæórum.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui ex mérito nostræ actiónis afflígimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per.

AD PRIMAM

Ant. Accépit ergo Iesus panes: et, cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

AD TERTIAM

Ant. De quinque pánibus et duóbus píscibus saturávit Dóminus quinque míllia hóminum.

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

℟. Bonum mihi, Dómine, quod humiliásti me: * Bonum mihi lex oris tui super míllia auri et argénti. ℣. Manus tuæ fecérunt me et plasmavérunt me: da mihi intelléctum, ut discam mandáta tua. Bonum mihi lex oris tui. Glória. Bonum mihi, Dómine, quod.

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

AD SEXTAM

Ant. Satiávit Dóminus quinque míllia hóminum de quinque pánibus et duóbus píscibus.

Capitulum 2 Cor. 6

Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis: némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum.

℟. Servus tuus ego sum: * Da mihi intelléctum, Dómine. ℣. Ut discam mandáta tua. Da mihi. Glória. Servus.

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

AD NONAM

Ant. Illi ergo hómines, cum vidíssent signum quod factum fúerat, glorificábant Deum, et dicébant: Quia hic est Salvátor mundi.

Capitulum 2 Cor. 6

In ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

℟. Declára super nos, Deus, * Tuam misericórdiam. ℣. Declarátio sermónum tuórum dat intelléctum, Dómine. Tuam misericórdiam. Glória. Declára.

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Hortámur, hymnus Audi, benígne et ℣. Angelis suis 608.

Ad Magnif. ant. Cum sublevásset óculos Iesus et vidísset máximam multitúdinem veniéntem ad se, dixit ad Philíppum: Unde emémus panes ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 2

In illo témpore: Prope erat Pascha Iudæórum, et ascéndit Iesus Ierosólymam: et invénit in templo vendéntes boves et oves et colúmbas. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 10 in Ioann. post init.

Quid audívimus, fratres? Ecce templum illud figúra adhuc erat, et eiécit inde Dóminus omnes, qui sua quærébant, qui ad núndinas vénerant. Et quæ ibi vendébant illi? Quæ opus habébant hómines in sacrifíciis illíus témporis. Novit enim cáritas vestra, quod sacrifícia illi pópulo, pro eius carnalitáte et corde adhuc lapídeo, tália data sunt, quibus tenerétur, ne in idóla deflúeret: et immolábant ibi sacrifícia, boves et oves et colúmbas. Nostis, quia legístis.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: Descénde in Ægýptum, et dic Pharaóni ut dimíttat pópulum meum: indurátum est cor Pharaó-

nis: non vult dimíttere pópulum meum nisi * In manu forti. ℣. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, qui est in Ægýpto: et gémitum eius audívi et descéndi liberáre eum. - In manu forti.

Lectio ii

Non ergo magnum peccátum, si hoc vendébant in templo, quod emebátur ut offerrétur in templo: et tamen eiécit inde illos. Quid si ibi ebriósos inveníret, quid fáceret Dóminus, si vendéntes ea quæ lícita sunt et contra iustítiam non sunt (quæ enim honéste emúntur, non illícite vendúntur) éxpulit tamen, et non est passus domum oratiónis fíeri domum negotiatiónis?

℟. ii. Stetit Móyses coram Pharaóne et dixit: Hæc dicit Dóminus: * Dimítte pópulum meum ut sacrificet mihi in desérto. ℣. Dóminus Deus Hebræórum misit me ad te, dicens. - Dimítte.

Lectio iii

Si negotiatiónis domus non debet fíeri domus Dei; potatiónis debet fíeri? Nos autem quando ista dícimus, strident déntibus suis advérsus nos: et consolátur nos psalmus, quem audístis: Stridérunt in me déntibus suis. Nóvimus et nos audíre unde curémur: etsi ingeminántur flagélla Christo, quia flagellátur sermo ipsíus. Congregáta sunt, inquit, in me flagélla, et nesciébam. Flagellátus est flagéllis Iudæórum: flagellátur blasphémiis falsórum Christianórum.

℟. iii. Cantémus Dómino: glorióse enim honorificátus est, equum et ascensórem proiécit in mare. * Adiútor et protéctor factus est mihi Dóminus In salútem. ℣. Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen eius. - Adiútor. - Glória. - In salútem.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Auférte ista hinc, dicit Dóminus: et nolíte fácere domum Patris mei domum negotiatiónis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus et mente. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Sólvite templum hoc, dicit Dóminus, et post tríduum reædificábo illud: hoc autem dicébat de templo córporis sui.

Oratio

Deprecatiónem nostram, quæsumus, Dómine, benígnus exáudi: et, quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxílium. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 7

In illo témpore: Iam die festo mediánte, ascéndit Iesus in templum, et docébat. Et mirabántur Iudæi. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 29 in Ioann. sub initio

Ille, qui latébat, docébat: et palam loquebátur, et non tenebátur. Illud enim ut latéret, erat causa exémpli, hoc potestátis. Sed cum docéret, mirabántur Iudæi. Omnes quidem, quantum árbitror, mirabántur, sed non omnes convertebántur. Et unde admirátio? Quia multi nóverant ubi natus, quemádmodum fúerit educátus. Numquam eum víderant lítteras discéntem: audiébant autem de Lege disputántem, Legis testimónia proferéntem, quæ nemo posset proférre, nisi legísset; nemo légere, nisi lítteras didicísset: et ídeo mirabántur.

℟. i. In mari via tua et sémitæ tuæ in aquis multis: deduxísti sicut oves pópulum tuum * In manu Móysi et Aaron. ℣. Transtulísti illos per Mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam. - In manu Móysi et Aaron.

Lectio ii

Eórum autem admirátio magístro facta est insinuándæ áltius veritátis occásio. Ex eórum quippe admiratióne et verbis, dixit Dóminus profúndum áliquid, et diligéntius ínspici et díscuti dignum. Quid ergo Dóminus respóndit eis, admirántibus quómodo sciret lítteras, quas non didícerat? Mea, inquit, doctrína non est mea, sed eius qui misit me. Hæc est profúnditas prima. Vidétur enim paucis verbis quasi contrária locútus.

℟. ii. Qui persequebántur pópulum tuum, Dómine, demersísti eos in pro-

fúndum: * Et in colúmna nubis ductor eórum fuísti. ℣. Deduxísti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron. - Et in colúmna nubis.

Lectio iii

Non enim ait, Ista doctrína non est mea: sed, Mea doctrína non est mea. Si non tua, quómodo tua? Si tua, quómodo non tua? Tu enim dicis utrúmque: et mea doctrína, et non mea. Quæ est doctrína Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrína Patris, si Verbum Patris. Sed quia verbum non potest esse nullíus, sed alicúius: et suam doctrínam dixit seípsum, et non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tam tuum quam tu? Et quid tam non tuum quam tu, si alicúius est, quod es?

℟. iii. Móyses fámulus Dómini ieiunávit quadragínta diébus et quadragínta nóctibus: * Ut legem Dómini mererétur accípere. ℣. Ascéndit Móyses in montem Sínai. - Ut legem. - Glória. - Ut legem.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Quid me quæritis interfícere, hóminem qui vera locútus sum vobis?

Oratio

Sacræ nobis, quæsumus, Dómine, observatiónis ieiúnia, et piæ conversatiónis augméntum et tuæ propitiatiónis contínuum præstent auxílium. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Unum opus feci, et omnes admirámini: quia totum hóminem sanum feci in sábbato.

Oratio

Miserére, Dómine, pópulo tuo; et contínuis tribulatiónibus laborántem propítius respiráre concéde. Per.

Feria quarta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 9

In illo témpore: Prætériens Iesus vidit hóminem cæcum a nativitáte: et interrogavérunt eum discípuli eius: Rabbi, quis peccávit, hic aut paréntes eius, ut cæcus nascerétur? Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 44 in Ioannem circa initium

Ea quæ fecit Dóminus noster Iesus Christus, stupénda atque miránda, et ópera et verba sunt: ópera, quia facta sunt: verba, quia signa sunt. Si ergo quid significet hoc, quod factum est, cogitémus; genus humánum est iste cæcus. Hæc enim cæcitas contigit in primo hómine per peccátum, de quo omnes orígine dúximus, non solum mortis, sed étiam iniquitátis. Si enim cæcitas est infidélitas, et illumináti fides: quem fidélem, quando venit Christus, invénit? Quandóquidem Apóstolus natus in gente prophetárum, dicit: Fúimus et nos aliquándo natúra fílii iræ, sicut et céteri.

℟. i. Spléndida facta est fácies Móysi, dum aspíceret in eum Dóminus: * Vidéntes senióres claritátem vultus eius, admiránte timuérunt valde. ℣. Descéndit Móyses de monte, portans duas tábulas lapídeas in mánibus suis, scriptas utrásque dígito Dei. - Vidéntes.

Lectio ii

Si natúra fílii iræ: fílii vindíctæ, fílii pœnæ, fílii gehénnæ. Quómodo natúra, nisi quia peccánte primo hómine vítium pro natúra inolévit? Si vítium pro natúra inolévit, secúndum mentem omnis homo cæcus natus est. Venit Dóminus: quid fecit? Magnum mystérium commendávit. Exspuit in terram, de salíva sua lutum fecit, quia Verbum caro factum est: et inúnxit óculos cæci.

℟. ii. Ecce mitto Angelum meum, qui præcédat te et custódiat semper: obsérva et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis, et affligéntes te afflígam: * Et præcédet te Angelus meus. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. - Et præcédet.

Lectio iii

Inúnctus erat, et nondum vidébat. Misit illum ad piscínam, quæ vocátur Síloë. Pertínuit autem ad Evangelístam commendáre nobis nomen huius piscínæ, et ait: Quod interpretátur Missus. Iam quis sit missus, cognóscitis. Nisi enim ille fuísset missus, nemo nostrum esset ab iniquitáte dimíssus. Lavit ergo óculos in ea piscína, quæ interpre-

tátur Missus: baptizátus est in Christo.

℟. iii. Audi, Israël, præcépta Dómini et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel. ℣. Obsérva ígitur et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis. - Et dabo. - Glória. - Et dabo.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Rabbi, quis peccávit, hic aut paréntes eius, quod cæcus natus est? Respóndit Iesus et dixit: Neque hic peccávit neque paréntes eius; sed ut manifesténtur ópera Dei in illo.

Oratio

Deus, qui et iustis prǽmia meritórum et peccatóribus per ieiúnium véniam prǽbes: miserére supplícibus tuis; ut reátus nostri conféssio indulgéntiam váleat percípere delictórum. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Ille homo, qui dícitur Iesus, lutum fecit ex sputo: et linívit óculos meos, et modo vídeo.

Oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et, ut peténtibus desideráta concédas, fac eos quæ tibi sunt plácita postuláre. Per Dóminum.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 7

In illo témpore: Ibat Iesus in civitátem, quæ vocátur Naim: et ibant cum eo discípuli eius et turba copiósa. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 Comm. in c. 7 Lucæ

Et hic locus ad utrámque redúndat grátiam: ut et cito flecti divínam misericórdiam matris víduæ lamentatióne credámus, eius prǽcípue, quæ únici fílii vel labóre vel morte frangátur; cui tamen víduæ gravitátis méritum exsequiárum turba concíliet: et hanc víduam populórum turba septam, plus vidéri esse quam féminam, quæ resurrectiónem únici et adolescéntis fílii suis lácrimis merúerit impetráre: eo quod sancta Ecclésia pópulum iuniórem a pompa fúneris atque a suprémis sepúlcri, suárum révocet ad vitam contemplatióne lacrimárum.

℟. i. Locútus est Dóminus ad Móysen dicens: Descénde in Ægýptum, et dic Pharaóni ut dimíttat pópulum meum: indurátum est cor Pharaónis: non vult dimíttere pópulum meum nisi * In manu forti. ℣. Videns vidi afflictiónem pópuli mei, qui est in Ægýpto: et gémitum eius audívi et descéndi liberáre eum. - In manu forti.

Lectio ii

Quæ flere prohibétur eum, cui resurréctio debebátur. Qui quidem mórtuus in lóculo materiálibus quátuor ad sepúlcrum ferebátur eleméntis: sed spem resurgéndi habébat, quia ferebátur in ligno. Quod etsi nobis ante non próderat, tamen posteáquam Iesus id tétigit, profícere cœpit ad vitam: ut esset indício, salútem pópulo per crucis patíbulum refundéndam. Audíto ígitur Dei verbo, stetérunt acérbi illi fúneris portitóres, qui corpus humánum letáli fluxu natúræ materiális urgébant.

℟. ii. Stetit Móyses coram Pharaóne et dixit: Hæc dicit Dóminus: * Dimítte pópulum meum ut sacrífícet mihi in desérto. ℣. Dóminus Deus Hebræórum misit me ad te, dicens. - Dimítte.

Lectio iii

Quid enim áliud, nisi quasi in quodam féretro, hoc est, suprémi fúneris instruménto iacémus exánimes, cum vel ignis immódicæ cupiditátis exæstuat, vel frígidus humor exúndat, vel pigra quadam terréni córporis habitúdine vigor hebetátur animórum, vel concréta noster spíritus labe, puræ lucis vácuus mentem alit? Hi sunt nostri fúneris portitóres.

℟. iii. Cantémus Dómino: glorióse enim honorificátus est, equum et ascensórem proiécit in mare. * Adiútor et protéctor factus est mihi Dóminus In salútem. ℣. Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen eius. - Adiútor. - Glória. - In salútem.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Accéssit Iesus et tétigit lóculum. Hi autem qui portábant

stetérunt. Et ait: Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, et cœpit loqui.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, quos ieiúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet; ut, terrénis afféctibus mitigátis, facílius cæléstia capiámus. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Prophéta magnus surréxit in nobis: et quia Deus visitávit plebem suam.

Oratio

Pópuli tui, Deus, institútor et rector, peccáta quibus impugnátur expélle; ut semper tibi plácitus et tuo munímine sit secúrus. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 11

In illo témpore: Erat quidam languens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ et Marthæ soróris eius. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 49 in Ioannem post initium

In superióri lectióne meminístis, quod Dóminus éxiit de mánibus eórum, qui lapidáre illum volúerant, et discéssit trans Iordánem, ubi Ioánnes baptizábat. Ibi ergo Dómino constitúto, infirmabátur in Bethánia Lázarus, quod castéllum erat próximum Ierosólymis. María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes eius capíllis suis, cuius frater Lázarus infirmabátur. Misérunt ergo soróres eius ad eum. Iam intellígimus quo misérunt, ubi erat Iesus: quóniam absens erat, trans Iordánem scílicet.

℟. i. In mari via tua et sémitæ tuæ in aquis multis: deduxísti sicut oves pópulum tuum * In manu Móysi et Aaron. ℣. Transtulísti illos per Mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam. - In manu Móysi et Aaron.

Lectio ii

Misérunt ad Dóminum, nuntiántes quod ægrotáret frater eárum; ut si dignarétur, veníret, et eum ab ægritúdine liberáret. Ille dístulit sanáre, ut posset resuscitáre. Quid ergo nuntiavérunt soróres eius? Dómine, ecce quem amas infirmátur. Non dixérunt, Veni: amánti enim tantúmmodo nuntiándum fuit. Non ausæ sunt dícere, Veni, et sana: non ausæ sunt dícere, Ibi iube, et hic fiet. Cur enim non et istæ, si fides illíus centuriónis inde laudátur?

℟. ii. Qui persequebántur pópulum tuum, Dómine, demersísti eos in profúndum: * Et in colúmna nubis ductor eórum fuísti. ℣. Deduxísti sicut oves pópulum tuum in manu Móysi et Aaron. - Et in.

Lectio iii

Ait enim: Non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nihil horum istæ, sed tantúmmodo: Dómine, ecce quem amas infirmátur. Súfficit enim ut nóveris: non enim amas, et déseris. Dicit áliquis: Quómodo per Lázarum peccátor significabátur, et a Dómino sic amabátur? Audiat eum dicéntem: Non veni vocáre iustos, sed peccatóres. Si enim peccatóres Deus non amáret, de cælo ad terram non descénderet.

℟. iii. Móyses fámulus Dómini ieiunávit quadragínta diébus et quadragínta nóctibus: * Ut legem Dómini mererétur accípere. ℣. Ascéndit Móyses in montem Sínai. - Ut legem. - Glória. - Ut legem.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Lázarus amícus noster dormit: eámus, et a somno excitémus eum.

Oratio

Deus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis: præsta, quæsumus, ut Ecclésia tua et ætérnis proficiat institútis, et temporálibus non destituátur auxíliis. Per.

AD VESPERAS

℣. Angelis suis.
℟. Ut custódiant.

Ad Magnif. ant. Dómine, si fuísses hic, Lázarus non esset mórtuus: ecce iam fœtet quatriduánus in monuménto.

Oratio

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus; sub tua semper pietáte gaudeámus. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 8

In illo témpore: Locútus est Iesus turbis Iudæórum, dicens: Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 34 in Ioannem post initium

Quod ait Dóminus, Ego sum lux mundi: clarum puto esse eis, qui habent óculos, unde huius lucis partícipes fiant: qui autem non habent óculos, nisi in sola carne, mirántur quod dictum est a Dómino Iesu Christo: Ego sum lux mundi. Et forte non desit, qui dicat apud semetípsum: Numquid forte Dóminus Christus est sol iste, qui ortu et occásu péragit diem? Non enim defuérunt hærétici, qui ista sensérunt.

℟. i. Spléndida facta est fácies Móysi, dum aspíceret in eum Dóminus: * Vidéntes senióres claritátem vultus eius, admiránte timuérunt valde. ℣. Descéndit Móyses de monte, portans duas tábulas lapídeas in mánibus suis, scriptas utrásque dígito Dei. - Vidéntes.

Lectio ii

Manichæi solem istum óculis carnis visíbilem, expósitum et públicum non tantum homínibus, sed étiam pecóribus ad vidéndum, Christum Dóminum esse putavérunt. Sed cathólicæ Eccléśiæ recta fides ímprobat tale comméntum, et diabólicam doctrínam esse cognóscit: nec solum agnóscit credéndo, sed in quibus potest, convíncit étiam disputándo. Improbémus ítaque huiúsmodi errórem, quem sancta ab ínitio anathematizávit Ecclésia.

℟. ii. Ecce mitto Angelum meum, qui præcédat te et custódiat semper: obsérva et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis, et affligéntes te afflígam: * Et præcédet te Angelus meus. ℣. Israël, si me audíeris, non erit in te Deus recens, neque adorábis Deum aliénum: ego enim Dóminus. - Et præcédet.

Lectio iii

Non est Dóminus Christus sol factus, sed per quem sol factus est. Est ergo lux, quæ fecit hanc lucem. Hanc amémus, hanc intellígere cupiámus, ipsam sitiámus, ut ad ipsam, duce ipsa, aliquándo veniámus: et in illa ita vivámus, ut numquam omníno moriámur. Ista enim lux est, de qua prophetía olim præmíssa ita in psalmo cécinit: Quóniam apud te est fons vitæ, et in lúmine tuo vidébimus lumen.

℟. iii. Audi, Israël, præcépta Dómini et ea in corde tuo quasi in libro scribe: * Et dabo tibi terram fluéntem lac et mel. ℣. Obsérva ígitur et audi vocem meam: et inimícus ero inimícis tuis. - Et dabo. - Glória. - Et dabo.

AD LAUDES

℣. Scuto circúmdabit.
℟. Non timébis.

Ad Bened. ant. Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Oratio

Fiat, Dómine, quæsumus, per grátiam tuam fructuósus nostræ devotiónis afféctus: quia tunc nobis próderunt suscépta ieiúnia, si tuæ sint plácita pietáti. Per.

Dominica I in Passione

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. Multiplicáti sunt qui tríbulant me, et dicunt: Non est salus illi in Deo eius: * Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus. ℣. Nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum. - Exsúrge. ℟. Multiplicáti sunt.

Hodie et deinceps usque ad Pascha exclusive, responsoria in Officio de Tempore dicuntur sine Glória Patri, sed eius loco repetitur responsorium.

Hymnus

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine
Dicens: In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cuius bráchiis
Sæcli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

Hic genuflectitur usque ad Te, summa.

O Crux, ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore
Auge piis iustítiam,
Reísque dona véniam.

Te, summa, Deus, Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sæcula.
Amen.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Ego sum, qui testimónium perhíbeo de meípso: et testimónium pérhibet de me, qui misit me, Pater.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: ut te largiénte regátur in córpore; et te servánte custodiátur in mente. Per.

AD COMPLETORIUM

℟. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus tuas. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Comménd spíritum meum. In manus tuas.

Ad Nunc dimittis ant. O Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis et tamen ineffábilis: tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Deus noster: ut in die iudícii nos collocáre dignéris inter sanctos et eléctos tuos, Rex benedícte.

AD MATUTINUM

Invit. Hódie, si vocem Dómini audiéritis, * Nolíte obduráre corda vestra.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Hódie, si vocem Dómini audiéritis, Nolíte obduráre corda vestra.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Nolíte obduráre corda vestra.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus eius; et oves páscuæ eius.

Hódie, si vocem Dómini audiéritis, Nolíte obduráre corda vestra.

Quo dicto sequitur:

℣. Sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Nolíte obduráre corda vestra.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Non dicitur Glória Patri, sed post ultimum versum bis ex integro repetitur invitatorium:

Hódie, si vocem Dómini audiéritis, Nolíte obduráre corda vestra. Hódie...

Hymnus Pange, lingua 571.

In Nocturno

Antiphonæ et psalmi de dominica cum versiculo de tempore Passionis ut in Psalterio; quæ dicuntur etiam in sequenti dominica.

Incipit liber Ieremíæ Prophétæ

Lectio i Cap. 1

Verba Ieremíæ fílii Helcíæ, de sacerdótibus, qui fuérunt in Anathoth, in terra Béniamin. Quod factum est verbum Dómini ad eum in diébus Iosíæ fílii Amon regis Iuda, in tertiodécimo anno regni eius. Et factum est in diébus Ióakim fílii Iosíæ regis Iuda, usque ad consummatiónem undécimi anni Sedecíæ fílii Iosíæ regis Iuda, usque ad transmigratiónem Ierúsalem, in mense quinto. Et factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsquam te formárem in útero novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Isti sunt dies, quos observáre debétis tempóribus suis. * Quartadécima die ad vésperum Pascha Dómini est: et in quintadécima solemnitátem celebrábitis altíssimo Dómino. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël, et dices ad eos. - Quartadécima.

Lectio ii

Et dixi, A a a, Dómine Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere, Puer sum: quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: et univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum: quia tecum ego sum ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam et tétigit os meum: et dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te hódie super gentes et super regna, ut evéllas et déstruas et dispérdas et dissipes et ædífices et plantes. Et factum est verbum Dómini ad me dicens: Quid tu vides, Ieremía? Et dixi: Virgam vigilántem ego vídeo. Et dixit Dóminus ad me: Bene vidísti, quia vigilábo ego super verbo meo ut fáciam illud. Et factum est verbum Dómini secúndo ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succénsam ego vídeo et fáciem eius a fácie Aquilónis. Et dixit Dóminus ad me: Ab Aquilóne pandétur malum super omnes habitatóres terræ. Quia ecce ego convocábo omnes cognatiónes regnórum Aquilónis, ait Dóminus. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. Qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum, dicéntes:* Deus derelíquit eum, persequímini et comprehéndite eum: quia non est qui líberet eum. Deus meus, ne elongéris a me: Deus meus, in adiutórium meum inténde. ℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes. - Deus derelíquit eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio iii Cap. 8

In illo témpore: Dicébat Iesus turbis Iudæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 18 in Evang.

Pensáte, fratres caríssimi, mansuetúdinem Dei. Relaxáre peccáta vénerat, et dicébat: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Non dedignátur ex ratióne osténdere se peccatórem non esse, qui ex virtúte divinitátis póterat peccatóres iustificáre. Sed terríbile est valde quod súbditur: Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non audítis, quia ex Deo non estis. Si enim ipse verba Dei audit, qui ex Deo est, et audíre verba eius non potest, quisquis ex illo non est; intérroget se unusquísque, si verba Dei in aure cordis pércipit; et intélliget unde sit.

℟. iii. In próximo est tribulátio mea, Dómine, et non est qui ádiuvet: ut fódiant manus meas et pedes meos: líbera me de ore leónis: * Ut enárrem nomen tuum frátribus meis. ℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: et de manu canis únicam meam. - Ut enárrem. ℟. In próximo est.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus meus.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. In tribulatióne invocávi Dóminum, et exaudívit me in latitúdine.

3. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

4. Pópule meus, quid feci tibi aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

5. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis; tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus

Lustris sex qui iam peráctis
Tempus implens córporis,
Se volénte natus ad hoc,
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stípite.

Hic acétum, fel, arúndo,
Spina, clavi, láncea:
Mite corpus perforátur,
Sanguis, unda prófluit:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sústinet.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas,
Ut supérni membra Regis
Miti tendas stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre sæcli prétium,
Atque portum præparáre
Nauta mundo náufrago:
Quem sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito:
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare vos non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non audítis, quia ex Deo non estis.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: ut te largiénte regátur in córpore, et te servánte custodiátur in mente. Per.

AD PRIMAM

Ant. Ego dæmónium non hábeo, sed honorífico Patrem meum, dicit Dóminus.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Ab hac die usque ad dominicam in albis exclusive, non dicitur ad Primam ℟. Iesu Christe, nisi in festis Sanctorum: sed usque ad Cenam Domini exclusive, cum de Tempore agitur, post capitulum statim subiungitur:

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

AD TERTIAM

Ant. Ego glóriam meam non quæro: est qui quærat, et iúdicet.

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * Et de manu canis únicam meam. ℣. Salva me ex ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Et de manu. ℟. Erue.

℣. De ore leónis líbera me, Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

AD SEXTAM

Ant. Amen, amen dico vobis: si quis sermónem meum serváverit, mortem non gustábit in ætérnum.

Capitulum Is. 50

Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus.

℟. De ore leónis líbera me, Dómine: * Et a córnibus unicórnium humilitátem meam. ℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam, et de manu canis únicam meam. Et a córnibus. ℟. De ore.

℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

AD NONAM

Ant. Abraham pater vester exsultávit ut vidéret diem meum: vidit, et gavísus est.

Capitulum Ier. 17

Confundántur qui me persequúntur, et non confúndar ego: páveant illi, et non páveam ego: induc super eos diem afflictiónis et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

℟. Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum. * Lætábor ego super elóquia tua. ℣. Quasi qui invénit spólia multa. Lætábor. ℟. Príncipes.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Tu autem, hymnus Vexílla Regis et ℣. Eripe me 608.

Ad Magnif. ant. Tulérunt lápides Iudæi, ut iácerent in eum: Iesus autem abscóndit se et exívit de templo.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: ut te largiénte regátur in córpore, et te servánte custodiátur in mente. Per.

In Officio feriali tempore Passionis

usque ad Cenam Domini

AD MATUTINUM

Invit. Adorémus Dóminum, * Qui nos redémit per crucem.

¶ In fine psalmi Veníte, bis ex integro repetitur invitatorium, prætermisso Glória Patri.

Hymnus

Pange, lingua, gloriósi
Prœlium certáminis,
Et super Crucis tropháeum
Dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
Morsu in mortem córruit,
Ipse lignum tunc notávit,
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde
Hostis unde láserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus, orbis Cónditor,
Ac de ventre virgináli
Caro factus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo mater álligat,
Et manus, pedésque et crura
Stricta cingit fáscia.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito:
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

Antiphonæ et psalmi de feria, cum ℣. de tempore Passionis, ut in Psalterio.
Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

Psalmi de feria, 2 loco, sub suis antiphonis, ut in Psalterio, præterquam in feriis Hebdomadæ sanctæ, in quibus habentur antiphonæ propriæ.

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus

Lustris sex qui iam peráctis
Tempus implens córporis,
Se volénte natus ad hoc,
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stípite.

Hic acétum, fel, arúndo,
Spina, clavi, láncea:
Mite corpus perforátur,
Sanguis, unda prófluit:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sústinet.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas,
Ut supérni membra Regis
Miti tendas stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre sæcli prétium,
Atque portum præparáre
Nauta mundo náufrago:
Quem sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito:
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. antiphona propria.

Dicuntur preces.

Oratio propria.

Ad Pretiosa legendum est de Regula.

Ad Horas super psalmos feriæ currentis antiphonæ de tempore Passionis, ut in Psalterio.

AD PRIMAM

Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

Postea immediate subiungitur

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.
Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per.

AD TERTIAM

Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * Et de manu canis únicam meam. ℣. Salva me ex ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Et de manu. ℟. Erue a frámea. ℣. De ore leónis líbera me, Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Dicuntur preces.
Oratio Laudum.

AD SEXTAM

Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Capitulum Is. 50

Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus.

℟. De ore leónis líbera me, Dómine: * Et a córnibus unicórnium humilitátem meam. ℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam, et de manu canis únicam meam. Et a córnibus. ℟. De ore.

℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Dicuntur preces.
Oratio Laudum.

AD NONAM

Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Capitulum Ier. 17

Confundántur qui me persequúntur, et non confúndar ego: páveant illi, et non páveam ego: induc super eos diem afflictiónis et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

℟. Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum. * Lætábor ego super elóquia tua. ℣. Quasi qui invénit spólia multa. Lætábor. ℟. Príncipes.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Dicuntur preces.
Oratio Laudum.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi ut in Psalterio.

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine
Dicens: In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cuius bráchiis
Sæcli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

Hic genuflectitur usque ad Te, summa.

O Crux, ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore
Auge piis iustítiam,
Reísque dona véniam.

Te, summa, Deus, Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sæcula.
Amen.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. antiphona propria.
Dicuntur preces.
Oratio propria.

AD COMPLETORIUM

Antiphona et psalmi de feria.
Reliqua ut in Ordinario 564, cum variationibus ibidem 567 pro tempore Passionis notatis.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 7

In illo témpore: Miserunt príncipes et pharisæi minístros ut apprehénderent Iesum. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 31 in Ioan. circa med.

Quómodo apprehénderent adhuc noléntem? Quia ergo non póterant apprehéndere noléntem, missi sunt ut au-

dírent docéntem. Quid docéntem? Dixit ergo eis Iesus: Adhuc módicum tempus vobíscum sum. Quod modo vultis fácere, factúri estis; sed non modo, quia modo nolo. Quare adhuc modo nolo? Quia adhuc módicum tempus vobíscum sum, et tunc vado ad eum qui me misit. Implére débeo dispensatiónem meam et sic pervenire ad passiónem meam.

℟. i. Isti sunt dies, quos observáre debétis tempóribus suis. * Quartadécima die ad vésperum Pascha Dómini est: et in quintadécima solemnitátem celebrábitis altíssimo Dómino. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël, et dices ad eos. - Quartadécima.

Lectio ii

Quærétis me, et non inveniétis: et ubi sum ego, vos non potéstis veníre. Hic iam resurrectiónem suam prædíxit. Noluérunt enim eum agnóscere præséntem, et póstea quæsiérunt, cum vidérent in eum multitúdinem iam credéntem. Magna enim signa facta sunt, étiam cum Dóminus resurréxit et ascéndit in cælum. Tunc per discípulos facta sunt signa magna: sed ille per illos, qui et per seípsum. Ipse quippe illis díxerat: Sine me nihil potéstis fácere.

℟. ii. Multiplicáti sunt qui tríbulant me, et dicunt: Non est salus illi in Deo eius: * Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus. ℣. Nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum. - Exsúrge, Dómine.

Lectio iii

Quando claudus ille, qui sedébat ad portam, ad vocem Petri surréxit et suis pédibus ambulávit, ita ut hómines miraréntur, sic eos allocútus est Petrus: Quia non in sua potestáte ista fecit, sed in virtúte illíus, quem ipsi occidérunt. Multi compúncti dixérunt: Quid faciémus? Vidérunt enim se ingénti crímine impietátis adstrictos, quando illum occidérunt, quem venerári et adoráre debuérunt: et hoc putábant esse inexpiábile. Magnum enim fácinus erat, cuius considerátio illos fáceret desperáre: sed non debébant desperáre, pro quibus in cruce pendens Dóminus dignátus est oráre.

℟. iii. Qui custodiébant

ánimam meam, consílium fecérunt in unum, dicéntes: * Deus derelíquit eum, persequímini et comprehéndite eum: quia non est qui líberet eum. Deus meus, ne elongéris a me: Deus meus, in adiutórium meum inténde. ℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes. - Deus derelíquit eum. ℟. Qui custodiébant.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. In die magno festivitátis stabat Iesus et clamábat dicens: Si quis sitit, véniat ad me et bibat.

Oratio

Sanctífica, quæsumus, Dómine, nostra ieiúnia; et cunctárum nobis indulgéntiam propítius largíre culpárum. Per.

AD VESPERAS

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Si quis sitit, véniat ad me et bibat: et de ventre eius fluent aquæ vivæ.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis: ut bonis opéribus inhæréndo, tua semper mereátur protectióne deféndi. Per.

Feria tertia

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 7

In illo témpore: Ambulábat Iesus in Galiléam: non enim volébat in Iudæam ambuláre, quia quærébant eum Iudæi interfícere. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 28 in Ioann. ab initio

In isto Evangélii capítulo, fratres, Dóminus noster Iesus Christus secúndum hóminem se plúrimum commendávit fídei nostræ. Etenim semper hoc egit dictis et factis suis, ut Deus credátur et homo: Deus, qui nos fecit: homo, qui nos quæsívit: Deus cum Patre semper, homo nobíscum ex témpore. Non enim quæreret quem fécerat, nisi fíeret ipse quod fécerat. Verum hoc mentóte, et de cór-

dibus vestris nolíte dimíttere: sic esse Christum hóminem factum, ut non destíterit Deus esse.

℟. i. Deus meus es tu, ne discédas a me: * Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. ℣. Deus Deus meus, réspice in me. - Quóniam.

Lectio ii

Manens Deus accépit hóminem, qui fecit hóminem. Quando ergo látuit ut homo, non poténtiam perdidísse putándus est, sed exémplum infirmitáti præbuísse. Ille enim, quando vóluit, deténtus est; quando vóluit, occísus est. Sed quóniam futúra erant membra eius, id est, fidéles eius, qui non habérent illam potestátem, quam habébat ipse Deus noster: quod latébat, quod se, tamquam ne occideréetur, occultábat; hoc indicábat factúra esse membra sua, in quibus útique membris suis ipse erat.

℟. ii. Tota die contristátus ingrediébar, Dómine, quóniam ánima mea impléta est illusiónibus: * Et vim faciébant qui quærébant ánimam meam. ℣. Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: et dolos tota die meditabántur. - Et vim faciébant.

Lectio iii

Non enim Christus in cápite, et non in córpore: sed Christus totus in cápite et in córpore. Quod ergo membra eius, ipse: quod autem ipse, non contínuo membra eius. Nam, si ipsi non essent membra eius, non díceret Saulo: Quid me perséqueris? Non enim Saulus ipsum, sed membra eius, id est, fidéles eius, in terra persequebátur. Nóluit tamen dícere, sanctos meos, servos meos, postrémo honorabílius, fratres meos; sed Me, hoc est membra mea, quibus ego sum caput.

℟. iii. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis et iníqui: * Quóniam tu es patiéntia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me. - Quóniam. ℟. Deus meus.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Tempus meum nondum advénit: tempus autem vestrum semper est parátum.

Oratio

Nostra tibi, Dómine, quæsumus, sint accépta ieiúnia: quæ nos et expiándo grátia tua dignos effíciant, et ad remédia perdúcant ætérna. Per Dóminum.

AD VESPERAS

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Vos ascéndite ad diem festum hunc: ego non ascéndam, quia tempus meum nondum advénit.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, perseveránтem in tua voluntáte famulátum; ut in diébus nostris et mérito et número pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Feria quarta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 10

In illo témpore: Facta sunt encænia in Ierosólymis: et hiems erat. Et ambulábat Iesus in templo, in pórticu Salomónis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 48 in Ioan. circa init.

Encænia festívitas erat dedicatiónis templi. Græce enim cænon dícitur novum. Quandocúmque novum áliquid fúerit dedicátum, encænia vocántur. Iam et usus habet hoc verbum. Si quis nova túnica induátur, encæniáre dícitur. Illum enim diem, quo templum dedicátum est, Iudæi solémniter celebrábant. Ipse dies festus agebátur, cum ea, quæ lecta sunt, locútus est Dóminus.

℟. i. Adiútor et suscéptor meus es tu, Dómine: et in verbum tuum sperávi: * Declináte a me, malígni, et scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Iníquos ódio hábui: et legem tuam diléxi. - Declináte.

Lectio ii

Hiems erat, et ambulábat Iesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Iudæi, et dixérunt ei: Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritátem desiderábant, sed calúmniam præparábant. Hiems erat, et ídeo frígidi erant: ad illum enim divínum ignem

accédere pigri erant. Si accédere est crédere: qui credit, accédit: qui negat, recédit. Non movétur ánima pédibus, sed affléctibus.

℟. ii. In te iactátus sum ex útero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discédas a me: * Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. ℣. Salva me ex ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam. - Quóniam.

Lectio iii

Frigúerant a diligéndi caritáte, et ardébant nocéndi cupiditáte. Longe áberant, et ibi erant: non accedébant credéndo, et premébant persequéndo. Quærébant audíre a Dómino, Ego sum Christus: et fortásse de Christo secúndum hóminem sapiébant. Prædicavérunt enim prophétæ Christum; sed divinitátem Christi et in prophétis et in ipso Evangélio nec hærétici intélligunt: quanto minus Iudæi, quámdiu velámen est super cor eórum!

℟. iii. In próximo est tribulátio mea, Dómine, et non est qui ádiuvet: ut fódiant manus meas et pedes meos: líbera me de ore leónis: * Ut enárrem nomen tuum frátribus meis. ℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: et de manu canis únicam meam. - Ut enárrem. ℟. In próximo est.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Oves meæ vocem meam áudiunt: et ego Dóminus agnósco eas.

Oratio

Sanctificáto hoc ieiúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illústra: et, quibus devotiónis præstas afféctum, præbe supplicántibus pium benígnus audítum. Per.

AD VESPERAS

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Multa bona ópera operátus sum vobis: propter quod opus vultis me occídere?

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per.

Feria quinta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 7

In illo témpore: Rogábat Iesum quidam de pharisæis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisæi discúbuit. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 33 in Evang.

Cogitánti mihi de Maríæ Magdalénæ pæniténtia, flere magis libet quam áliquid dícere. Cuius enim vel sáxeum pectus illæ huius peccatrícis lácrimæ ad exémplum pæniténdi non emólliant? Considerávit namque quid fecit, et nóluit moderári quid fáceret. Super convivántes ingréssa est, non iussa venit, inter épulas lácrimas óbtulit. Díscite quo dolóre ardet, quæ flere et inter épulas non erubéscit.

℟. i. Isti sunt dies, quos observáre debétis tempóribus suis. * Quartadécima die ad vésperum Pascha Dómini est: et in quintadécima solemnitátem celebrábitis altíssimo Dómino. ℣. Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël, et dices ad eos. - Quartadécima.

Lectio ii

Hanc vero, quam Lucas peccatrícem mulíerem, Ioánnes Maríam nóminat, illam esse Maríam crédimus, de qua Marcus septem dæmónia eiécta fuísse testátur. Et quid per septem dæmónia, nisi univérsa vítia designántur? Quia enim septem diébus omne tempus comprehénditur, recte septenário número univérsitas figurátur. Septem ergo dæmónia María hábuit, quæ univérsis vítiis plena fuit.

℟. ii. Multiplicáti sunt qui tríbulant me, et dicunt: Non est salus illi in Deo eius: * Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus. ℣. Nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum. - Exsúrge.

Lectio iii

Sed ecce, quia turpitúdinis suæ máculas aspéxit, lavánda ad fontem misericórdiæ cucúrrit, convivántes non erúbuit. Nam quia semetípsam gráviter erubescébat intus, nihil esse crédidit, quod verecundarétur foris. Quid ígitur mirámur, fratres? Maríam veniéntem, an Dó-

minum suscipiéntem? Suscipiéntem dicam, an traléntem? Sed mélius traléntem dicam et suscipiéntem: quia nimírum ipse eam per misericórdiam traxit intus, qui per mansuetúdinem suscépit foris. ℟. iii. Qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum, dicéntes: * Deus derelíquit eum, persequímini et comprehéndite eum: quia non est qui líberet eum. Deus meus, ne elongéris a me: Deus meus, in adiutórium meum inténde. ℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes. - Deus derelíquit eum. ℟. Qui custodiébant.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Quid molésti estis huic mulíeri? opus enim bonum operáta est in me.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut dignitas conditiónis humánæ, per immoderántiam sauciáta, medicinális parsimóniæ stúdio reformétur. Per.

AD VESPERAS

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Mittens hæc múlier in corpus meum hoc unguéntum, ad sepeliéndum me fecit.

Oratio

Esto, quæsumus, Dómine, propítius plebi tuæ: ut, quæ tibi non placent respuéntes, tuórum pótius repleántur delectatiónibus mandatórum. Per.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 11

In illo témpore: Collegérunt pontífices et pharisæi concílium advérsus Iesum, et dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 49 in Ioan. sub fine

Pontífices et pharisæi sibi consulébant: nec tamen dicébant, Credámus. Plus enim pérditi hómines cogitábant quómodo nocérent, ut pérderent, quam quómodo sibi consúlerent, ne perírent. Et tamen timébant, et quasi consulébant. Dicébant enim: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum: et vénient Románi et tollent nostrum locum et gentem.

℟. i. Deus meus es tu, ne discédas a me: * Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. ℣. Deus Deus meus, réspice in me. - Quóniam.

Lectio ii

Temporália pérdere timuérunt, et vitam ætérnam non cogitavérunt, ac sic utrúmque amisérunt. Nam et Románi post Dómini passiónem et glorificatiónem, tulérunt eis locum et gentem, expugnándo et transferéndo: et illud eos séquitur, quod álibi dictum est: Fílii autem regni huius ibunt in ténebras exterióres. Hoc autem timuérunt, ne, si omnes in Christum créderent, nemo remanéret, qui advérsus Romános civitátem Dei templúmque defénderet: quóniam contra ipsum templum et contra suas patérnas leges doctrínam Christi esse sentiébant.

℟. ii. Tota die contristátus ingrediébar, Dómine, quóniam ánima mea impléta est illusiónibus: * Et vim faciébant qui quærébant ánimam meam. ℣. Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: et dolos tota die meditabántur. - Et vim faciébant.

Lectio iii

Unus autem ex ipsis, Cáiphas, cum esset póntifex anni illíus, dixit eis: Vos nescítis quidquam, nec cogitátis quia éxpedit vobis ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Hoc autem a semetípso non dixit: sed cum esset póntifex anni illíus, prophetávit. Hic docémur, étiam hómines malos prophetíæ spíritu futúra prædícere. Quod tamen Evangelísta divíno tríbuit sacraménto, quia póntifex fuit, id est, summus sacérdos.

℟. iii. Deus meus, éripe me de manu peccatóris, et de manu contra legem agéntis et iníqui: * Quóniam tu es patiéntia mea. ℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me. - Quóniam. ℟. Deus meus.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Appropinquábat autem dies festus: et quærébant príncipes sacerdótum quómodo Iesum interfícerent, sed timébant plebem.

Oratio

Córdibus nostris, quæsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: ut, peccáta nostra castigatióne voluntária cohibéntes; temporáliter pótius macerémur, quam supplíciis deputémur ætérnis. Per.

Memoria Compassionis B. Mariæ Virg.

Ant. Ecce pósitus est hic in signum cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

℣. Maria Virgo, per virtútem tot dolórum. ℟. Fac nos gaudére in regno cælórum.

Oratio

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine Iesu Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam cleméntiam beáta Virgo María mater tua: cuius sacratíssimam ánimam in hora benedíctæ passiónis tuæ dolóris gládius pertransívit, et in gloriósa resurrectióne tua ingens gáudium lætificávit: Qui vivis et regnas.

AD VESPERAS

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Príncipes sacerdótum consílium fecérunt ut Iesum occíderent. Dicébant autem: Non in die festo, ne forte tumúltus fíeret in pópulo.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus; liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per.

Sabbato

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 12

In illo témpore: Cogitavérunt príncipes sacerdótum ut et Lázarum interfícerent: quia multi propter illum abíbant ex Iudæis et credébant in Iesum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 50 in Ioan. in fine

Viso Lázaro resuscitáto, quia tantum miráculum Dómini tanta erat evidéntia diffamátum, tanta manifestatióne declarátum, ut non possent vel occultáre quod factum est, vel negáre: quid invenérunt, vidéte. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum ut et Lázarum interfícerent. O stulta cogitátio et cæca sævítia: Dóminus Christus, qui suscitáre pótuit mórtuum, non posset occísum? Quando Lázaro inferebátis necem, numquid auferebátis Dómino potestátem? Si áliud vobis vidétur mórtuus, áliud occísus: ecce Dóminus utrúmque fecit, et Lázarum mórtuum et seípsum suscitávit occísum.

℟. i. Adiútor et susceptor meus es tu, Dómine: et in verbum tuum sperávi: * Declináte a me, malígni, et scrutábor mandáta Dei mei. ℣. Iníquos ódio hábui: et legem tuam diléxi. - Declináte.

Lectio ii

Tract. 51 in Ioannem

In crástinum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cum audíssent quia venit Iesus Ierosólymam: accepérunt ramos palmárum et processérunt óbviam ei, et clamábant: Hosánna! Benedíctus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israël. Rami palmárum laudes sunt, significántes victóriam; quia erat Dóminus mortem moriéndo superatúrus, et trophæo crucis de diábolo mortis príncipe triumphatúrus.

℟. ii. In te iactátus sum ex útero: de ventre matris meæ Deus meus es tu, ne discédas a me: * Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. ℣. Salva me ex ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam. - Quóniam.

Lectio iii

Has ei laudes turba dicébat: Hosánna! Benedíctus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israël. Quam crucem mentis invidéntia príncipum Iudæórum pérpeti potúerat, quando Regem suum Christum tanta multitúdo clamábat? Sed quid fuit Dómino, Regem esse Israël? Quid magnum fuit Regi sæculórum, regem fieri hóminum? Non enim Rex Israël Christus ad exigéndum tribútum, vel exércitum ferro armándum,

hostésque visibíliter debellándos; sed Rex Israël, quod mentes regat, quod in ætérnum cónsulat, quod in regnum cælórum credéntes, sperántes, amantésque perdúcat.

℟. iii. In próximo est tribulátio mea, Dómine, et non est qui ádiuvet: ut fódiant manus meas et pedes meos: líbera me de ore leónis: * Ut enárrem nomen tuum frátribus meis. ℣. Erue a fráמea, Deus, ánimam meam: et de manu canis únicam meam. - Ut enárrem. ℟. In próximo est.

AD LAUDES

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar.

Oratio

Profíciat, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis afféctu: ut, sacris actiónibus erudíta, quanto maiestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur. Per Dóminum.

Dominica II in Passione seu in ramis palmarum

I classis

AD I VESPERAS

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

℟. Circumdedérunt me viri mendáces: sine causa flagéllis cecidérunt me. * Sed tu, Dómine, defénsor víndica me. ℣. Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. - Sed tu. ℟. Circumdedérunt.

Hymnus

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine
Dicens: In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cuius bráchiis
Sæcli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

Hic genuflectitur usque ad Te, summa.

O Crux, ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore
Auge piis iustítiam,
Reísque dona véniam.

Te, summa, Deus, Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:
Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sæcula. Amen.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Ad Magnif. ant. Clarífica me, Pater, apud temetípsum claritáte, quam hábui priúsquam mundus fíeret.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti; concéde propítius: ut et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúndem Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Ipsi vero non cognovérunt vias meas: * Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Ipsi vero non cognovérunt vias meas: Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus et procidámus ante Deum: plorémus coram

Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus eius, et oves páscuæ eius.

Ipsi vero non cognovérunt vias meas: Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

℣. Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde.

Non dicitur Glória Patri, sed statim bis ex integro repetitur invitatorium:

Ipsi vero non cognovérunt vias meas: Quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam. Ipsi vero...

Hymnus Pange, lingua 571.

In Nocturno

De Ieremía Prophéta

Lectio i Cap. 12

Iustus quidem tu es, Dómine, si dísputem tecum: verúmtamen iusta loquar ad te: Quare via impiórum prosperátur: bene est ómnibus qui prævaricántur et iníque agunt? Plantásti eos, et radícem misérunt: proficiunt et fáciunt fructum: Prope es tu ori eórum, et longe a rénibus eórum. Et tu, Dómine, nosti me: vidísti me et probásti cor meum tecum. Cóngrega eos quasi gregem ad victimam, et sanctífica eos in die occisiónis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. In die, qua invocávi te, Dómine, dixísti: Noli timére. Iudicásti causam meam et liberásti me, * Deus meus. ℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, quia exaudísti me. - Deus meus.

Lectio ii

Usquequo lugébit terra, et herba omnis regiónis siccábitur propter malítiam habitántium in ea? Consúmptum est ánimal et vólucre, quóniam dixérunt: Non vidébit novíssima nostra. Si cum pedítibus currens laborásti: quómodo conténdere póteris cum equis? Cum autem in terra pacis secúrus fúeris, quid fácies in supérbia Iordánis? Nam et fratres tui et domus patris tui, étiam ipsi pugnavérunt advérsum te et clamavérunt post te plena voce: ne credas eis, cum locúti fúerint tibi bona. Relíqui domum meam, dimísi hereditátem meam: dedi dilectam ánimam meam in manu inimicórum eius. Facta est mihi heréditas mea quasi leo in silva: dedit contra me vocem, ídeo odívi eam. Numquid avis díscolor heréditas mea mihi? Numquid avis tincta per totum? Veníte, congregámini, omnes béstiæ terræ, properáte ad devorándum. Pastóres multi demolíti sunt víneam meam, conculcavérunt partem meam: dedérunt portiónem meam desiderábilem in desértum solitúdinis. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. ii. Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum: * Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? ℣. Recordáre quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum et avérterem indignatiónem tuam ab eis. - Numquid.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio iii Cap. 21

In illo témpore: Cum appropinquásset Iesus Ierosólymis et venísset Béthphage ad montem Olivéti: tunc misit duos discípulos, dicens eis: Ite in castéllum, quod contra vos est, et statim inveniétis ásinam alligátam et pullum cum ea: sólvite, et addúcite mihi. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

In Dominica Palmarum

Mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus (qui pro humáni géneris salúte passúrus de cælo descénderat ad terras) appropinquánte hora passiónis, appropinquáre vóluit loco passiónis, ut étiam per hoc claréscerет, quia non invítus, sed sponte patерétur. In ásino veníre, et a turbis Rex appellári ac laudári vóluit, ut étiam per hoc erudítus quisque cognósceret ipsum esse Christum, quem sic illo ventúrum prophetía olim præmíssa signáverat. Ante quinque dies Paschæ veníre vóluit, sicut ex Ioánnis Evangélio didícimus: ut étiam per hoc ostén-

deret se esse Agnum immaculátum, qui peccáta tólleret mundi.

℟. iii. Circumdedérunt me viri mendáces: sine causa flagéllis cecidérunt me. * Sed tu, Dómine, defénsor víndica me. ℣. Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. - Sed tu. ℟. Circumdedérunt me.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Dóminus Deus auxiliátor meus: et ídeo non sum confúsus.

Psalmus Miserére cum ceteris 584.

2. Circumdántes circumdedérunt me: et in nómine Dómini vindicábor in eis.

3. Iúdica causam meam: defénde, quia potens es, Dómine.

4. Cum Angelis et púeris fidéles inveniámur, triumphatóri mortis clamántes: Hosánna in excélsis!

5. Confundántur qui me persequúntur, et non confúndar ego, Dómine Deus meus.

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis; tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus

Lustris sex qui iam peráctis
Tempus implens córporis,
Se volénte natus ad hoc,
Passióni déditus,
Agnus in crucis levátur
Immolándus stípite.

Hic acétum, fel, arúndo,
Spina, clavi, láncea:
Mite corpus perforátur,
Sanguis, unda prófluit:
Terra, pontus, astra, mundus,
Quo lavántur flúmine!

Crux fidélis, inter omnes
Arbor una nóbilis:
Nulla silva talem profert
Fronde, flore, gérmine:
Dulce lignum, dulces clavos,
Dulce pondus sústinet.

Flecte ramos, arbor alta,
Tensa laxa víscera,
Et rigor lentéscat ille,
Quem dedit natívitas,
Ut supérni membra Regis
Miti tendas stípite.

Sola digna tu fuísti
Ferre sæcli prétium,
Atque portum præparáre
Nauta mundo náufrago:

Quem sacer cruor perúnxit
Fusus Agni córpore.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito:
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

Ad Bened. ant. Turba multa, quæ convénerat ad diem festum, clamábat Dómino: Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Hosánna in excélsis!

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti, concéde propítius: ut et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúndem.

AD PRIMAM

Ant. Hosánna fílio David: benedíctus qui venit in nómine Dómini!

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Post capitulum Regi sæculórum, omisso ℟. Iesu Christe, statim dicitur:

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

AD TERTIAM

Ant. Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via, et clamábant dicéntes: Hosánna fílio David: benedíctus qui venit in nómine Dómini!

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * Et de manu canis únicam meam. ℣. Salva me ex ore leónis: et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Et de manu canis únicam meam. ℟. Erue a frámea, Deus, ánimam meam: Et de manu canis únicam meam.

℣. De ore leónis líbera me, Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

AD SEXTAM

Ant. Púeri Hebræórum tolléntes ramos olivárum, obviavérunt Dómino, clamántes et dicéntes: Hosánna in excélsis!

Capitulum Is. 50

Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me: Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus.

℟. De ore leónis líbera me, Dómine: * Et a córnibus unicórnium humilitátem meam. ℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam, et de manu canis únicam meam. Et a córnibus. ℟. De ore.

℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri, ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere et crucem subíre fecísti, concéde propítius: ut et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúndem.

AD NONAM

Ant. Occúrrunt turbæ cum flóribus et palmis Redemptóri óbviam, et victóri triumphánti digna dant obséquia: Fílium Dei ore gentes prædicant, et in laudem Christi voces tonant per núbila: Hosánna!

Capitulum Ier. 17

Confundántur qui me persequúntur, et non confúndar ego: páveant illi, et non páveam ego: induc super eos diem afflictiónis et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

℟. Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum. * Lætábor ego super elóquia tua. ℣. Quasi qui invénit spólia multa. Lætábor ego. ℟. Príncipes.

℣. Eripe me de inimícis meis, Deus meus. ℟. Et ab insurgéntibus in me líbera me.

AD II VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de dominica, ut in Psalterio 604.

Capitulum Tu autem, hymnus Vexilla Regis et ℣. Eripe me 608.

Ad Magnif. ant. Cœpérunt omnes turbæ descendéntium gaudéntes laudáre Deum voce magna super ómnibus quas víderant virtútibus, dicéntes: Benedíctus qui venit Rex in nómine Dómini: pax in cælo, et glória in excélsis.

Feria secunda
Hebdomadæ sanctæ
I classis

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 12

Ante sex dies Paschæ venit Iesus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Iesus. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 50 in Ioan. post init.

Ne putárent hómines phantásma esse factum, quia mórtuus resurréxit, Lázarus unus erat ex recumbéntibus: vivébat, loquebátur, epulabátur, véritas ostendebátur, infidélitas Iudæórum confundebátur. Discumbébat ergo Iesus cum Lázaro et céteris: ministrábat Martha, una ex soróribus Lázari.

℟. i. In die, qua invocávi te, Dómine, dixísti: Noli timére. Iudicásti causam meam et liberásti me, * Deus meus. ℣. In die tribulatiónis meæ clamávi ad te, quia exaudísti me. - Deus meus.

Lectio ii

María vero, áltera soror Lázari, accépit libram unguénti nardi pístici pretiósi, et unxit pedes Iesu, et extérsit capíllis suis pedes eius, et domus impléta est ex odóre unguénti. Factum audívimus: mystérium requirámus. Quæcúmque ánima fidélis vis esse, cum María unge pedes Dómini pretióso unguénto. Unguéntum illud iustítia fuit, ídeo libra fuit.

℟. ii. Fratres mei elongavérunt se a me: et noti mei * Quasi aliéni recessérunt a me. ℣. Dereliquérunt me próximi mei: et qui me novérunt. - Quasi aliéni recessérunt a me.

Lectio iii

Erat autem unguéntum nardi pístici pretiósi. Pistis græce, fides latíne dícitur. Quærébas operári iustítiam? Iustus ex fide vivit. Unge pedes Iesu bene vivéndo: Domínica sectáre vestígia. Capíllis terge: si habes supérflua, da paupéribus, et Dómini pedes tersísti: capílli enim supérflua córporis vidéntur. Habes quod agas de supérfluis tibi. Tibi supérflua sunt, sed Dómini pédibus necessária sunt.

℟. iii. Atténde, Dómine, ad me, et audi voces adversariórum meórum: * Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? ℣. Recordáre quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum et avérterem indignatiónem tuam ab eis. - Numquid rédditur. ℟. Atténde, Dómine.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Fáciem meam non avérti ab increpántibus et conspuéntibus in me.

Psalmi de feria 2 loco 628.

2. Frámea, suscitáre advérsus eos qui dispérgunt gregem meum.

3. Appendérunt mercédem meam trigínta argénteis, quibus appretiátus sum ab eis.

4. Inundavérunt aquæ super caput meum: dixi: Périi; invocábo nomen tuum, Dómine Deus.

5. Lábia insurgéntium et cogitatiónes eórum vide, Dómine.

Ad Bened. ant. Non habéres in me potestátem, nisi désuper datum tibi fuísset.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui in tot advérsis ex nostra infirmitáte defícimus, intercedénte unigéniti Fílii tui passióne respirémus: Qui tecum vivit.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Potestátem hábeo ponéndi ánimam meam et íterum suméndi eam.

Oratio

Adiuva nos, Deus, salutáris noster; et ad benefícia recolénda, quibus nos instauráre dignátus es, tríbue veníre gaudéntes. Per.

Feria tertia
Hebdomadæ sanctæ
I classis

AD MATUTINUM

De Ieremía Prophéta

Lectio i Cap. 20

Seduxísti me, Dómine, et sedúctus sum; fórtior me fuísti et invaluísti: factus sum in derísum tota die, omnes subsánnant me. Quia iam olim loquor, vocíferans iniquitátem et vastitátem clámito: et factus est mihi sermo Dómini in oppróbrium et in derísum tota die. Et dixi: Non recordábor eius, neque loquar ultra in nómine illíus: et factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausúsque in óssibus meis: et deféci, ferre non sústinens. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Conclúsit vias meas inimícus, insidiátor factus est mihi, sicut leo in abscóndito: replévit et inebriávit me amaritúdine: deduxérunt in lacum mortis vitam meam, et posuérunt lápidem contra me. * Vide, Dómine, iniquitátes illórum: et iúdica causam ánimæ meæ, defénsor vitæ meæ. ℣. Factus sum in derísum omni pópulo meo, cánticum eórum tota die. - Vide, Dómine.

Lectio ii

Audívi enim contumélias multórum et terrórem in circúitu: Persequímini, et persequámur eum; ab ómnibus viris qui erant pacífici mei et custodiéntes latus meum: Si quómodo decipiátur, et prævaleámus advérsus eum et consequámur ultiónem ex eo. Dóminus autem mecum est, quasi bellátor fortis; idcírco qui persequúntur me cadent et infírmi erunt: confundéntur veheménter, quia non intellexérunt oppróbrium sempitérnum, quod numquam delébitur. Et tu, Dómine exercítuum, probátor iusti, qui vides renes et cor, vídeam, quæso, ultiónem tuam ex eis; tibi enim revelávi causam meam. Cantáte Dómino, laudáte Dóminum, quia liberávit ánimam páuperis de manu malórum. Hæc dicit...

℟. ii. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam: ne avértas fáciem tuam a me: quóniam tríbulor, exáudi me, * Deus meus. ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. - Deus meus.

Lectio iii

Maledícta dies in qua natus sum! dies in qua péperit me mater mea, non sit benedícta! Maledíctus vir qui annuntiávit patri meo, dicens: Natus est tibi puer másculus, et quasi gáudio lætificávit eum! Sit homo ille ut sunt civitátes quas subvértit Dóminus, et non pænítuit eum; áudiat clamórem mane et ululátum in témpore meridiáno; qui non me interfécit a vulva, ut fíeret mihi mater mea sepúlcrum, et vulva eius concéptus ætérnus! Quare de vulva egréssus sum, ut vidérem labórem et dolórem, et consummeréntur in confusióne dies mei? Hæc dicit...

℟. iii. Noli esse mihi, Dómine, aliénus, parce mihi in die mala: confundántur omnes qui me persequúntur, * Et non confúndar ego. ℣. Confundántur omnes inimíci mei qui quærunt ánimam

meam, ut áuferant eam. - Et non confúndar ego. ℟. Noli esse mihi, Dómine, aliénus, parce mihi in die mala: confundántur omnes qui me persequúntur, et non confúndar ego.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Vide, Dómine, et consídera quóniam tríbulor: velóciter exáudi me.

Psalmi de feria 2 loco 658.

2. Discérne causam meam, Dómine: ab hómine iníquo et dolóso éripe me.

3. Dum tribulárer, clamávi ad Dóminum de ventre ínferi: et exaudívit me.

4. Dómine, vim pátior, respónde pro me: quia néscio quid dicam inimícis meis.

5. Dixérunt ímpii: Opprimámus virum iustum, quóniam contrárius est opéribus nostris.

Ad Bened. ant. Nemo tollet ánimam meam, sed ego pono eam et íterum sumo eam.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, da nobis ita Domínicæ passiónis sacraménta perágere; ut indulgéntiam percípere meréamur. Per eúndem.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Quotídie apud vos eram in templo docens, et non me tenuístis: et ecce flagellátum dúcitis ad crucifigéndum.

Oratio

Tua nos misericórdia, Deus, et ab omni subreptióne vetustátis expúrget, et capáces sanctæ novitátis efficiat. Per.

Feria quarta
Hebdomadæ sanctæ
I classis

AD MATUTINUM

De Ieremía Prophéta

Lectio i Cap. 26

Cumque complésset Ieremías loquens ómnia, quæ præcéperat ei Dóminus ut loquerétur ad univérsum pópulum, apprehendérunt eum sacerdótes et prophétæ et omnis pópulus, dicens: Morte moriátur. Quare prophetávit in nómine Dómini, dicens: Sicut Silo erit domus hæc: et urbs ista desolábitur, eo quod non sit habitátor? Et congregátus est omnis pópulus advérsus Ieremíam in domo

Dómini. Et audiérunt príncipes Iuda verba hæc, et ascendérunt de domo regis in domum Dómini, et sedérunt in intróitu portæ domus Dómini novæ. Et locúti sunt sacerdótes et prophétæ ad príncipes et ad omnem pópulum, dicéntes: Iudícium mortis est viro huic, quia prophetávit advérsus civitátem istam, sicut audístis áuribus vestris. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis. ℟. Deo grátias.

℟. i. Dóminus mecum est, tamquam bellátor fortis: proptérea persecúti sunt me, et intellígere non potuérunt: Dómine, probans renes et corda, * Tibi revelávi causam meam. ℣. Vidísti, Dómine, iniquitátes eórum advérsum me: iúdica iudícium meum. - Tibi revelávi.

Lectio ii

Et ait Ieremías ad omnes príncipes et ad univérsum pópulum, dicens: Dóminus misit me ut prophetárem ad domum istam et ad civitátem hanc ómnia verba quæ audístis. Nunc ergo bonas fácite vias vestras et stúdia vestra, et audíte vocem Dómini Dei vestri, et pænitébit Dóminum mali quod locútus est advérsum vos. Ego autem ecce in mánibus vestris sum; fácite mihi quod bonum et rectum est in óculis vestris. Verúmtamen scitóte et cognóscite quod, si occidéritis me, sánguinem innocéntem tradétis contra vosmetípsos et contra civitátem istam et habitatóres eius; in veritáte enim misit me Dóminus ad vos, ut lóquerer in áuribus vestris ómnia verba hæc. Hæc dicit...

℟. ii. Dixérunt ímpii apud se non recte cogitántes: Circumveniámus iustum, quóniam contrárius est opéribus nostris; promíttit se sciéntiam Dei habére, fílium Dei se nóminat, et gloriátur Patrem se habére Deum: videámus si sermónes illíus veri sunt. Et si est verus fílius Dei, líberet illum de mánibus nostris: * Morte turpíssima condemnémus eum. ℣. Tamquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nostris tamquam ab immundítiis, et præfert novíssima iustórum. - Morte turpíssima condemnémus eum.

Lectio iii

Et dixérunt príncipes et omnis pópulus ad sacerdótes et ad prophétas:

Non est viro huic iudícium mortis, quia in nómine Dómini Dei nostri locútus est ad nos. Surrexérunt ergo viri de senióribus terræ et dixérunt ad omnem cœtum pópuli, loquéntes: Michæas de Morásthi fuit prophéta in diébus Ezechíæ regis Iuda et ait ad omnem pópulum Iuda, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Sion quasi ager arábitur, et Ierúsalem in acérvum lápidum erit, et mons domus in excélsa silvárum. Numquid morte condemnávit eum Ezechías rex Iuda et omnis Iuda? numquid non timuérunt Dóminum et deprecáti sunt fáciem Dómini, et pœnítuit Dóminum mali quod locútus fúerat advérsum eos? Itaque nos fácimus malum grande contra ánimas nostras. Hæc dicit...

℟. iii. Circumdedérunt me viri mendáces: sine causa flagéllis cecidérunt me. * Sed tu, Dómine, defénsor víndica me. ℣. Quóniam tribulátio próxima est, et non est qui ádiuvet. - Sed tu. ℟. Circumdedérunt me.

Ante Laudes ℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus meus: et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Psalmi de feria 2 loco 688.

2. Contumélias et terróres passus sum ab eis: et Dóminus mecum est tamquam bellátor fortis.

3. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum advérsum me in mortem.

4. Omnes inimíci mei audiérunt malum meum, Dómine: lætáti sunt, quóniam tu fecísti.

5. Fac, Dómine, iudícium iniúriam patiéntibus: et vias peccatórum dispérde.

Ad Bened. ant. Simon, dormis? Non potuísti una hora vigiláre mecum?

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui nostris excéssibus incessánter afflígimur, per unigéniti Fílii tui passiónem liberémur: Qui tecum vivit.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Tanto témpore vobíscum eram docens in templo, et non me tenuístis: et modo flagellátum dúcitis ad crucifigéndum.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum: Qui tecum vivit.

AD COMPLETORIUM

Completorium cum psalmis de feria dicitur more solito, absque prostrationibus. Aqua benedicta aspergitur, dum dicuntur psalmi vel canticum Nunc dimíttis.

Post Completorium datur benedictio. Non dicitur antiphona Salve, Regína, sed statim post benedictionem subditur Fidélium ánimæ.

Feria V in Cena Domini

I classis

AD MATUTINUM

Si Officium peragatur *in choro* vel *in communi*, Matutinum non anticipatur de sero, sed dicitur mane, hora competenti.

In recitatione vero *a solo* Matutinum et Laudes dicuntur congruo tempore, iuxta rubricas.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Matutinum absolute incipitur ab antiphona primi psalmi.

In I Nocturno

Ant. 1 Zelus domus tuæ comédit me: et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Psalmus 68

Salvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Infíxus sum in limo profúndi: * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, ¿ raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei iniúste: * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam: * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in ieiúnio ánimam meam: * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: * et fáctus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur qui sedébant in porta: * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus benepláciti, Deus.

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ:

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis qui odérunt me et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, ℣. neque absórbeat me profúndum: * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ et líbera eam: * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum et confusiónem meam * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit: * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel: * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant: * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam: * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta: * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam, quem tu percussísti, persecúti sunt: * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum: * et non intrent in iustítiam tuam.

Deleántur de libro vivéntium: * et cum iustis non scribántur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico: * et magnificábo eum in laude:

Et placébit Deo super vítulum novéllum: * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et læténtur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli et terra, * mare et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion: * et ædificabúntur civitátes Iuda.

Et inhabitábunt ibi, * et hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum eius possidébit eam, * et qui díligunt nomen eius, habitábunt in ea.

¶ Non dicitur Glória Patri, in fine psalmorum et canticorum, usque ad Completorium Sabbati sancti inclusive.

Ant. Zelus domus tuæ comédit me: et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Ant. 2 Avertántur retrórsum et erubéscant, qui cógitant mihi mala.

Psalmus 69

Deus, in adiutórium meum inténde: * Dómine, ad adiuvándum me festína.

Confundántur et revereántur * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum et erubéscant * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádiuva me.

Adiútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Ant. Avertántur retrórsum et erubéscant, qui cógitant mihi mala.

Ant. 3 Deus meus, éripe me de manu peccatóris.

Psalmus 70

In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in iustítia tua líbera me et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, ℣ et in locum munítum: * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui:

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea a iuventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper: * tamquam prodígium factus sum multis: et tu adiútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: * tota die magnitúdinem tuam.

Ne proícias me in témpore senectútis: * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi: * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, ℣ persequímini et comprehéndite eum: * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Confundántur et defíciant detrahéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo: * et adíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit iustítiam tuam: * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor iustítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me a iuventúte mea: * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua:

Et usque in senéctam et sénium: * Deus, ne derelínquas me,

Donec annúntiem bráchium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est:

Poténtiam tuam et iustítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas: ℣ et convérsus vivificásti me: * et de abýssis terræ íterum reduxísti me:

Multiplicásti magnificéntiam tuam: * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus, psallam tibi in cíthara, Sanctus Israël.

Exsultábunt lábia mea cum cantávero tibi: * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur iustítiam tuam: * cum confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Ant. Deus meus, éripe me de manu peccatóris.

℣. Exsúrge, Dómine.

℟. Et iúdica causam meam.

Dicto Pater noster secreto, non pronuntiatur Et ne nos, sed facto signo a Prælato, lector incipit legere; et hoc etiam fit ante quartam et septimam lectionem. Iube, domne, et Tu autem, non dicuntur, sed finita lectione sive lamentatione, immediate inchoatur responsorium.

Incipit Lamentátio Ieremíæ Prophétæ

Lectio i Thren. 1

Aleph. Quómodo sedet sola cívitas plena pópulo: facta est quasi vídua dómina géntium: princeps provinciárum facta est sub tribúto.

Beth. Plorans plorávit in nocte, et lácrimæ eius in maxíllis eius: non est qui consolétur eam ex ómnibus caris eius: omnes amíci eius sprevérunt eam et facti sunt ei inimíci.

Ghimel. Migrávit Iudas propter afflictiónem et multitúdinem servitútis: habitávit inter gentes, nec invénit réquiem: omnes persecutóres eius apprehendérunt eam inter angústias.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

¶ Et ita usque ad Sabbatum sanctum inclusive, terminantur lectiones Ieremiæ.

℟. i. In monte Olivéti orávit ad Patrem: Pater, si fíeri potest, tránseat a me calix iste. Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma: * Fiat volúntas tua. ℣. Verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. - Fiat volúntas tua.

Lectio ii

Daleth. Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui véniant ad solemnitátem: omnes portæ eius destrúctæ: sacerdótes eius geméntes: vírgines eius squálidæ, et ipsa oppréssa amaritúdine.

He. Facti sunt hostes eius in cápite, inimíci eius locupletáti sunt: quia Dóminus locútus est super eam propter multitúdinem iniquitátum eius: párvuli

eius ducti sunt in captivitátem ante fáciem tribulántis.

Vau. Et egréssus est a fília Sion omnis decor eius: facti sunt príncipes eius velut aríetes non inveniéntes páscua: et abiérunt absque fortitúdine ante fáciem subsequéntis.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. ii. Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic et vigiláte mecum: nunc vidébitis turbam, quæ circúmdabit me: * Vos fugam capiétis, et ego vadam immolári pro vobis. ℣. Ecce appropínquat hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. - Vos fugam capiétis.

Lectio iii

Zain. Recordáta est Ierúsalem diérum afflictiónis suæ et prævaricatiónis, ómnium desiderabílium suórum quæ habúerat a diébus antíquis, cum cáderet pópulus eius in manu hostíli, et non esset auxiliátor: vidérunt eam hostes et derisérunt sábbata eius.

Heth. Peccátum peccávit Ierúsalem, proptérea instábilis facta est: omnes, qui glorificábant eam, sprevérunt illam, quia vidérunt ignomíniam eius: ipsa autem gemens convérsa est retrórsum.

Teth. Sordes eius in pédibus eius, nec recordáta est finis sui: depósita est vehemémter, non habens consolatórem: vide, Dómine, afflictiónem meam, quóniam eréctus est inimícus.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. iii. Ecce vídimus eum non habéntem spéciem, neque decórem: aspéctus eius in eo non est: hic peccáta nostra portávit et pro nobis dolet: ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras: * Cuius livóre sanáti sumus. ℣. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit. - Cuius livóre sanáti sumus. ℟. Ecce vídimus eum.

In II Nocturno

Ant. 4 Liberávit Dóminus páuperem a poténte: et ínopem cui non erat adiútor.

Psalmus 71

Deus, iudícium tuum regi da: * et iustítiam tuam fílio regis:

Iudicáre pópulum tuum in iustítia, * et páuperes tuos in iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles iustítiam.

Iudicábit páuperes pópuli, ℣. et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci eius terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent:

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem cui non erat adiútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣. et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣. superextollétur super Líbanum fructus eius: * et florébunt de civitáte sicut fenum terræ.

Sit nomen eius benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen eius.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: ℣. et replébitur maiestáte eius omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Liberávit Dóminus páuperem a poténte: et ínopem cui non erat adiútor.

Ant. 5 Cogitavérunt ímpii et locúti sunt nequítiam: iniquitátem in excélso locúti sunt.

Psalmus 72

Quam bonus Israël Deus * his qui recto sunt corde!

Mei autem pæne moti sunt pedes: * pæne effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum: * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur:

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum: * transiérunt in affléctum cordis.

Cogitavérunt et locúti sunt nequítiam: * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cælum os suum: * et lingua eórum transívit in terra.

Ideo convertétur pópulus meus hic: * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres et abundántes in sæculo * obtinuérunt divítias.

Et dixi: ℣ Ergo sine causa iustificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas:

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me:

Donec intrem in sanctuárium Dei: * et intélligam in novíssimis eórum.

Verúmtamen propter dolos posuísti eis: * deiecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt: * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, ℣ et renes mei commutáti sunt: * et ego ad níhilum redáctus sum et nescívi.

Ut iuméntum factus sum apud te: * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam: ℣ et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt: * perdidísti omnes qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est: * pónere in Dómino Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas * in portis fíliæ Sion.

Ant. Cogitavérunt ímpii et locúti sunt nequítiam: iniquitátem in excélso locúti sunt.

Ant. 6 Exsúrge, Dómine, et iúdica causam meam.

Psalmus 73

Ut quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hereditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te: * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa: * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt iánuas eius in idípsum: * in secúri et áscia deiecérunt eam.

Incendérunt igni sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, ℣ iam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Usquequo, Deus, improperábit inimícus: * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam et déxteram tuam * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem rex noster ante sæcula: * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

Tu dirupísti fontes et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Memor esto huius, inimícus improperávit Dómino: * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge, Deus, iúdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Ant. Exsúrge, Dómine, et iúdica causam meam.

℣. Deus meus, éripe me de manu peccatóris. ℟. Et de manu contra legem agéntis et iníqui.

Pater noster, secreto.

Sermo sancti Leónis Papæ
Sermo 7 de Passione

Lectio iv

Incipiéntes, dilectíssimi, de passióne Dómini tractáre, divíno intellígimus dispósitum fuísse consílio, ut sacrílegi Iudæórum príncipes et ímpii sacerdótes, qui sæviéndi in Christum occasiónes sæpe quæsíverant, nonnísi in solemnitáte pascháli exercéndi furóris sui accíperent potestátem. Oportébat enim ut manifésto impleréntur efféctu, quæ diu fúerant figuráto promíssa mystério: et uno explerétur sacrifício variárum differéntia victimárum. Ut ergo umbræ céderent córpori et cessárent imágines sub præséntia veritátis: antíqua observántia novo exclúditur sacraménto. Hóstia in hóstiam transit, et sánguine sanguis aufértur: et legális festívitas, dum mutátur, implétur.

℟. iv. Amícus meus óculi me trádidit signo. Quem osculátus fúero, ipse est, tenéte eum. Hoc malum fecit signum, qui per óculum adimplévit homicídium. * Infélix prætermísit prétium sánguinis, et in fine láqueo se suspéndit. ℣. Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi, per quem tradétur. - Infélix.

Lectio v

Incipiénte enim festivitáte pascháli, qui ornáre templum, vasa mundáre, víctimas providére debúerant, in unum fácinus coniúrant: ut et nova mystéria non apprehénderent, et antíqua violárent. Providéntibus ergo ne in die sancto tumúltus orirétur, non festivitáti, sed facínori studebátur: metuebántque, non ut pópulus non peccáret, sed ne Christus eváderet. At Iesus consílii sui certus, vetus testaméntum consummábat et novum Pascha condébat. Et cum in Cáiphæ átrio tractarétur, quómodo Christus debéret occídi: ille Córporis et Sánguinis sui órdinans sacraméntum, docébat qualis Deo hóstia debéret offérri: nec traditóre submóto, ut ostenderétur nulla iniúria exasperátus.

℟. v. Unus ex vobis tradet me hódie: væ illi per quem tradar ego: * Mélius illi erat, si natus non fuísset. ℣. Qui intíngit mecum manum in paróps ide, hic me traditúrus est in manus peccatórum. - Mélius illi.

Lectio vi

Dicens quoque, Unus vestrum me traditúrus est, notam sibi traditóris ac proditóris consciéntiam demonstrávit: non áspera, nec apérta ímpium increpatióne confúndens, sed leni ac tácita admonitióne convéniens: ut facílius corrígeret pœnitúdo, quem nulla deformásset abiéctio. Cur, infélix Iuda, tanta benignitáte non úteris? Ecce parcit áusibus tuis Dóminus, et nulli te, nisi tibi, índicat Christus. Nec nomen tuum, nec persóna detégitur: sed veritátis et misericórdiæ verbo, cordis tui tantum arcána tangúntur. Non Apostólici órdinis honor, non sacramentórum tibi commúnio denegátur. Redi in íntegrum, et depósito furóre resipísce. Cleméntia invítat, salus pulsat: ad vitam te vita révocat.

℟. vi. Eram quasi agnus ínnocens: ductus sum ad immolándum et nesciébam: consílium fecérunt inimíci mei advérsum me, dicéntes: * Veníte, mittámus lignum in panem eius, et eradámus eum de terra vivéntium. ℣. Omnes inimíci mei advérsum me cogitábant mala mihi: verbum iníquum mandavérunt advérsum me, dicéntes. - Veníte. ℟. Eram.

In III Nocturno

Ant. 7 Dixi iníquis: Nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Psalmus 74

Confitébimur tibi, Deus: * confitébimur et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego iustítias iudicábo.

Liquefácta est terra et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas eius.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus iudex est.

Hunc humíliat et hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri, plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx eius non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Iacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * et exaltabúntur córnua iusti.

Ant. Dixi iníquis: Nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Ant. 8 Terra trémuit et quiévit, dum resúrgeret in iudícium Deus.

Psalmus 75

Notus in Iudæa Deus: * in Israël magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius: * et habitátio eius in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Iacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti iudícium: * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in iudícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu eius affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. Terra trémuit et quiévit, dum resúrgeret in iudícium Deus.

Ant. 9 In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi mánibus meis.

Psalmus 76

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum: * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, ℣. memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum: * et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum, et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos: * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum proíciet Deus: * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Deus, in sancto via tua: ℣. quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Iacob et Ioseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, ℣. vidérunt te aquæ: * et timuérunt, et turbátæ sunt abýssi.

Multitúdo sónitus aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis: * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum * in manu Móysi et Aaron.

Ant. In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi mánibus meis.

℣. Homo pacis meæ, in quo sperávi. ℟. Ampliávit advérsum me supplantatiónem.

Pater noster, secreto.

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi
Hom. 1 de proditione Iudæ

Lectio vii

Tunc ábiit, inquit. Non invitátus a princípibus; sponte procéssit. Unus de duódecim. Septuagínta discípulis non tam interióra commíssa sunt. Hæc erat catérva regális: de hoc choro Iudas egréssus est. Iudas, inquit, Iscarióte. Quid mihi eius pátriam dicis? Utinam ipsum quoque nescíre licuísset! Et dixit eis: Quid vultis mihi dare, et ego eum vobis tradam? O puniéndæ vocis temeritátem! Ideo Magíster te divítias debére contémnere prædicábat? O crudelitátem! Dic, quæ causa proditiónis. Fórsitan quod tibi dæmonum trádidit potestátem, quod fecit languéntibus subveníre, quod mórtuos suscitáre didicísti. O verbum totíus supérbiæ! Tradis eum, qui cuncta consérvat, qui dæmónibus ímperat, cui obtémperant mária, cui omnes súbiacent potestátes.

℟. vii. Una hora non potuístis vigiláre mecum, qui exhortabámini mori pro me? * Vel Iudam non vidétis, quómodo non dormit, sed festínat trádere me Iudæis? ℣. Dormíte iam et requiéscite: ecce appropínquat qui me tradet. - Vel Iudam non vidétis.

Lectio viii

Quando Iudas de traditióne tractábat, dicunt discípuli: Ubi vis parémus tibi Pascha manducáre? Vide discípulos: vide discípulum. Isti sunt de præparatióne sollíciti: ille Domínici sánguinis mercátor exsístit. Et illud quidem Pascha Iudæórum discípuli præparábant: istud autem, quod nostrum est, ipse Christus constítuit. Et dixit: Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur. Hic est sanguis meus, qui pro multis effundétur. O Christi misericórdia! O Iudæ deméntia! Ille eum paciscebátur, ut vénderet: Christus ei sánguinem, quem véndidit, offerébat, ut habéret remissiónem peccatórum, si tamen ímpius exsístere noluísset. Nam sacrifícii communicatiónem méruit, et pedes eius lavit Christus: ut excusatiónem suæ malítiæ non habéret.

℟. viii. Senióres pópuli consílium fecérunt, * Ut Iesum dolo tenérent et occíderent: cum gládiis et fústibus exiérunt tamquam ad latrónem. ℣. Collegérunt ergo pontífices et pharisæi concílium. - Ut Iesum.

Lectio ix

Sed iam ad terríbilem mensam cum débita reveréntia, cum cóngrua vigilántia, opportúnum tempus invítat. Nullus ibi Iudas reperiátur, nullus malígnus accédat: nec insídiæ mente condántur. Nullus fictus accédat, nullus fucáto ánimo. Pura ígitur sit mens, pura cogitátio: quia et sacrifícium purum est. Dóminus quidem noster, corpus assúmptum ablatúrus ex óculis nostris et sidéribus illatúrus, in hac die sacraméntum Córporis et Sánguinis sui consecrávit: ut perénnis illa víctima víveret in memória, et semper præsens esset in grátia. Cum ígitur ad reveréndum altáre ascéndis, sacrum Dei tui Corpus et Sánguinem fide réspice, honóre miráre, mente contínge, cordis manu súscipe et gustu interióri assúme.

℟. ix. Revelábunt cæli iniquitátem Iudæ, et terra advérsus eum consúrget: et maniféstum erit peccátum illíus in die furóris Dómini: * Cum eis qui dixérunt Dómino Deo: Recéde a nobis, sciéntiam viárum tuárum nólumus. ℣. In diem perditiónis servábitur, et ad diem ultiónis ducétur. - Cum eis. ℟. Revelábunt cæli.

Si Matutinum a Laudibus separetur, subiungitur oratio Réspice, quæsumus, ut in Laudibus.

Hoc triduo non dicitur ℣. ante Laudes, sed Laudes absolute inchoantur ab antiphona primi psalmi.

AD LAUDES

Ant. 1 Iustificéris, Dómine, in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Iustificéris, Dómine, in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ant. 2 Dóminus tamquam ovis ad víctimam ductus est, et non apéruit os suum.

Psalmus 89

Dómine, refúgium factus es nobis * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent aut formarétur terra et orbis: * a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem: * et dixísti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, ℣ mane flóreat et tránseat: * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis septuagínta anni.

Si autem in potentátibus octogínta anni: * et ámplius eórum labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo: * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ: * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac: * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua: * et exsultávimus et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus quibus nos humiliásti: * annis quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos et in ópera tua: * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Dóminus tamquam ovis ad víctimam ductus est, et non apéruit os suum.

Ant. 3 Contrítum est cor meum in médio mei: contremuérunt ómnia ossa mea.

Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣. adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣. introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣. laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Contrítum est cor meum in médio mei: contremuérunt ómnia ossa mea.

Ant. 4 Exhortátus es in virtúte tua, et in refectióne sancta tua, Dómine.

Canticum Moysis
Exod. 15

Cantémus Dómino: glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem deiécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem:

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens nomen eius. * Currus Pharaónis et exércitum eius proiécit in mare.

Elécti príncipes eius submérsi sunt in Mari Rubro. ℣. Abýssi operuérunt eos, * descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: ℣. déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos:

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ:

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abýssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar et comprehéndam, ℣. dívidam spólia, * implébitur ánima mea:

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare: * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, ℣. et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti:

Et portásti eum in fortitúdine tua * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli et iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor: * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

Fiant immóbiles quasi lapis, ℣. donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos et plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus eius in mare: * et redúxit super eos Dóminus aquas maris:

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio eius.

Ant. Exhortátus es in virtúte tua, et in refectióne sancta tua, Dómine.

Ant. 5 Oblátus est, quia ipse vóluit: et peccáta nostra ipse portávit.

Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius: * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna: * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum: * et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum eius:

Montes et omnes colles: * ligna fructífera et omnes cedri.

Béstiæ et univérsa pécora: * serpéntes et vólucres pennátæ:

Reges terræ et omnes pópuli: * príncipes et omnes iúdices terræ.

Iúvenes et vírgines: senes cum iunióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Oblátus est, quia ipse vóluit: et peccáta nostra ipse portávit.

Finita quinta antiphona, continuo sequitur

Ad Bened. ant. Tráditor autem dedit eis signum dicens: Quem osculátus fúero, ipse est, tenéte eum.

Canticum Zachariæ

Luc. 1

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ,

Et eréxit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum eius:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium, qui odérunt nos,

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testaménti sui sancti:

Iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis,

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi

In sanctitáte et iustítia coram ipso * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi eius * in remissiónem peccatórum eórum

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Ant. Tráditor autem dedit eis signum dicens: Quem osculátus fúero, ipse est, tenéte eum.

Repetita post Benedictus antiphona, duo Fratres stantes ante gradus altaris dicunt:

(Ad ea quæ sequuntur Fratres stant versi ad altare.)

Kýrie, eléison.

Et choro respondente

Kýrie, eléison,

iterum illi duo Fratres dicunt:

Kýrie, eléison.

Deinde alii duo Fratres stantes in medio chori dicunt:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui passúrus advenísti propter nos.

Et chorus dicit:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui, expánsis in cruce mánibus, traxísti ómnia ad te sæcula.

Item chorus:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui prophétice prompsísti: Ero mors tua, o mors!

Item chorus:

Christe, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Et chorus:

Kýrie, eléison.

Et Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus dicunt alta voce:

Mortem autem crucis.

Finito versu Mortem autem crucis prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde, absque Dóminus vobíscum et absque Orémus dicitur

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Non dicitur Qui tecum, neque Amen, neque Benedicámus Dómino, neque Fidélium.

℟ Hac die non fiunt prostrationes ad Horas, propter solemnitatem Cenæ, nisi in hac Hora Laudum tantum.

Horæ minores dicuntur hora competenti.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Horæ absolute inchoantur ab antiphona.

AD PRIMAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Repetita post psalmos antiphona statim subiungitur oratio Réspice, quæsumus, ut supra.

AD PRETIOSA

Finitis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, et responso Deo grátias, subiungitur:

℣. Pretiósa est in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum eius.

Oratio absque Orémus

Sancta María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut mereámur adiuvári ab eo, qui vivit et regnat per ómnia sécula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde dicitur ter:

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína.

Postea, omisso Glória Patri, subiungitur:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice, Dómine, in servos tuos et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: et opus mánuum nostrárum dírige.

Oratio absque Orémus

Dirígere et sanctificáre dignéris, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hódie corda et córpora nostra in lege tua et in opéribus mandatórum tuórum: ut hic et in ætérnum, te auxiliánte, semper salvi esse mereámur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Iube, domne, benedícere.

Benedictio Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 13

Ante diem festum Paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Tu autem.

Commemorátio Fratrum, Sorórum, Familiárium, Benefactórum defunctórum Ordinis nostri.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli,

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Deinde, omisso Glória Patri, sequitur:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Non dicitur Fidélium ánimæ.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmi de dominica.

Repetita post psalmos antiphona statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Hora opportuniore ante prandium, fratres in choro prostrati dicunt sub antiphona Ne reminiscáris septem psalmos pænitentiales [210], omisso Glória Patri. Existentes vero extra chorum ad eos recitandos non tenentur.

AD VESPERAS

Vesperæ ab iis qui Missæ vespertinæ in Cena Domini intersunt, hodie non dicuntur.

Omnia dicuntur ut in Sabbato sancto 411, cum variationibus ibidem notatis.

AD COMPLETORIUM

Completorium dicitur post ablutionem altaris maioris, hora opportuniore.

Completorium voce mediocri dicitur, ita tamen quod sonus psalmodiæ clare distincteque resonet (quod etiam abhinc omnibus Horis in psalmodia et cantu usque ad Vesperas Sabbati sancti inclusive fiat, exceptis Matutinis, quæ solemnius sunt dicendæ).

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, absolute inchoatur a

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmi de dominica.

Canticum Nunc dimíttis.

Repetita post psalmos et canticum antiphona, statim subiungitur oratio Réspice, ut supra.

¶ Hodie et cras post Completorium benedictio non datur, omittitur ant. Salve, Regína, nec aspergitur aqua benedicta.

Feria VI
in Passione et Morte Domini

I classis

AD MATUTINUM

Si Officium peragatur *in choro* vel *in communi*, Matutinum non anticipatur de sero, sed dicitur mane, hora competenti.

In recitatione vero *a solo* Matutinum et Laudes dicuntur congruo tempore, iuxta rubricas.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Matutinum absolute incipitur ab antiphona primi psalmi.

In I Nocturno

Ant. 1 Astitérunt reges terræ et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant Astitérunt reges terræ et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Ant. 2 Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Psalmus 21

Deus, Deus meus, réspice in me, quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt et salvi facti sunt: * in te speravérunt et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis et non homo: * oppróbrium hóminum et abiéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te proiéctus sum ex útero: ℣ de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádiuvet.

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, ℣ et lingua mea adhæsit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Iacob, glorificáte eum:

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in eccĺesia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes et saturabúntur: ℣. et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu eius * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu eius cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cæli iustítiam eius pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Ant. Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Ant. 3 Insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Psalmus 26

Dóminus illuminátio mea et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ,

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum eius.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo eius hóstiam vociferatiónis: * cantábo et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: * miserére mei et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ℣. exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adiútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua: * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age: * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Ant. Insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

℣. Divisérunt sibi vestiménta mea. ℟. Et super vestem meam misérunt sortem.

Dicto Pater noster secreto, non pronuntiatur Et ne nos, sed facto signo a Prælato, lector incipit legere; et hoc etiam fit ante quartam et septimam lectionem. Iube, domne, et Tu autem, non dicuntur, sed finita lectione sive lamentatione, immediate inchoatur responsorium.

De Lamentatióne Ieremíæ Prophétæ

Lectio i Thren. 2

Aleph. Quómodo obtéxit calígine in furóre suo Dóminus fíliam Sion: proiécit de cælo in terram ínclitam Israël, et non est recordátus scabélli pedum suórum in die furóris sui.

Beth. Præcipitávit Dóminus nec pepércit ómnia speciósa Iacob: destrúxit in furóre suo munitiónes vírginis Iuda et deiécit in terram: pólluit regnum et príncipes eius.

Ghimel. Confrégit in ira furóris sui omne cornu Israël: avértit retrórsum déxteram suam a fácie inimíci: et succéndit in Iacob quasi ignem flammæ devorántis in gyro.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. i. Omnes amíci mei dereliquérunt me, et prævaluérunt insidiántes mihi: trádidit me, quem diligébam: et terribílibus óculis plaga crudéli percutiéntes, * Acéto potábant me. ℣. Et dedérunt in escam meam fel, et in siti mea. - Acéto.

Lectio ii

Daleth. Teténdit arcum suum quasi inimícus, firmávit déxteram suam quasi hostis: et occídit omne quod pulchrum erat visu in tabernáculo fíliæ Sion, effúdit quasi ignem indignatiónem suam.

He. Factus est Dóminus velut inimícus: præcipitávit Israël, præcipitávit ómnia mœnia eius, dissipávit munitiónes eius, et replévit in fília Iuda humiliátum et humiliátam.

Vau. Et dissipávit quasi hortum tentórium suum, demolítus est tabernáculum suum: oblivióni trádidit Dóminus in Sion festivitátem et sábbatum: et in oppróbrium et in indignatiónem furóris sui regem et sacerdótem.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. ii. Velum templi scissum est, et omnis terra trémuit: latro de cruce clamábat, dicens: * Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum. ℣. Amen dico tibi: hódie mecum eris in paradíso. - Meménto mei.

Lectio iii

Zain. Répulit Dóminus altáre suum, maledíxit sanctificatióni suæ: trádidit in manu inimíci muros túrrium eius: vocem dedérunt in domo Dómini, sicut in die solémni.

Heth. Cogitávit Dóminus dissipáre murum fíliæ Sion: teténdit funículum suum, et non avértit manum suam a perditióne: luxítque antemurále, et murus páriter dissipátus est.

Teth. Defíxæ sunt in terra portæ eius: pérdidit et contrívit vectes eius: regem eius et príncipes eius in géntibus: non est lex, et prophétæ eius non invenérunt visiónem a Dómino.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. iii. Vínea mea elécta, ego te plantávi: * Quómodo convérsa es in amaritúdinem, ut me crucifígeres et Barábbam dimitteres? ℣. Ego quidem plantávi te víneam meam eléctam, omne semen verum. - Quómodo. ℟. Vínea mea elécta.

In II Nocturno

Ant. 4 Vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Psalmus 37

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum et humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * et lumen oculórum meórum et ipsum non est mecum.

Amíci mei et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui iuxta me erant de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt et confirmáti sunt super me: * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adiutórium meum, * Dómine, Deus salútis meæ.

Ant. Vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Ant. 5 Confundántur et revereántur qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Psalmus 39

Exspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * et edúxit me de lacu misériæ et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt: * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cuius est nomen Dómini spes eius: * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua: * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super número rum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número rus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei: * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adiuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et lætántur super te omnes quæréntes te: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adiútor meus et protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Confundántur et revereántur qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Ant. 6 Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam.

Psalmus 53

Deus, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua iúdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádiuvat me: * et Dóminus susceptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Ant. Aliéni insurrexérunt in me, et fortes quæsiérunt ánimam meam.

℣. Ab insurgéntibus in me. ℟. Líbera me, Dómine.

Pater noster, secreto.

Sermo sancti Leónis Papæ

Sermo 8 de Passione

Lectio iv

Cum verbis oratiónis suæ Dóminus declarásset, veríssime sibi atque pleníssime et humánam et divínam inésse natúram, osténdens unde esset quod pati nollet, et unde quod vellet; depúlsa trepidatióne

infirmitátis et confirmáta magnanimitáte virtútis, rédiit in sententiam suæ dispositiónis ætérnæ: sæviénti diábolo per minis-téria Iudæórum formam servi nihil peccáti habéntis obiécit, ut per eum agerétur ómnium causa, in quo solo erat ómnium natúra sine culpa. Irruérunt ergo in lumen fílii tenebrárum, et, uténtes fáculis et latérnis, non evasérunt infidelitátis suæ noctem. Occupant voléntem tenéri, et trahunt voléntem trahi. Quod si vellet obníti, nihil ímpiæ manus possent; sed mundi redémptio differrétur: et nullum salváret illæsus, qui pro ómnium erat salúte moritúrus.

℟. iv. Tamquam ad latrónem exístis cum gládiis comprehéndere me: quotídie apud vos eram in templo docens, et non me tenuístis: et ecce flagellátum dúcitis * Ad crucifigéndum. ℣. Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi per quem tradétur. - Ad crucifigéndum.

Lectio v

Serm. 8 et 10 de Passione

Igitur ad Annam Cáiphæ sócerum, deínde ad Cáipham perdúcitur: et post insánas calumniántium voces, ad audiéntiam Piláti transfértur. Qui, divíno iure neglécto, tamquam Románis devóti légibus, expetiérunt exsecutórem magis sævítiæ, quam árbitrum causæ. Offerébant enim Iesum duris néxibus vinctum, cólaphis et álapis frequéntibus cæsum, sputis óblitum, clamóribus prædamnátum: ut inter tot præiudícia, quem omnes vellent perire, non audéret Pilátus absólvere. Dénique nec in accusáto reo reperísse se culpam, nec in senténtia sua tenuísse constántiam, docet iudex, cum innocéntem pronúntiat. Sed, cum vellet eum absólvi, conclamavérunt: Si hunc dimíttis, non es amícus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradícit Cæsari. Imprudénter, Piláte, timuísti. Sed formidábile fúerit nomen régium, si dominándi consílium tyránnicus tibi pródidit apparátus: si provísio armórum, si congregátio divitiárum, si præsídia detécta sunt mílitum.

℟. v. Ténebræ factæ sunt, dum crucifixíssent Iesum Iudæi: et circa horam nonam exclamávit Iesus voce magna: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquísti? * Et inclináto cápite emísit spíritum. ℣. Cum ergo accepísset acétum, dixit: Consummátum est. - Et.

Lectio vi

Quid eum gravári sinis, o Piláte, de affectáta poténtia, cuius speciális fuit de humilitáte doctrína? Románis légibus non contradíxit, censum súbiit, didráchma solvit, vectigália non inhíbuit, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddénda constítuit: paupertátem elégit, obediéntiam suásit, mansuetúdinem prædicávit. Hoc est vere non impugnáre Cæsarem, sed iuváre. Verúmtamen ne in totum inánis videátur Iudæórum obiéctio, díscute diligéntius, præses, quid de Dómini Iesu opéribus notum sit, quid de potestáte compértum. Cæcis visum, surdis audítum, claudis gressum, mutis donávit elóquium. Febres abégit, dolóres resólvit, dæmónia eiécit, mórtuos vivificávit. Hanc ergo Iudæi obíciant potestátem: et hoc próferant ore, quod tenent corde. Quare de terrénis calumniántur, qui cæléstia persequúntur?

℟. vi. Barábbas latro dimíttitur et ínnocens Christus occíditur: nam et Iudas armis doctus scéleris, qui per pacem dídicit fácere bellum, * Osculándo trádidit Dóminum Iesum Christum. ℣. Ecce turba, et qui vocabátur Iudas, venit: et dum appropinquáret ad Iesum. - Osculándo. ℟. Barábbas latro.

In III Nocturno

Ant. 7 Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine: quia occupavérunt ánimam meam.

Psalmus 58

Eripe me de inimícis meis, Deus meus: * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucúrri et diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, et vide: * et tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non misereáris ómnibus qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: ℣ et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, ℣ et gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, ℣ quia, Deus, suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia eius prævéniet me.

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * et depóne eos, protéctor meus, Dómine:

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de exsecratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Iacob * et fínium terræ.

Converténtur ad vésperam: ℣ et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * et exsultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum in die tribulatiónis meæ.

Adiútor meus, tibi psallam, ℣ quia, Deus, suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

Ant. Ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine: quia occupavérunt ánimam meam.

Ant. 8 Longe fecísti notos meos a me; tráditus sum, et non egrediébar.

Psalmus 87

Dómine, Deus salútis meæ: * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquábit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber:

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, ℣ quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et iustítia tua in terra oblivióne?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis orationem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum: * et notos meos a miséria.

Ant. Longe fecísti notos meos a me; tráditus sum, et non egrediébar.

Ant. 9 Captábunt in ánimam iusti: et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Psalmus 93

Deus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui iúdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur et loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes qui operántur iniustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam et ádvenam interfecérunt: * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Iacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo: * et, stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt.

Beátus homo quem tu erudíeris, Dómine: * et de lege tua docúeris eum,

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque iustítia convertátur in iudícium: * et qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adiúvit me: * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua, Dómine, adiuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam iusti: * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: * et Deus meus in adiutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: ℣. et in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus Deus noster.

Ant. Captábunt in ánimam iusti: et sánguinem innocéntem condemnábunt.

℣. Locúti sunt advérsum me lingua dolósa. ℟. Et sermónibus ódii circumdedérunt me.

Pater noster, secreto.

Sermo sancti Leónis Papæ

Sermo 8 de Passione

Lectio vii

Excéssit quidem Piláti culpam fácinus Iudæórum, qui illum nómine Cæsaris términum, ad efféctum sui scéleris impulérunt. Sed nec ipse evásit reátum, qui relíquit iudícium próprium et in crimen transívit aliénum. Quod ergo Pilátus Iesum dehonestári ludíbriis, vexári permísit iniúriis; quodque eum flagéllis cæsum, spinis coronátum et amíctu irrisóriæ vestis indútum, perseqúentium aspéctui ostentávit: mitigándos inimicórum ánimos existimávit; ut exsaturátis ódiis, non ultra iam créderent persequéndum, quem tot modis intuebántur afflíctum. Sed, cum inardésceret ira clamántium, obtinuérunt in damnatiónem suam, quod pertináciter exigébant. Tráditus ítaque Dóminus sæviéntium voluntáti, ad irrisiónem régiæ dignitátis, supplícii sui iussus est esse gestátor; ut implerétur illud: Cuius impérium super húmerum eius. Quia pulchra spécie triúmphi sui portábat tropháeum et signum salutáre adorándum regnis ómnibus inferébat.

℟. vii. Tradidérunt me in manus impiórum, et inter iníquos proiecérunt me, et non pepercérunt ánimæ meæ: congregáti sunt advérsum me fortes, * Et sicut gigántes stetérunt contra me. ℣. Astitérunt reges terræ et príncipes convenérunt in unum. - Et sicut.

Lectio viii

Eúntibus autem cum Iesu turbis, Simon quidam Cyrenæus invéntus est, in quem lignum supplícii transfértur a Dómino: ut tali facto præsignarétur géntium fides, quibus crux Christi non confúsio erat futúra, sed glória. Non autem in templo, nec intra septa civitátis, sed extra castra crucifíxus est: ut, véterum victimárum cessánte mystério, nova hóstia novo imponerétur altári, et crux Christi non templi esset ara, sed mundi. Exaltáto ígitur, dilectíssimi, per crucem Christo, non illa tantum spécies aspéctui mentis occúrrat, quæ fuit in óculis impiórum, quibus per Móysen dictum est: Et erit pendens vita tua ante óculos tuos, et timébis die ac nocte, et non credes vitæ tuæ. Sed intelléctus noster glóriam crucis, cælo terráque radiántem, puro corde suscípiat, et vídeat quod Dóminus dixit: Nunc iudícium mundi est, nunc princeps huius mundi eiciétur foras: et ego, si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad me ipsum.

℟. viii. Iesum trádidit ímpius summis princípibus sacerdótum et senióribus pópuli: Petrus autem sequebátur a longe, * Ut vidéret finem. ℣. Et ingréssus est Petrus in átrium príncipis sacerdótum. - Ut vidéret finem.

Lectio ix

O admirábilis poténtia crucis, o ineffábilis glória passiónis, in qua et tribúnal Dómini et iudícium mundi et potéstas est Crucifíxi! Traxísti enim, Dómine, ómnia ad te: cum confiténdæ maiestátis tuæ sensum totus mundus accépit. Traxísti, Dómine, ómnia ad te: cum in exsecratiónem iudáici scéleris unam protulérunt ómnia eleménta senténtiam: cum obscurátis luminaribus cæli, terra quoque mótibus quaterétur insólitis, universáque creatúra impiórum se úsui denegáret. Traxísti, Dómine, ómnia ad te: quóniam, scisso templi velo, Sancta sanctórum ab indígnis pontifícibus recessérunt: ut figúra in veritátem, prophetía in manifestatiónem, et lex in Evangélium verterétur. Traxísti, Dómine, ómnia ad te: ut quod in uno Iudææ templo obumbrátis significatiónibus tegebátur, apérto sacraménto universárum natiónum devótio celebráret.

℟. ix. Sicut ovis ad occisiónem ductus est: et, dum male tractarétur, non apéruit os suum: tráditus est ad mortem, * Ut vivificáret pópulum suum. ℣. Ipse vulnerátus est propter iniquitátes nostras: attrítus est propter scélera nostra. - Ut vivificáret. ℟. Sicut ovis.

AD LAUDES

Ant. 1 Próprio Fílio suo non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Próprio Fílio suo non pepércit Deus, sed pro nobis ómnibus trádidit illum.

Ant. 2 Anxiátus est in me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Psalmus 142

Dómine, exáudi oratiónem meam: ℣ áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua iustítia.

Et non intres in iudícium cum servo tuo: * quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, ℣ meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me: * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Anxiátus est in me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Ant. 3 Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus: hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Ait latro ad latrónem: Nos quidem digna factis recípimus: hic autem quid fecit? Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Ant. 4 Dum conturbáta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris.

Canticum Habacuc

Cap. 3

Dómine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annórum vivífica illud:

In médio annórum notum fácies: * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * et Sanctus de monte Pharan:

Opéruit cælos glória eius: * et laudis eius plena est terra.

Splendor eius ut lux erit: * córnua in mánibus eius:

Ibi abscóndita est fortitúdo eius: * ante fáciem eius ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes eius. * Stetit et mensus est terram.

Aspéxit et dissólvit gentes: * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi * ab itinéribus æternitátis eius.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? ℣ aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos: * et quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum: * iuraménta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: ℣ vidérunt te et doluérunt montes: * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abýssus vocem suam: * altitúdo manus suas levávit.

Sol et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * et in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui: * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii: * denudásti fundaméntum eius usque ad collum.

Maledixísti sceptris eius, ℣ cápiti bellatórum eius, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exsultátio eórum * sicut eius qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus: * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis: * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit: * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ: * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus: * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo: * et exsultábo in Deo Iesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Dum conturbáta fúerit ánima mea, Dómine, misericórdiæ memor eris.

Ant. 5 Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius: * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna: * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum: * et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum eius:

Montes et omnes colles: * ligna fructífera et omnes cedri.

Béstiæ et univérsa pécora: * serpéntes et vólucres pennátæ:

Reges terræ et omnes pópuli: * príncipes et omnes iúdices terræ.

Iúvenes et vírgines: senes cum iunióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. Meménto mei, Dómine, dum véneris in regnum tuum.

Finita quinta antiphona continuo sequitur

Ad Bened. ant. Posuérunt super caput eius causam ipsíus scriptam: Iesus Nazarénus, Rex Iudæórum.

Canticum Benedictus.

Repetita post Benedictus antiphona, duo Fratres stantes ante gradus altaris dicunt:

(Ad ea quæ sequuntur Fratres stant versi ad altare.)

Kýrie, eléison.

Et choro respondente

Kýrie, eléison,

iterum illi duo Fratres dicunt:

Kýrie, eléison.

Deinde alii duo Fratres stantes in medio chori dicunt:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

℣. Agno miti básia cui lupus dedit venenósa.

Et chorus dicit:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Vita in ligno móritur, inférnus et mors lugens spoliátur.

Item chorus:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Te qui vincíri voluísti, nosque a mortis vínculis eripuísti.

Item chorus:

Christe, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Et chorus:

Kýrie, eléison.

Et Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus dicunt alta voce:

Mortem autem crucis.

Finito versu Mortem autem crucis prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Horæ minores dicuntur hora competenti.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Horæ absolute inchoantur ab antiphona.

AD PRIMAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Repetita post psalmos antiphona prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

AD PRETIOSA

Finitis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, et responso Deo grátias, dicitur Pretiosa ut in die Cenæ 372 notatum est, cum lectione tamen sequenti de Regula, præmissa benedictione

Regulláribus disciplínis ínstruat nos Magíster cæléstis. ℟. Amen.

Lectio

Séquitur in Régula beáti Augustíni Epíscopi

Carnem vestram domáte ieiúniis et abstinéntia escæ et potus: quantum valetúdo permíttit. Quando autem áliquis non potest ieiunáre; non tamen extra horam prándii áliquid alimentórum sumat: nisi cum ægrótat. Tu autem.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmi de dominica.

Repetita post psalmos antiphona prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

AD VESPERAS

Vesperæ ab iis qui solemni Actioni liturgicæ postmeridianæ intersunt, hodie non dicuntur.

Omnia dicuntur ut in Sabbato sancto 411 cum variationibus ibidem notatis.

AD COMPLETORIUM

Completorium dicitur post solemnem Actionem liturgicam, hora opportuniore.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Completorium absolute inchoatur a

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmi de dominica.

Canticum Nunc dimíttis.

Repetita post psalmos et canticum antiphona, prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Sabbato sancto

I classis

AD MATUTINUM

Si Officium peragatur *in choro* vel *in communi*, Matutinum non anticipatur de sero, sed dicitur mane, hora competenti.

In recitatione vero *a solo* Matutinum et Laudes dicuntur congruo tempore, iuxta rubricas.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Matutinum absolute incipitur ab antiphona primi psalmi.

In I Nocturno

Ant. 1 In pace in idípsum dórmiam et requiéscam.

Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus iustítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium iustítiæ, ℣ et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam,

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. In pace in idípsum dórmiam et requiéscam.

Ant. 2 Habitábit in tabernáculo tuo: requiéscet in monte sancto tuo.

Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Habitábit in tabernáculo tuo: requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. 3 Caro mea requiéscet in spe.

Psalmus 15

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum et exsultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Caro mea requiéscet in spe.

℣. In pace in idípsum.

℟. Dórmiam et requiéscam.

Dicto Pater noster secreto non pronuntiatur Et ne nos, sed facto signo a Prælato, lector incipit legere; et hoc etiam fit ante quartam et septimam lectionem. Iube, domne, et Tu autem, non dicuntur, sed finita lectione sive lamentatione, immediate inchoatur responsorium.

De Lamentatióne Ieremíæ Prophétæ

Lectio i Thren. 4

Aleph. Quómodo obscurátum est aurum, mutátus est color óptimus, dispérsi sunt lápides sanctuárii in cápite ómnium plateárum?

Beth. Fílii Sion íncliti et amícti auro primo: quómodo reputáti sunt in vasa téstea, opus mánuum figuli?

Ghimel. Sed et lámiæ nudavérunt mammam, lactavérunt cátulos suos: fília pópuli mei crudélis, quasi strúthio in desérto.

Daleth. Adhæsit lingua lacténtis ad palátum eius in siti: párvuli petiérunt panem, et non erat qui frángeret eis.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. i. Sepúlto Dómino, signátum est monuméntum: volvéntes lápidem ad óstium monuménti, * Poténtes mílites, qui custodírent illud. ℣. Ne forte véniant discípuli eius et furéntur eum et dicant plebi: Surréxit a mórtuis. - Poténtes.

Lectio ii

He. Qui vescebántur voluptuóse, interiérunt in viis: qui nutriebántur in cróceis, amplexáti sunt stércora.

Vau. Et maior effécta est iníquitas fíliæ pópuli mei peccáto Sodomórum, quæ subvérsa est in moménto, et non cepérunt in ea manus.

Zain. Candidióres Nazaræi eius nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo, sapphíro pulchrióres.

Heth. Denigráta est super carbónes fácies eórum, et non sunt cógniti in platéis: adhæsit cutis eórum óssibus: áruit et facta est quasi lignum.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. ii. Ierúsalem, luge, et éxue te véstibus iucunditátis: indúere cínere et

cilício: * Quia in te est occísus Salvátor Israël. ℣. Deduc quasi torréntem lácrimas per diem et noctem, et non táceat pupílla óculi tui. - Quia.

Lectio iii

Teth. Mélius fuit occísis gládio, quam interféctis fame: quóniam isti extabuérunt consúmpti a sterilitáte terræ.

Iod. Manus mulíerum misericórdium coxérunt fílios suos: facti sunt cibus eárum in contritióne fíliæ pópuli mei.

Caph. Complévit Dóminus furórem suum, effúdit iram indignatiónis suæ: et succéndit ignem in Sion, et devorávit fundaménta eius.

Lamed. Non credidérunt reges terræ, et univérsi habitatóres orbis, quóniam ingrederétur hostis et inimícus per portas Ierúsalem.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. iii. Plange quasi virgo, plebs mea: ululáte, pastóres, in cínere et cilício: * Quia véniet dies Dómini magna et amára valde. ℣. Ululáte, pastóres, et clamáte: aspérgite vos cínere. - Quia. ℟. Plange quasi virgo.

In II Nocturno

Ant. 4 Elevámini, portæ ætemáles: et introíbit Rex glóriæ.

Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius: * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ꝛ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ꝛ et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens: Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ꝛ et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ.

Ant. 5 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Psalmus 26

Dóminus illuminátio mea et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum apprópiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ,

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum eius.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo eius hóstiam vociferatiónis: * cantábo et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: * miserére mei et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ꝛ exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adiútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua: * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age: * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Ant. 6 Dómine, abstraxísti ab ínferis ánimam meam.

Psalmus 29

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti eius: * et confitémini memóriæ sanctitátis eius.

Quóniam ira in indignatióne eius: * et vita in voluntáte eius.

Ad vésperum demorábitur fletus: * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo: * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus et misértus est mei: * Dóminus factus est adiútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum et circumdedísti me lætítia:

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Ant. Dómine, abstraxísti ab ínferis ánimam meam. ℣. Tu autem, Dómine, miserére mei. ℟. Et resúscita me, et retríbuam eis.

Pater noster, secreto.

Ex Tractátu
sancti Augustíni Epíscopi
super psalmos

In psalmum 63

Lectio iv

Accédet homo ad cor altum, et exaltábitur Deus. Illi dixérunt: Quis nos vidébit? Defecérunt scrutántes scrutatiónes, consília mala. Accéssit homo ad ipsa consília: passus est se tenéri ut homo. Non enim tenerétur nisi homo, aut viderétur nisi homo, aut cæderétur nisi homo, aut crucifigerétur aut morerétur nisi homo. Accéssit ergo homo ad illas omnes passiónes, quæ in illo nihil valérent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberarétur homo. Accéssit homo ad cor altum, id est, cor secrétum, obíciens aspéctibus humánis hóminem, servans intus Deum: celans formam Dei, in qua æquális est Patri; et ófferens formam servi, qua minor est Patre.

℟. iv. Recéssit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cuius tránsitum sol obscurátus est: nam et ille captus est, qui captívum tenébat primum hóminem: * Hódie portas mortis et seras páriter Salvátor noster disrúpit. ℣. Destrúxit quidem claustra inférni et subvértit poténtias diáboli. - Hódie.

Lectio v

Quo perduxérunt illas scrutatiónes suas, quas perscrutántes defecérunt, ut étiam mórtuo Dómino et sepúlto, custódes pónerent ad sepúlcrum? Dixérunt enim Piláto: Seductor ille: hoc appellabátur nómine Dóminus Iesus Christus, ad solátium servórum suórum, quando dicúntur seductóres. Ergo illi Piláto: Sedúctor ille, ínquiunt, dixit adhuc vivens: Post tres dies resúrgam. Iube ítaque custodíri sepúlcrum usque in diem tértium, ne forte véniant discípuli eius et furéntur eum et dicant plebi, Surréxit a mórtuis: et erit novíssimus error peior prióre. Ait illis Pilátus: Habétis custódiam, ite, custodíte sicut scitis. Illi autem abeúntes, muniérunt sepúlcrum, signántes lápidem, cum custódibus.

℟. v. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, et vidéte * Si est dolor símilis sicut dolor meus. ℣. Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum. - Si est.

Lectio vi

Posuérunt custódes mílites ad sepúlcrum. Concússa terra, Dóminus resurréxit: mirácula facta sunt tália circa sepúlcrum, ut et ipsi mílites, qui custódes advénerant, testes fíerent, si vellent vera nuntiáre. Sed avarítia illa, quæ captivávit discípulum cómitem Christi, captivávit et mílitem custódem sepúlcri. Damus, ínquiunt, vobis pecúniam: et dícite quia vobis dormiéntibus venérunt discípuli eius et abstulérunt eum. Vere defecérunt scrutántes scrutatiónes. Quid est quod dixísti, o infélix astútia? Tantúmne déseris lucem consílii pietátis, et in profúnda versútiæ demérgeris, ut hoc dicas, Dícite quia vobis dormiéntibus

venérunt discípuli eius et abstulérunt eum? Dormiéntes testes ádhibes? Vere tu ipse obdormísti, qui scrutándo tália defecísti.

℟. vi. Caligavérunt óculi mei a fletu meo: quia elongátus est a me qui consolabátur me: vidéte, omnes pópuli, * Si est dolor símilis sicut dolor meus. ℣. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, et vidéte. - Si est dolor. ℟. Caligavérunt.

In III Nocturno

Ant. 7 Deus ádiuvat me: et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Psalmus 53

Deus, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua iúdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádiuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Ant. Deus ádiuvat me: et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Ant. 8 In pace factus est locus eius: et in Sion habitátio eius.

Psalmus 75

Notus in Iudæa Deus: * in Israël magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius: * et habitátio eius in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Iacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti iudícium: * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in iudícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte et réddite Dómino Deo vestro, * omnes qui in circúitu eius affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Ant. In pace factus est locus eius: et in Sion habitátio eius.

Ant. 9 Factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

Psalmus 87

Dómine, Deus salútis meæ: * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, ⁊ quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et iustítia tua in terra oblivióne?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis oratiónem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum: * et notos meos a miséria.

Ant. Factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

℣. In pace factus est locus eius. ℟. Et in Sion habitátio eius.

Pater noster, secreto.

Sermo sancti Leónis Papæ

Sermo 9 de Passione

Lectio vii

Perácto, dilectíssimi, Salvatóris triúmpho et consummátis dispensatiónibus, quas ómnia véteris testaménti elóquia nuntiárunt, lúgeat carnális Iudæus, sed spiritális gáudeat Christiánus; et festívitas, quæ illis convérsa est in noctem, nobis corúscet in lucem. Quóniam crux Christi éadem est et credéntium glória et non credéntium pœna. Quamvis enim persequéntium furor nihil áliud in Dóminum maiestátis operátus sit, quam atrócem crudelitátem et immíte supplícium: redémptis tamen hac Dómini passióne vérior iustiórque lætándi est rátio quam doléndi.

℟. vii. Ecce quómodo móritur iustus, et nemo pércipit corde: et viri iusti tollúntur, et nemo considerat: a fácie iniquitátis sublátus est iustus, * Et erit in pace memória eius. ℣. In pace factus est locus eius: et in Sion habitátio eius. - Et erit.

Lectio viii

Fúerit tunc discipulórum excusábilis pavor, nec in diffidéntiæ culpam Apostólicus mæror incíderit: quando, concurréntibus ad unum scelus Iudæis Iudæorúmque princípibus, supérbus taurórum pínguium tumor et protérva vitulórum petulántia sæviébat; quando sub óculis óvium, Pastóris iusti sánguinem freméntium bestiárum rábies expetébat; quando dénique étiam ipse, qui pati vénerat, de nostræ natúræ communióne dicébat: Tristis est ánima mea usque ad mortem.

℟. viii. Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * Factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber. ℣. Posuérunt me in lacu inferióri: in tenebrósis et in umbra mortis. - Factus.

Lectio ix

Nunc autem postquam susceptióne infirmitátis poténtia est clarificáta virtútis, nulla fidélium mæstitúdine paschális est obscuránda solémnitas; nec cum tristítia nobis gestórum ordo recoléndus est: cum ita Dóminus usus sit malítia Iudæórum, ut intentióne facínoris volúntas sit impléta miseréntis. Si autem in éxitu Israël de Ægýpto agni sanguis fuit restitútio libertátis, et sacratíssima est facta festívitas, quæ per hóstiam pécudis iram avérteret vastatóris: quanta pópulis christiánis concipiénda sunt gáudia, pro quibus omnípotens Pater Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum! Ut in occisióne Christi, Pascha esset verum et singuláre sacrifícium: quo non ex dominatióne Pharaónis unus pópulus, sed ex diáboli captivitáte totus mundus erúitur.

Sine intervallo sequitur

Orátio Ieremíæ Prophétæ

Recordáre, Dómine, quid accíderit nobis: intuére, et réspice oppróbrium nostrum. Heréditas nostra versa est ad aliénos: domus nostræ ad extráneos. Pupílli facti sumus absque patre, matres nostræ quasi víduæ. Aquam nostram pecúnia bíbimus: ligna nostra prétio comparávimus. Cervícibus nostris minabámur, lassis non dabátur réquies. Ægýpto dédimus manum, et Assýriis ut saturarémur pane. Patres nostri peccavérunt et non sunt: et nos iniquitátes eórum portávimus. Servi domináti sunt nostri: non fuit qui redímeret de manu eórum. In animábus nostris afferebámus panem nobis, a fácie gládii in desérto. Pellis nostra quasi clíbanus exústa est a fácie tempestátum famis. Mulíeres in Sion humiliavérunt, et vírgines in civitátibus Iuda. Príncipes manu suspénsi sunt: fácies senum non erubuérunt. Adolescéntibus impudíce abúsi sunt: et púeri in ligno corruérunt. Senes defecérunt de portis; iúvenes de choro psalléntium. Defécit gáudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. Cécidit coróna cápitis nostri: væ nobis, quia peccávimus. Proptérea mæstum factum est cor nostrum, ídeo contenebráti sunt óculi nostri: Propter montem Sion quia dispériit, vulpes ambulavérunt in eo. Tu autem, Dómine, in ætérnum permanébis, sólium tuum in generatiónem et generatiónem. Quare in perpétuum obli-

viscéris nostri? derelínques nos in longitúdine diérum? Convérte nos, Dómine, ad te, et convertémur: ínnova dies nostros sicut a princípio. Sed proíciens repulísti nos, irátus es contra nos vehemènter.

Ierúsalem, Ierúsalem, convértere ad Dóminum Deum tuum.

℟. ix. Agnus Dei Christus immolátus est pro salúte mundi: nam de paréntis protoplásti fraude Factor cóndolens, quando pomi noxiális morsu in mortem córruit, ipse lignum tunc notávit, * Damna ligni ut sólveret. ℣. Lustris sex qui iam peráctis tempus implens córporis, se volénte natus ad hoc, passióni déditus, Agnus in crucis levátur immolándus stípite. - Damna ligni ut sólveret. ℟. Agnus Dei.

AD LAUDES

Ant. 1 O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inférne.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. O mors, ero mors tua: morsus tuus ero, inférne.

Ant. 2 Plangent eum quasi unigénitum, quia ínnocens Dóminus occísus est.

Psalmus 42

Iúdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt et adduxérunt in montem sanctum tuum et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei et Deus meus.

Ant. Plangent eum quasi unigénitum, quia ínnocens Dóminus occísus est.

Ant. 3 Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum.

Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣. sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣. in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣. adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣. introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣. laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Atténdite, univérsi pópuli, et vidéte dolórem meum.

Ant. 4 A porta ínferi érue, Dómine, ánimam meam.

Canticum Ezechiæ Regis
Isaiæ 38

Ego dixi: In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est et convolúta est a me * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte vita mea: ℣. dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea:

De mane usque ad vésperam fínies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba:

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum:

Dómine, vim pátior, ℣. respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, ℣. corrípies me et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima:

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret: * proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, ℣. neque mors laudábit te: * non exspectábunt qui descéndunt in lacum veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. A porta ínferi érue, Dómine, ánimam meam.

Ant. 5 O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus.

Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius: * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna: * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum: * et aquæ omnes quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum eius:

Montes et omnes colles: * ligna fructífera et omnes cedri.

Béstiæ et univérsa pécora: * serpéntes et vólucres pennátæ:

Reges terræ et omnes pópuli: * príncipes et omnes iúdices terræ.

Iúvenes et vírgines: senes cum iunióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Ant. O vos omnes qui transítis per viam, atténdite, et vidéte si est dolor sicut dolor meus.

Finita quinta antiphona, continuo sequitur

Ad Bened. ant. Mulíeres sedéntes ad monuméntum lamentabántur flentes Dóminum.

Canticum Benedíctus.

Repetita post Benedictus antiphona, duo Fratres stantes ante gradus altaris dicunt:

(Ad ea quæ sequuntur Fratres stant versi ad altare.)

Kýrie, eléison.

Et choro respondente

Kýrie, eléison,

iterum illi duo Fratres dicunt:

Kýrie, eléison.

Deinde alii duo Fratres stantes in medio chori dicunt:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui passúrus advenísti propter nos.

Et chorus dicit:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui, expánsis in cruce mánibus, traxísti ómnia ad te sæcula.

Item chorus:

Christe, eléison.

Item Fratres ante gradus:

℣. Qui prophétice prompsísti: Ero mors tua, o mors!

Item chorus:

Christe, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Et chorus:

Kýrie, eléison.

Et Fratres ante gradus:

Kýrie, eléison.

Deinde Fratres in medio chori:

Dómine, miserére.

Et chorus respondet:

Christus Dóminus factus est obédiens usque ad mortem.

Item Fratres ante gradus dicunt alta voce:

Mortem autem crucis.

Finito versu Mortem autem crucis prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Horæ minores dicuntur hora competenti.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, Horæ absolute inchoantur ab antiphona.

AD PRIMAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Repetita post psalmos antiphona prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur oratio Réspice, ut supra.

AD PRETIOSA

Finitis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, et responso Deo grátias, dicitur

Pretiosa ut in die Cenæ 372 notatum est, cum lectione tamen sequenti de Regula, præmissa benedictione

Reguláribus disciplínis ínstruat nos Magíster cæléstis. ℟. Amen.

Lectio

Séquitur in Régula beáti Augustíni Epíscopi

Donet Dóminus ut observétis hæc ómnia, tamquam spirituális pulchritúdinis amatóres; et bono Christi odóre de bona vestra conversatióne fragrántes: non sicut servi sub lege, sed sicut líberi sub grátia constitúti. Tu autem.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

Super psalmos ant. Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmi de dominica.

Repetita post psalmos antiphona prosternunt se omnes et dicunt Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur oratio Réspice, ut supra 410.

AD VESPERAS

Vesperæ dicuntur post meridiem, hora competenti.

Postquam fratres versis vultibus ad altare se signaverint, absolute inchoatur ab antiphona primi psalmi.

Ant. 1 Hódie afflíctus sum valde, sed cras solvam víncula mea.

Feria V et feria VI

Ant. Cálicem salutáris accípiam: et nomen Dómini invocábo.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Ant. Hódie afflíctus sum valde, sed cras solvam víncula mea.

Feria V et feria VI

Ant. Cálicem salutáris accípiam: et nomen Dómini invocábo.

Ant. 2 Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Psalmus 119

Ad Dóminum, cum tribulárer, clamávi: * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi, * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. 3 Ab homínibus iníquis líbera me, Dómine.

Psalmus 139

Eripe me, Dómine, ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum: * iuxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, ℣ in ignem deícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum iniústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus iudícium ínopis * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen iusti confitebúntur nómini tuo: * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ab homínibus iníquis líbera me, Dómine.

Ant. 4 Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

Psalmus 140

Dómine, clamávi ad te, exáudi me: * inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo: * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me iustus in misericórdia et increpábit me: * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt iuncti petræ iúdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus inférnum: ℣ quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo eius peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi, et a scándalis operántium iniquitátem.

Ant. 5 Considerábam ad déxteram et vidébam: et non erat qui cognósceret me.

Psalmus 141

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

Effúndo in conspéctu eius oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac qua ambulábam * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram et vidébam: * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me exspéctant iusti, donec retríbuas mihi.

Ant. Considerábam ad déxteram et vidébam: et non erat qui cognósceret me.

Finita quinta antiphona continuo sequitur antiphona ad Magnificat.

Feria V

Ad Magnif. ant. Cenántibus autem illis, accépit Iesus panem, et benedíxit ac fregit, dedítque discípulis suis.

Repetita post canticum antiphona statim subiungitur

Oratio absque Orémus

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam: pro qua Dóminus noster Iesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum.

Feria VI

Ad Magnif. ant. Cum accepísset acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum.

Repetita post canticum antiphona dicitur Pater noster totum secreto.

Deinde statim subiungitur oratio Réspice, ut supra.

Sabbato

Ad Magnif. ant. Príncipes sacerdótum et pharisæi muniérunt sepúlcrum, signántes lápidem, cum custódibus.

Repetita post canticum antiphona statim subiungitur, omissis prostrationibus,

Oratio absque Orémus

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui Fílii tui resurrectiónem devóta exspectatióne prævenímus, eiúsdem resurrectiónis glóriam consequámur.

Non dicitur conclusio.

Et sic terminantur Vesperæ.

AD COMPLETORIUM

Completorium dicitur tantum ab iis qui solemni Vigiliæ paschali non intersunt.

Dicuntur tres psalmi de dominica et canticum Nunc dimíttis sine antiphona; quibus finitis statim subiungitur oratio Concéde, quæsumus, ut supra.

IN DIE SANCTO PASCHÆ

I classis cum octava I classis

Cum solemnis Vigiliæ paschalis celebratio locum obtineat Officii nocturni dominicæ Resurrectionis, Matutino eiusdem dominicæ omisso, inter Missarum Vigiliæ solemnia, statim post Communionem, cantantur

PRO LAUDIBUS

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: ℣. laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Finita post psalmum antiphona, celebrans ad altare incipit

Ad Bened. ant. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole, allelúia.

Canticum Benedíctus cum Glória Patri.

Repetita post canticum antiphona, celebrans dicit

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

Postea celebrans iterum dicit

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Et diaconus subiungit

Ite, missa est, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

Et celebrans, dicto Pláceat tibi, dat benedictionem more solito, et sic, omisso ultimo Evangelio, Missa et Laudes simul finiuntur.

Non subiungitur Fidélium ánimæ.

Officium dominicæ Resurrectionis prosequitur deinde cum Prima, post quam dicitur Pretiosa.

Qui vero solemni Vigiliæ paschali non interfuerunt, tenentur dicere Matutinum et Laudes dominicæ Resurrectionis, ut infra.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, allelúia, * Allelúia.

Hac die et per totam hebdomadam usque ad Vesperas sequentis sabbati exclusive, ad Horas tam diei quam noctis, nullus dicitur hymnus.

In Nocturno

Ant. 1 Ego sum qui sum, et consílium meum non est cum ímpiis, sed in lege Dómini volúntas mea est, allelúia.

Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus viam iustórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Ego sum qui sum, et consílium meum non est cum ímpiis, sed in lege Dómini volúntas mea est, allelúia.

Ant. 2 Postulávi Patrem meum, allelúia: dedit mihi gentes, allelúia, in hereditátem, allelúia.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Postulávi Patrem meum, allelúia: dedit mihi gentes, allelúia, in hereditátem, allelúia.

Ant. 3 Ego dormívi et somnum cepi, et resurréxi, quia Dóminus suscépit me, allelúia, allelúia.

Psalmus 3

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Ego dormívi et somnum cepi, et resurréxi, quia Dóminus suscépit me, allelúia, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio 1 Cap. 16

In illo témpore: María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes

úngerent Iesum. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto iam sole. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 21 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, quod sanctæ mulíeres, quæ Dóminum fúerant secútæ, cum aromátibus ad monuméntum venérunt: et ei, quem vivéntem diléxerant, étiam mórtuo, stúdio humanitátis obsequúntur. Sed res gesta áliquid in sancta Ecclésia signat geréndum. Sic quippe necésse est ut audiámus quæ facta sunt, quátenus cogitémus étiam quæ nobis sint ex eórum imitatióne faciénda. Et nos ergo in eum, qui est mórtuus, credéntes, si odóre virtútum referti, cum opinióne bonórum óperum Dóminum quærimus, ad monuméntum profécto illíus cum aromátibus venímus.

℟. i. Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem et super eum sedit, et dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quia Crucifíxum quæritis: * Iam surréxit: veníte, et vidéte locum, ubi pósitus erat Dóminus, allelúia. ℣. Angelus Dómini locútus est muliéribus dicens: Quem quæritis? an Iesum quæritis? - Iam surréxit.

Lectio ii

Illæ autem mulíeres Angelos vident, quæ cum aromátibus venérunt: quia vidélicet illæ mentes supérnos cives aspíciunt, quæ cum virtútum odóribus ad Dóminum per sancta desidéria proficiscúntur. Notándum vero nobis est, quidnam sit, quod in dextris sedére Angelus cérnitur. Quid namque per sinístram, nisi vita præsens; quid vero per déxteram, nisi perpétua vita designátur? Unde in Cánticis canticórum scriptum est: Læva eius sub cápite meo et déxtera illíus amplexábitur me. Quia ergo Redémptor noster iam præséntis vitæ corruptiónem transíerat, recte Angelus, qui nuntiáre perénnem eius vitam vénerat, in déxtera sedébat. Qui stola cándida coopértus appáruit: quia festivitátis nostræ gáudia nuntiávit.

℟. ii. Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quæritis? an Iesum quæritis? iam surréxit: * Veníte, et vidéte, allelúia, allelúia. ℣. Iesum quæritis Nazarénum crucifíxum? surréxit, non est hic. - Veníte, et vidéte, allelúia, allelúia.

Lectio iii

Candor étenim vestis, splendórem nostræ denúntiat solemnitátis. Nostræ dicámus, an suæ? Sed ut fateámur vérius, et suæ dicámus et nostræ. Illa quippe Redemptóris nostri resurréctio et nostra festívitas fuit, quia nos ad immortalitátem redúxit: et Angelórum festívitas éxstitit, quia nos revocándo ad cæléstia, eórum númerum implévit. In sua ergo ac nostra festivitáte Angelus in albis véstibus appáruit: quia dum nos per resurrectiónem Domínicam ad supérna redúcimur, cæléstis pátriæ damna repárantur.

℟. iii. Dum transísset sábbatum, María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Iesum, Allelúia, allelúia. ℣. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto iam sole. - Ut veniéntes úngerent Iesum, allelúia, allelúia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Hymnus Te Deum. Et dicitur per totam hebdomadam.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus autem Dómini descéndit de cælo, allelúia.

3. Erat autem aspéctus eius sicut fulgur: vestiménta eius sicut nix, allelúia, allelúia.

4. Præ timóre autem eius extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui, allelúia.

5. Respóndens autem Angelus dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quod Iesum quæritis, allelúia.

Post quintam antiphonam statim dicitur

Ad Bened. ant. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto iam sole, allelúia.

Canticum Benedíctus.

Oratio

Deus, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti: vota nostra, quæ præveniéndo aspíras, étiam adiuvándo proséquere. Per eúndem.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

¶ Et sic cum duplici Allelúia dicitur Benedicámus in Laudibus et in Vesperis tam in dominicis quam in festis, et etiam in Officio de B. Maria in sabbato, usque ad I Vesperas Trinitatis exclusive. In Officio vero feriali dicitur cum uno Allelúia.

Ad ceteras autem Horas Benedicámus numquam dicitur cum Allelúia.

AD PRIMAM

Dicto ℣. Deus, in adiutórium cum Glória Patri, statim dicitur

Ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Deus, in nómine cum ceteris 592.

Repetita antiphona statim sequitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

(Sabbato: Allelúia. ℣. Hæc dies.)

Finito ℟. dicitur Confíteor.

Deinde Dóminus vobíscum.

Oratio

Deus, qui hodiérna die per Unigénitum tuum æternitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti: vota nostra, quæ præveniéndo aspíras, étiam adiuvándo proséquere. Per eúndem.

Feria IV et deinceps

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia: ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD TERTIAM

Dicto ℣. Deus, in adiutórium cum Glória Patri, statim dicitur

Ant. Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus autem Dómini descéndit de cælo, allelúia.

Psalmi de dominica.

Repetita antiphona statim sequitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

(Sabbato: Allelúia. ℣. Hæc dies.)

Deinde Dóminus vobíscum et oratio Laudum.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD SEXTAM

Dicto ℣. Deus, in adiutórium cum Glória Patri, statim dicitur

Ant. Erat autem aspéctus eius sicut fulgur: vestiménta eius sicut nix, allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica.

Repetita antiphona statim sequitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

(Sabbato: Allelúia. ℣. Hæc dies.)

Deinde Dóminus vobíscum et oratio Laudum.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD NONAM

Dicto ℣. Deus, in adiutórium cum Glória Patri, statim dicitur

Ant. Respóndens autem Angelus dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quod Iesum quæritis, allelúia.

Psalmi de dominica.

Repetita antiphona statim sequitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

(Sabbato: Allelúia. ℣. Hæc dies.)

Deinde Dóminus vobíscum et oratio Laudum.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

AD VESPERAS

Ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput. [Gl.]

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo,

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Finita antiphona statim dicitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

Ad Magnif. ant. Et respiciéntes vidérunt revolútum lápidem: erat quippe magnus valde, allelúia.

Canticum Magníficat.

Oratio

Deus, qui hodiérna die per Unigénitum tuum ætérnitátis nobis áditum, devícta morte, reserásti: vota nostra, quæ præveniéndo aspíras, étiam adiuvándo proséquere. Per eúndem Dóminum.

Hoc triduo terminata ad Vesperas oratione sequitur

℟. Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: * Quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia. ℣. Dicant nunc Iudæi quómodo mílites custodiéntes sepúlcrum perdidérunt Regem ad lápidis positiónem. Quare non servábant Petram iustítiæ? Aut sepúltum reddant, aut resurgéntem adórent, nobíscum dicéntes. - Quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúndem Christum.

Ant. Regína cæli, lætáre, allelúia: quia quem meruísti portáre, allelúia, resurréxit, sicut dixit, allelúia: ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Oratio

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem Dóminum.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino, allelúia, allelúia. ℟. Deo grátias, allelúia, allelúia.

AD COMPLETORIUM

Completorium more solito inchoatur.

Super psalmos ant. Allelúia, allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica.

Repetita antiphona statim sequitur

℟. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia: sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

Canticum Nunc dimíttis.

Oratio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

Feria IV et deinceps

Oratio

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: et Angeli tui sancti habitántes in ea nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per.

Dóminus vobíscum.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Data benedictione, ant. Salve, Regína et reliqua more solito dicuntur, addito suis locis Allelúia.

¶ Idem modus dicendi singulas Horas servetur usque ad Nonam sabbati inclusive, exceptis iis quæ singulis diebus habentur propria.

Feria secunda

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus iustítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium iustítiæ, ℣ et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam:

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Psalmus 6

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, ℣. lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 24

In illo témpore: Duo ex discípulis Iesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Ierúsalem, nómine Emmaus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 23 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, quia duóbus discípulis ambulántibus in via, non quidem credéntibus, sed tamen de se loquéntibus, Dóminus appáruit: sed eis spéciem, quam recognóscerent, non osténdit. Hoc ergo egit foris Dóminus in óculis córporis, quod apud ipsos agebátur intus in óculis cordis. Ipsi namque apud semetípsos intus et amábant et dubitábant: eis autem Dóminus foris et præsens áderat et quis esset non ostendébat. De se ígitur loquéntibus præséntiam exhíbuit: sed de se dubitántibus cognitiónis suæ spéciem abscóndit.

℟. i. María Magdaléne et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. Iesum quem quæritis, non est hic: surréxit sicut locútus est: * Præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. ℣. Cito eúntes dícite discípulis eius et Petro quia surréxit Dóminus. - Præcédet vos.

Lectio ii

Verba quidem cóntulit, durítiam intellectus increpávit, Scriptúræ sacræ mystéria, quæ de seípso erant, apéruit: et tamen, quia adhuc in eórum córdibus peregrínus erat a fide, ire se lóngius finxit. Fíngere namque, compónere dícimus: unde et compositóres luti fígulos vocámus. Nihil ergo simplex Véritas per duplicitátem fecit: sed talem se eis exhíbuit in córpore, qualis apud illos erat in mente. Probándi autem erant, si hi, qui eum etsi necdum ut Deum dilígerent, saltem ut peregrínum amáre potuíssent.

℟. ii. Surgens Iesus Dóminus noster et stans in médio discipulórum suórum dixit: * Pax vobis, allelúia. Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia. ℣. Una ergo sabbatórum, cum fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, venit Iesus et stetit in médio et dixit eis. - Pax vobis.

Lectio iii

Sed quia esse extránei a caritáte non póterant hi, cum quibus Véritas gradiebátur, eum ad hospítium quasi peregrínum vocant. Cur autem dícimus, Vocant; cum illic scriptum sit, Et coëgérunt eum? Ex quo nimírum exémplo collígitur, quia peregríni ad hospítium non solum invitándi sunt, sed étiam trahéndi. Mensam ígitur ponunt, panes cibósque ófferunt: et Deum, quem in Scriptúræ sacræ expositióne non cognóverant, in panis fractióne cognóscunt. Audiéndo ergo præcépta Dei illumináti non sunt; faciéndo illumináti sunt: quia scriptum est: Non auditóres legis iusti sunt apud Deum, sed factóres legis iustificabúntur.

℟. iii. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum: quia quem quærébam appáruit mihi, * Et, dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum meum, Allelúia. ℣. Recedéntibus discípulis non recedébam: et amóris eius igne succénsa, ardébam desidério. - Et dum flerem. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. Qui sunt hi sermónes, quos conférтis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui solemnitáte pascháli mundo remédia contulísti; pópulum tuum, quæsumus, cælésti dono proséquere: ut et perféctam libertátem cónsequi mereátur, et ad vitam proficiat sempitérnam. Per.

¶ Usque ad Vesperas sabbati exclusive, oratio quæ dicta fuerit in Laudibus dicitur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et Vesperas.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Nonne sic opórtuit pati Christum, et intráre in glóriam suam? Allelúia.

Postea sequitur ℟. Christus resúrgens et cetera ut in die Paschæ 423.

Feria tertia

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 7

Dómine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam et comprehéndat, ℣. et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti: * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus iúdicat pópulos.

Iúdica me, Dómine, secúndum iustítiam meam * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges iustum, * scrutans corda et renes, Deus.

Iustum adiutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis et pátiens: * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit iniustítiam: * concépit dolórem et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit et effódit eum: * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor eius in caput eius: * et in vérticem ipsíus iníquitas eius descéndet.

Confitébor Dómino secúndum iustítiam eius: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣. glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣. paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis et sulphur et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 24

In illo témpore: Stetit Iesus in médio discipulórum suórum et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolíte timére. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 10 Comm. in Lucam

Non per incorpóream natúram, sed per resurrectiónis qualitátem, impérvia usu clausa Dóminus penetrávit. Nam quod tángitur, corpus est: quod palpátur, corpus est. In córpore autem resurgémus. Seminátur enim corpus animále, surgit corpus spiritále: sed illud subtílius, hoc crássius, útpote adhuc terrénæ labis qualitáte concrétum. Nam quómodo non corpus, in quo manébant insígnia vúlnerum, vestígia cicatrícum, quæ Dóminus palpánda óbtulit? In quo non solum fidem firmat, sed étiam devotiónem ácuit: quod vúlnera suscépta pro nobis cælo inférre máluit, abolére nóluit: ut Deo Patri nostræ prétia libertátis osténderet.

℟. i. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia, * Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia. ℣. Læténtur cæli et exsúltet terra ante fáciem Dómini. - Qui.

Lectio ii

Talem sibi Pater ad déxteram locat, trophæum nostræ salútis ampléctens: tales illic mártyres nobis cicatrícis suæ coróna monstrávit. Et quóniam sermo huc noster usque evásit, considerémus qua grátia secúndum Ioánnem credíderint Apóstoli, qui gavísi sunt; secúndum Lucam quasi incréduli redarguántur: ibi Spíritum Sanctum accéperint, hic sedére in civitáte iubeántur, quoadúsque induántur virtúte ex alto. Et vidétur mihi ille quasi Apóstolus maióra et altióra tetigísse, hic sequéntia et humánis próxima: hic históríco usus circúitu, ille compéndio. Nam etsi primo Lucas eos non credidísse dicat, póstea tamen credidísse demónstrat. Et si prima considerémus, contrária sunt: si sequéntia, certum est convenire.

℟. ii. Tulérunt Dóminum meum: et néscio ubi posuérunt eum. Dicit ei Angelus: Noli fiere, María: * Surréxit sicut dixit: præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. ℣. Dum ergo fleret, inclinávit se et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis sedéntes, qui dicunt ei. - Surréxit.

Lectio iii

Stetit, inquit, in médio eórum et dixit: Pax vobis: ego sum, nolíte timére. Conturbáti vero et contérriti, existimábant se spíritum vidére. Vidétur separátim se istis úndecim demonstrásse, sicut se Amaóni et Cléophæ seórsum iam véspere demonstráverat. Et quemádmodum isti duo, ita étiam vidéntur illi úndecim ad confirmándos réliquos convenire potuísse. Dénique conturbáti sunt: et ídeo apéruit sensum, ut intellígerent ea quæ scripta sunt. Spíritum autem Sanctum vel illis úndecim quasi perfectióribus insufflávit, et réliquis póstea tribuéndum esse promíttit: vel eísdem ibi insufflávit, hic spondet. Nec vidétur esse contrárium, cum divisiónes gratiárum sint. Ibi remittendórum grátia tribúta est peccatórum, quod esse vidétur augústius: et ídeo insufflátur a Christo. Lucas autem linguárum grátiam descrípsit effúsam.

℟. iii. Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio: étenim Pascha nostrum immolátus est Christus: * Itaque epulémur in Dómino, Allelúia. ℣. Non in ferménto malítiæ et nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis et veritátis. - Itaque. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. Stetit Iesus in médio discipulórum suórum, et dixit eis: Pax vobis, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam novo semper fetu multíplicas: concéde fámulis tuis ut sacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt. Per.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Vidéte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum, allelúia, allelúia.

Postea sequitur ℣. Christus resúrgens et cetera, ut in die Paschæ 423.

Feria quarta

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 11

Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus: * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, ꝛ lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum et gémitum páuperum, * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos et custódies nos * a generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 12

Usquequo, Dómine, oblivíscéris me in finem? * Usquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos, ne

umquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo: ꝛ cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 13

Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ꝛ simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Sepúlcrum patens est guttur eórum: ꝛ linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.

Contrítio et infelícitas in viis eórum, ꝛ et viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne iusta est, consílium ínopis confudístis: * quóniam Dóminus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Iacob et lætábitur Israël.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 21

In illo témpore: Manifestávit se íterum Iesus discípulis ad mare Tiberíadis. Manifestávit autem sic: Erant simul Simon Petrus et Thomas, qui dícitur Dídymus. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 24 in Evang.

Léctio sancti Evangélii, quæ modo in vestris áuribus lecta est, fratres caríssimi, quæstióne ánimum pulsat: sed pulsatióne sua vim discretiónis índicat. Quæri étenim potest cur Petrus, qui piscátor ante conversiónem fuit, post conversiónem ad piscatiónem rédiit; et cum Véritas dicat, Nemo mittens manum suam ad arátrum et aspíciens retro aptus est regno Dei, cur repétiit quod derelíquit. Sed si virtus discretiónis inspícitur, cítius vidétur: quia nimírum negótium, quod ante conversiónem sine peccáto éxstitit, hoc étiam post conversiónem repétere culpa non fuit.

℟. i. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperíre librum et sólvere septem signácula eius: * Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem et fortitúdinem. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio ii

Nam piscatórem Petrum, Matthæum vero teloneárium scimus: et post conversiónem suam ad piscatiónem Petrus rédiit; Matthæus vero ad telónei negótium non resédit: quia áliud est victum per piscatiónem quærere, áliud autem telónei lucris pecúnias augére. Sunt enim pléraque negótia, quæ sine peccátis exhibéri aut vix aut nullátenus possunt. Quæ ergo ad peccátum ímplicant, ad hæc necésse est ut post conversiónem ánimus non recúrrat.

℟. ii. Si consurrexístis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram, allelúia. ℣. Mórtui enim estis et vita vestra abscóndita est cum Christo. - Quæ sursum sunt sápite.

Lectio iii

Quæri étiam potest cur discípulis in mari laborántibus, post resurrectiónem suam Dóminus in lítore stetit, qui ante resurrectiónem suam coram discípulis in flúctibus maris ambulávit. Cuius rei rátio festíne cognóscitur, si ipsa, quæ tunc ínerat, causa pensétur. Quid enim mare, nisi præsens sæculum designat, quod se cásuum tumúltibus et undis

vitæ corruptíbilis illídit? Quid per soliditátem lítoris, nisi illa perpetúitas quiétis ætérnæ figurátur? Quia ergo discípuli adhuc flúctibus mortális vitæ ínerant, in mari laborábant. Quia autem Redémptor noster iam corruptiónem carnis excésserat, post resurrectiónem suam in lítore stabat.

℟. iii. Surréxit Pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis, * Et pro suo grege mori dignátus est, Allelúia, allelúia. ℣. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. - Et pro suo grege. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

℣ Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. Míttite in déxteram navígii rete, et inveniétis, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos resurrectiónis Domínicæ ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius ut per temporália festa, quæ ágimus, pervenire ad gáudia ætérna mereámur. Per eúndem.

Ad Primam oratio In hac hora, et sic deinceps.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Hoc iam tértio manifestávit se Iesus, postquam resurréxit a mórtuis, allelúia.

Hodie et deinceps usque ad feriam VI inclusive fit tantum memoria de Cruce.

Ant. Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúndem.

Ad Completorium oratio Vísita, quæsumus, et sic deinceps.

Feria quinta

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Psalmus 15

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum, * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus: * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum et exsultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Psalmus 16

Exáudi, Dómine, iustítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo iudícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte: * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis sperántes in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ℣ ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Proiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, prævéni eum et supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in iustítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 20

In illo témpore: María stabat ad monumén-

tum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinávit se et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis sedéntes. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 25 in Evangelium

María Magdaléne, quæ fúerat in civitáte peccátrix, amándo Veritátem, lavit lácrimis máculas críminis: et vox Veritátis implétur, qua dícitur: Dimíssa sunt ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Quæ enim prius frígida peccándo remánserat; póstmodum amándo fórtiter ardébat. Nam postquam venit ad monuméntum, ibíque corpus Domínicum non invénit, sublátum crédidit, atque discípulis nuntiávit: qui veniéntes vidérunt, atque ita esse, ut múlier díxerat, credidérunt.

℟. i. María Magdaléne et áltera María ibant dilúculo ad monuméntum. Iesum quem quæritis, non est hic: surréxit sicut locútus est: * Præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. ℣. Cito eúntes dícite discípulis eius et Petro quia surréxit Dóminus. - Præcédet vos.

Lectio ii

Et de eis prótinus scriptum est: Abiérunt ergo discípuli ad semetípsos. Ac deínde subiúngitur: María autem stabat ad monuméntum foris, plorans. Qua in re pensándum est, huius mulíeris mentem quanta vis amóris accénderat, quæ a monuménto Dómini, étiam discípulis recedéntibus, non recedébat. Exquirébat quem non invénerat: flebat inquiréndo, et amóris sui igne succénsa, eius, quem ablátum crédidit, ardébat desidério.

℟. ii. Surgens Iesus Dóminus noster et stans in médio discipulórum suórum dixit: * Pax vobis, allelúia. Gavísi sunt discípuli, viso Dómino, allelúia. ℣. Una ergo sabbatórum, cum fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, venit Iesus et stetit in médio et dixit eis. - Pax vobis, allelúia. Gavísi sunt.

Lectio iii

Unde cóntigit ut eum tunc sola vidéret, quæ remánserat ut quæréret: quia nimírum virtus boni óperis perseveránti a est. Et voce Veritátis dícitur: Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. María ergo cum fleret, inclinávit se et prospéxit in monuméntum. Certe iam monuméntum vácuum víderat, iam sublátum Dóminum nuntiáverat; quid est quod se íterum inclínat, íterum vidére desíderat? Sed amánti semel aspexísse non súfficit: quia vis amóris intentiónem multíplicat inquisitiónis.

℟. iii. Congratulámini mihi, omnes qui dilígitis Dóminum: quia quem quærébam appáruit mihi, * Et, dum flerem ad monuméntum, vidi Dóminum meum, Allelúia. ℣. Recedéntibus discípulis non recedébam: et amóris eius igne succénsa, ardébam desidério. - Et, dum flerem ad monuméntum. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. María stabat ad monuméntum plorans, et vidit duos Angelos in albis sedéntes et sudárium quod fúerat super caput Iesu, allelúia.

Oratio

Deus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti: da ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium, et píetas actiónum. Per.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Tulérunt Dóminum meum, et néscio ubi posuérunt eum. Si tu sustulísti eum, dícito mihi, allelúia: et ego eum tollam, allelúia.

Ad memoriam de Cruce ant. Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia. ℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúndem.

Feria sexta

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius;

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Psalmus 19

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ eius.

Hi in cúrribus et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini Dei nostri invocábimus.

Ipsi obligáti sunt et cecidérunt: * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem: * et exáudi nos in die qua invocavérimus te.

Psalmus 20

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis eius tribuísti ei: * et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum et in sæculum sæculi.

Magna est glória eius in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum, * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 28

In illo témpore: Undecim discípuli abiérunt in Galilæam in montem, ubi constitúerat illis Iesus. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 4 Comm. in Matth. in fine

Post resurrectiónem Iesus in monte Galilææ conspícitur, ibíque adorátur: licet quidam dúbitent, et dubitátio eórum nostram áugeat fidem. Tunc maniféstius osténditur Thomæ: et latus láncea vulnerátum et manus fixas demónstrat clavis. Accédens Iesus locútus est eis, dicens: Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra. Illi potéstas data est, qui paulo ante crucifíxus, qui sepúltus in túmulo, qui mórtuus iacúerat, qui póstea resurréxit. In cælo autem et in terra potéstas data est: ut qui ante regnábat in cælo, per fidem credéntium regnet in terra.

℟. i. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia, * Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia. ℣. Læténtur cæli et exsúltet terra ante fáciem Dómini. - Qui.

Lectio ii

Eúntes autem docéte omnes gentes: baptizántes eos in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Primum docent omnes gentes, deínde doctas intíngunt aqua. Non enim potest fíeri, ut corpus baptísmi recípiat sacraméntum, nisi ante ánima fídei suscéperit veritátem. Baptizántur autem in nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti: ut quorum una est divínitas, una sit largítio: noménque Trinitátis, unus Deus est.

℟. ii. Tulérunt Dóminum meum: et néscio ubi posuérunt eum. Dicit ei Angelus: Noli flere, María: * Surréxit sicut dixit: præcédet vos in Galilæam: ibi eum vidébitis, allelúia, allelúia. ℣. Dum ergo fleret, inclinávit se et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis sedéntes, qui dicunt ei. - Surréxit.

Lectio iii

Docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis. Ordo præcípuus: iussit Apóstolis, ut primum docérent omnes gentes: deínde fídei intíngerent sacraménto: et post fidem ac baptísma, quæ essent observánda præcíperent. Ac ne putémus lévia esse quæ iussa sunt et pauca, áddidit: Omnia quæcúmque mandávi vobis: ut quicúmque credíderint, qui in Trinitáte fúerint baptizáti, ómnia fáciant quæ præcépta sunt. Et ecce ego vobíscum sum usque ad consummatiónem sæculi.

℟. iii. Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio: étenim Pascha nostrum immolátus est Christus: * Itaque epulémur in Dómino, Allelúia. ℣. Non in ferménto malítiæ et nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis et veritátis. - Itaque. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. Undecim discípuli in Galiláea vidéntes Dóminum adoravérunt, allelúia.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti: da méntibus nostris ut, quod professióne celebrámus, imitémur efféctu. Per.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Data est mihi omnis potéstas in cælo et in terra, allelúia, allelúia.

Ad memoriam de Cruce ant. Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur: quod enim vivit, vivit Deo, allelúia, allelúia.

℣. Dícite in natiónibus, allelúia. ℟. Quia Dóminus regnávit a ligno, allelúia.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem, concéde nobis fámulis tuis ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúndem.

Sabbato

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia.

In Nocturno

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Psalmus 22

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ:

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius: * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens: Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles: * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Psalmus 25

Iúdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum: * et in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis: * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium: * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * et circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam * et cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me et miserére mei.

Pes meus stetit in diréc-

to: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 20

In illo témpore: Una sábbati, María Magdaléne venit mane, cum adhuc ténebræ essent, ad monuméntum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 22 in Evangelium

Léctio sancti Evangélii, quam modo, fratres, audístis, valde in superfície histórica est apérta: sed eius nobis sunt mystéria sub brevitáte requirénda. María Magdaléne, cum adhuc ténebræ essent, venit ad monuméntum. Iuxta históriam notátur hora: iuxta intelléctum vero mýsticum, requiréntis signátur intelligéntia. María enim Auctórem ómnium, quem in carne víderat mórtuum, quærébat in monuménto: et quia hunc mínime invénit, furátum crédidit.

℟. i. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix David, aperíre librum et sólvere septem signácula eius: * Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem et fortitúdinem. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Lectio ii

Adhuc ergo erant ténebræ, cum venit ad monuméntum. Cucúrrit cítius, discipulísque nuntiávit: sed illi præ céteris cucurrérunt, qui præ céteris amavérunt, vidélicet Petrus et Ioánnes. Currébant autem duo simul; sed Ioánnes præcucúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum, et ingredi non præsúmpsit. Venit ergo postérior Petrus, et intrávit. Quid, fratres, quid cursus iste significat? Numquid hæc tam subtílis Evangelístæ descríptio a mystériis vacáre credénda est? Mínime. Quid ergo per Ioánnem, nisi Synagóga: quid per Petrum, nisi præsens Ecclésia designátur?

℟. ii. Si consurrexístis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: * Quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram, allelúia. ℣. Mórtui enim estis et vita vestra abscóndita est cum Christo. - Quæ sursum.

Lectio iii

Nec mirum esse videátur, quod per iuniórem Synagóga, per seniórem vero Ecclésia signári perhibétur: quia etsi ad Dei cultum prior est Synagóga quam Ecclésia géntium; ad usum tamen sæculi prior est multitúdo géntium quam Synagóga, Paulo attestánte, qui ait: Quia non prius quod spiritále est, sed quod animále. Per seniórem ergo Petrum significátur Ecclésia géntium: per iuniórem vero Ioánnem Synagóga Iudæórum. Venit Synagóga prior ad monuméntum, sed mínime intrávit: quia Legis quidem mandáta percépit, prophetías de incarnatióne ac passióne Domínica audívit: sed crédere in mórtuum nóluit.

℟. iii. Surréxit Pastor bonus, qui pósuit ánimam suam pro óvibus suis, * Et pro suo grege mori dignátus est, Allelúia, allelúia. ℣. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. - Et pro suo grege. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Repetita antiphona statim sequitur

Ad Bened. ant. Currébant duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit prior ad monuméntum, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui festa paschália venerándo égimus, per hæc contíngere ad gáudia ætérna mereámur. Per.

AD HORAS

Hac die ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, repetita post psalmos antiphona, loco responsorii dicitur

Allelúia. ℣. Hæc dies quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea.

Post versum non repetitur Allelúia.

Dominica in albis in octava Paschæ

I classis

AD I VESPERAS

Psalmi de sabbato sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 795.

Capitulum Christus resúrgens, hymnus Ad cenam Agni et ℣. Mane nobíscum 797.

Ad Magnif. ant. Cum esset sero die illa, una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti, stetit Iesus in médio et dixit eis: Pax vobis, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui paschália festa perégimus, hæc te largiénte móribus et vita teneámus. Per.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de dominica. Cetera ut in Psalterio pro Resurrectionis tempore 614.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Surréxit Dóminus vere: * Veníte, adorémus, allelúia.

¶ Hoc invitatorium dicitur dominicis diebus usque ad Ascensionem, cum de Tempore agitur.

Hymnus

Auróra lucis rútilat,
Cælum láudibus íntonat,
Mundus exsúltans iúbilat,
Gemens inférnus úlulat:

Cum Rex ille fortíssimus,
Mortis confráctis víribus,
Pede concúlcans tártara,
Solvit a pœna míseros.

Ille, qui clausus lápide
Custodítur sub mílite,
Triúmphans pompa nóbili
Victor surgit de fúnere.

Solútis iam gemítibus
Et inférni dolóribus,
Quia surréxit Dóminus,
Respléndens clamat Angelus.

Tristes erant Apóstoli
De nece sui Dómini,
Quem pœna mortis crudéli
Servi damnárant ímpii.

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Antiphonæ, psalmi et versiculus ut in die Paschæ 416.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 20

In illo témpore: Cum sero esset die illo, una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Iudæórum: venit Iesus et stetit in médio et dixit eis: Pax vobis. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 26 in Evang.

Prima lectiónis huius evangélicæ quæstio ánimum pulsat: Quómodo post resurrectiónem corpus Domínicum verum fuit, quod clausis iánuis ad discípulos íngredi pótuit? Sed sciéndum nobis est quod divína operátio, si ratióne comprehénditur, non est admirábilis: nec fides habet méritum, cui humána rátio præbet experiméntum. Sed hæc ipsa Redemptóris nostri ópera, quæ ex semetípsis comprehéndi

nequáquam possunt, exália eius operatióne pensánda sunt, ut rebus mirabílibus fidem præbeant facta mirabilióra.

℟. i. Angelus Dómini descéndit de cælo, et accédens revólvit lápidem et super eum sedit, et dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quia Crucifíxum quæritis: * Iam surréxit: veníte, et vidéte locum, ubi pósitus erat Dóminus, allelúia. ℣. Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quæritis? an Iesum quæritis? - Iam surréxit.

Lectio ii

Illud enim corpus Dómini intrávit ad discípulos clausis iánuis, quod vidélicet ad humános óculos per nativitátem suam clauso exívit útero Vírginis. Quid ergo mirum, si clausis iánuis post resurrectiónem suam in ætérnum iam victúrus intrávit, qui moritúrus véniens, non apérto Vírginis útero exívit? Sed quia ad illud corpus, quod vidéri póterat, fides intuéntium dubitábat, osténdit eis prótinus manus et latus: palpándam carnem præbuit, quam clausis iánuis introdúxit.

℟. ii. Angelus Dómini locútus est muliéribus, dicens: Quem quæritis? an Iesum quæritis? iam surréxit: * Veníte, et vidéte, allelúia, allelúia. ℣. Iesum quæritis Nazarénum crucifíxum? surréxit, non est hic. - Veníte.

Lectio iii

Qua in re duo mira et iuxta humánam ratiónem sibi valde contrária osténdit: dum post resurrectiónem suam corpus suum incorruptíbile, et tamen palpábile demonstrávit. Nam et corrúmpi necésse est quod palpátur: et palpári non potest quod non corrúmpitur. Sed miro modo atque inæstimábili Redémptor noster et incorruptíbile post resurrectiónem et palpábile corpus exhíbuit: ut monstrándo incorruptíbile, invitáret ad prémium: et præbéndo palpábile, firmáret ad fidem.

℟. iii. Dum transísset sabbátum, María Magdaléne et María Iacóbi et Salóme emérunt arómata, * Ut veniéntes úngerent Iesum, Allelúia, allelúia. ℣. Et valde mane una sabbatórum véniunt ad monuméntum, orto iam sole. - Ut veniéntes. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus autem Dómini descéndit de cælo, allelúia.

3. Erat autem aspéctus eius sicut fulgur: vestiménta eius sicut nix, allelúia, allelúia.

4. Præ timóre autem eius extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui, allelúia.

5. Respóndens autem Angelus dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quod Iesum quæritis, allelúia.

Capitulum Christus resúrgens, hymnus Sermóne blando et ℣. Gavísi sunt 583.

Ad Bened. ant. Post dies octo iánuis clausis ingréssus Dóminus dixit eis: Pax vobis, allelúia, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui paschália festa perégimus, hæc te largiénte móribus et vita teneámus. Per.

AD PRIMAM

Ant. Angelus autem Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festis.

Capitulum Regi sæculórum.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Iesu Christe. ℣. Qui surrexísti a mórtuis. Allelúia, allelúia. Glória. Iesu Christe.

¶ Et sic dicitur usque ad Ascensionem, nisi aliter notetur.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos, allelúia. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

AD TERTIAM

Ant. Et ecce terræ motus factus est magnus: Angelus autem Dómini descéndit de cælo, allelúia.

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Resurréxit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Resurréxit Dóminus. ℣. Sicut dixit vobis. Allelúia. Glória. Resurréxit Dóminus.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

AD SEXTAM

Ant. Erat autem aspéctus eius sicut fulgur: vestiménta eius sicut nix, allelúia, allelúia.

Capitulum Coloss. 3

Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

℟. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Et appáruit Simóni. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

AD NONAM

Ant. Respóndens autem Angelus dixit muliéribus: Nolíte timére: scio enim quod Iesum quæritis, allelúia.

Capitulum Coloss. 3

Cum autem Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

AD II VESPERAS

Quinque psalmi de dominica sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Christus resúrgens, hymnus Ad cenam Agni et ℣. Mane nobíscum 609.

Ad Magnif. ant. Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui paschália festa perégimus, hæc te largiénte móribus et vita teneámus. Per.

In Officio feriali tempore Resurrectionis
usque ad vigiliam Ascensionis inclusive

Non fiunt prostrationes ad ullas Horas, nec dicuntur preces.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, allelúia, * Allelúia.

Hymnus

Auróra lucis rútilat,
Cælum láudibus íntonat,
Mundus exsúltans iúbilat,
Gemens inférnus úlulat:
Cum Rex ille fortíssimus,
Mortis confráctis víribus,
Pede concúlcans tártara,
Solvit a pœna míseros.
Ille, qui clausus lápide
Custodítur sub mílite,
Triúmphans pompa nóbili
Victor surgit de fúnere.
Solútis iam gemítibus
Et inférni dolóribus,
Quia surréxit Dóminus,
Respléndens clamat Angelus.
Tristes erant Apóstoli
De nece sui Dómini,
Quem pœna mortis crudéli
Servi damnárant ímpii.
Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Antiphona et tres psalmi de feria cum ℣. de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio, secundum ordinem hebdomadarum infra indicatum.

Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Psalmi de feria sub antiphona de tempore paschali, ut in Psalterio.

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus

Sermóne blando Angelus
Prædíxit muliéribus:
In Galiléa Dóminus
Vidéndus est quantócius.
Illæ, dum pergunt cóncitæ
Apóstolis hoc dícere,
Vidéntes eum vívere,
Osculántur pedes Dómini.

Quo ágnito, discípuli
In Galiléam própere
Pergunt, vidére fáciem
Desiderátam Dómini.
Claro pascháli gáudio
Sol mundo nitet rádio,
Cum Christum iam Apóstoli
Visu cernunt corpóreo.
Osténsa sibi vúlnera,
In Christi carne fúlgida,
Resurrexísse Dóminum
Voce faténtur pública.
Rex Christe clementíssime,
Tu corda nostra pósside:
Ut tibi laudes débitas
Reddámus omni témpore.
Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. antiphona quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notatur (præterquam in vigilia Ascensionis).

Oratio dominicæ præcedentis, præterquam in vigilia Ascensionis.

Benedicámus Dómino, allelúia.

Ad Pretiosa legendum est de Regula.

Ad Horas psalmi de feria currenti sub antiphona de tempore paschali, ut in Psalterio.

AD PRIMAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Iesu Christe. ℣. Qui surrexísti a mórtuis. Allelúia, allelúia. Glória. Iesu Christe.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos, allelúia. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

Oratio Dómine Deus omnípotens, ut in Psalterio.

AD TERTIAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum ut supra in Laudibus.

℟. Resurréxit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Resurréxit. ℣. Sicut dixit vobis. Allelúia. Glória. Resurréxit.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Oratio dominicæ præcedentis, præterquam in vigilia Ascensionis.

AD SEXTAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Coloss. 3

Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

℟. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Et appáruit Simóni. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Oratio dominicæ præcedentis, præterquam in vigilia Ascensionis.

AD NONAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Coloss. 3

Cum autem Christus apparúerit, vita vestra, tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Oratio dominicæ præcedentis, præterquam in vigilia Ascensionis.

AD VESPERAS

Antiphona et psalmi ut in Psalterio, tempore paschali.

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus

Ad cenam Agni próvidi
Et stolis albis cándidi,
Post tránsitum Maris Rubri,
Christo canámus príncipi.

Cuius corpus sanctíssimum,
In ara crucis tórridum:
Cruóre eius róseo
Gustándo vívimus Deo.

Protécti Paschæ véspere
A devastánte Angelo,
Erépti de duríssimo
Pharaónis império.

Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolátus Agnus est:
Sinceritátis ázyma
Caro eius obláta est.

O vere digna hóstia,
Per quam fracta sunt tártara,
Redémpta plebs captiváta,
Réddita vitæ prǽmia!

Consúrgit Christus túmulo,
Victor redit de bárathro,
Tyránnum trudens vínculo,
Et réserans paradísum.

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. antiphona quæ per hebdomadam dicenda proprio loco notatur.

Oratio dominicæ præcedentis.

Benedicámus Dómino, allelúia.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de feria sub antiphona de tempore paschali.

Reliqua ut in Ordinario 567 cum variationibus ibidem 568 pro tempore Resurrectionis notatis.

¶ Per totum tempus paschale in omnibus feriis et festis psalmos feriales poscentibus, ad Matutinum tres psalmi de feria currenti sub antiphona Allelúia cum versículo de tempore Resurrectionis vel Ascensionis secundum hanc dispositionem dicuntur: Infra hebdomadam primam post octavam Paschæ dicuntur tres primi psalmi feriæ currentis (I), infra hebdomadam secundam tres medii (II), infra hebdomadam tertiam autem tres ultimi (III). - Infra hebdomadam quartam sumuntur iterum tres primi psalmi, infra hebdomadam quintam tres medii et infra hebdomadam post dominicam post Ascensionem tres ultimi.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Multa quidem et ália signa fecit Iesus in conspéctu discipulórum suórum, allelúia, quæ non sunt scripta in libro hoc, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui paschália festa perégimus, hæc te largiénte móribus et vita teneámus. Per.

Ad Magnif. ant. Hæc autem scripta sunt, ut credátis quia Iesus est Christus Fílius Dei, et ut credéntes vitam habeátis in nómine ipsíus, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres primi psalmi (I) de feria currenti.

Hodie incipit historia Dignus es, nisi festum impediat, et dicitur hac hebdomada et duabus sequentibus.

Incipit liber Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 1

Apocalýpsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam fácere servis suis, quæ opórtet fíeri cito: et significávit mittens per Angelum suum servo suo Ioánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Iesu Christi, quæcúmque vidit. Beátus qui legit et audit verba prophetíæ huius: et servat ea quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine tuo, allelúia.

Lectio ii

Ioánnes septem eccléssiis quæ sunt in Asia. Grátia vobis et pax ab eo qui est et qui erat et qui ventúrus est: et a septem spirítibus qui in conspéctu throni eius sunt: et a Iesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum et princeps regum terræ, qui diléxit nos et lavit nos a peccátis nostris in sánguine suo, et fecit nos regnum et sacerdótes Deo et Patri suo: ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum: Amen.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Ecce venit cum núbibus, et vidébit eum omnis óculus, et qui eum pupugérunt. Et plangent se super eum omnes tribus terræ. Etiam: Amen. Ego sum alpha et oméga, princípium et finis, dicit Dóminus Deus: qui est et qui erat et qui ventúrus est, Omnípotens. Ego Ioánnes, frater vester et párticeps in tribulatióne et regno et patiéntia in Christo Iesu: fui in ínsula quæ appellátur Patmos, propter verbum Dei et testimónium Iesu.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius,

Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 2

Angelo Ephesi ecclésiæ scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in déxtera sua, qui ámbulat in médio septem candelabrórum aureórum: Scio ópera tua et labórem et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et tentásti eos qui se dicunt Apóstolos esse et non sunt: et invenísti eos mendáces: et patiéntiam habes, et sustinuísti propter nomen meum, et non defecísti. Sed hábeo advérsum te, quod caritátem tuam primam reliquísti.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi.

Lectio ii

Et Angelo Smyrnæ ecclésiæ scribe: Hæc dicit primus et novíssimus, qui fuit mórtuus et vivit: Scio tribulatiónem tuam et paupertátem tuam, sed dives es: et blasphemáris ab his qui se dicunt Iudæos esse et non sunt, sed sunt synagóga Sátanæ. Nihil horum tímeas quæ passúrus es. Ecce missúrus est diábolus áliquos ex vobis in cárcerem ut tentémini: et habébitis tribulatiónem diébus decem.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et Angelo Pérgami ecclésiæ scribe: Hæc dicit qui habet romphæam utráque parte acútam: Scio ubi hábitas, ubi sedes est Sátanæ: et tenes nomen meum, et non negásti fidem meam.

Et in diébus illis Antípas testis meus fidélis, qui occísus est apud vos, ubi Sátanas hábitat. Sed hábeo advérsus te pauca: quia habes illic tenéntes doctrínam Bálaam.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 2

Angelo Thyatíræ eccléssiæ scribe: Hæc dicit Fílius Dei, qui habet óculos tamquam flammam ignis, et pedes eius símiles aurichálco: Novi ópera tua et fidem et caritátem tuam, et ministérium et patiéntiam tuam, et ópera tua novíssima plura prióribus. Sed hábeo advérsus te pauca: quia permíttis mulíerem Iézabel, quæ se dicit prophéten, docére et sedúcere servos meos, fornicári et manducáre de idolóthytis.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et.

Lectio ii

Vobis autem dico et céteris qui Thyatíræ estis: Quicúmque non habent doctrínam hanc, et qui non cognovérunt altitúdines Sátanæ, quemádmodum dicunt, non mittam super vos áliud pondus: tamen id quod habétis tenéte, donec véniam. Et qui vícerit et custodíerit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes.

℟. ii. Vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam auro mundo, * Et lapídibus pretiósis intéxtam, allelúia, allelúia. ℣. Ab intus in fímbriis áureis circumamícta varietáte. - Et lapídibus.

Lectio iii Cap. 3

Et Angelo ecclésiæ Sardis scribe: Hæc dicit qui habet septem spíritus Dei et septem stellas: Scio ópera tua, quia nomen habes quod vivas et mórtuus es. Esto vígilans, et confírma cétera quæ moritúra erant. Non enim invénio ópera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe quáliter accéperis et audíeris, et serva, et pæniténtiam age. Si ergo non vigiláveris, véniam ad te tamquam fur, et néscies qua hora véniam ad te.

℟. iii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 3

Et Angelo Philadelphíæ ecclésiæ scribe: Hæc dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David: qui áperit, et nemo claudit: claudit, et nemo áperit: Scio ópera tua. Ecce dedi coram te óstium apértum, quod nemo potest cláudere: quia módicam habes virtútem, et servásti verbum meum et non negásti nomen meum. Ecce dabo de synagóga Sátanæ, qui dicunt se Iudæos esse et non sunt, sed mentiúntur.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In.

Lectio ii

Ecce fáciam illos ut véniant et adórent ante pedes tuos: et scient quia ego diléxi te. Quóniam servásti verbum patiéntiæ meæ, et ego servábo te ab hora tentatiónis, quæ ventúra est in orbem univérsum tentáre habitántes in terra. Ecce vénio cito: tene quod habes, ut nemo accípiat corónam tuam. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo Dei mei, et foras non egrediétur ámplius: et scribam super eum nomen Dei mei et nomen civitátis Dei mei, novæ Ierúsalem, quæ descéndit de cælo a Deo meo, et nomen meum novum.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris,

allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte ad me.

Lectio iii

Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat ecclésiis. Et Angelo Laodicíæ ecclésiæ scribe: Hæc dicit Amen, testis fidélis et verus, qui est princípium creatúræ Dei: Scio ópera tua: quia neque frígidus es, neque cálidus: útinam frígidus esses aut cálidus: sed, quia tépidus es et nec frígidus nec cálidus, incípiam te evómere ex ore meo.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 4

Post hæc vidi: et ecce óstium apértum in cælo, et vox prima quam audívi tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens: Ascénde huc, et osténdam tibi quæ opórtet fíeri post hæc. Et statim fui in spíritu: et ecce sedes pósita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis iáspidis et sárdinis: et iris erat in circúitu sedis símilis visióni smarágdinæ.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi.

Lectio ii

Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor: et super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis, et in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura et voces et tonítrua: et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo: et in médio sedis et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et ánimal primum símile leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália síngula eórum habébant alas senas: et in circúitu et intus plena sunt óculis: et réquiem non habébant die ac nocte dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat et qui est et qui ventúrus est.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Sabbato

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 5

Et vidi in déxtera sedéntis supra thronum librum scriptum intus et foris, signátum sigíllis septem. Et vidi Angelum fortem, prædicántem voce magna: Quis est dignus aperíre librum et sólvere signácula eius? Et nemo póterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperíre librum, neque respícere illum. Et ego flebam multum, quóniam nemo dignus invéntus est aperíre librum, nec vidére eum.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius

Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia.

Lectio ii

Et unus de senióribus dixit mihi: Ne fléveris: ecce vicit leo de tribu Iuda, radix David, aperíre librum et sólvere septem signácula eius. Et vidi: et ecce in médio throni et quátuor animálium et in médio seniórum Agnum stantem tamquam occísum, habéntem córnua septem et óculos septem: qui sunt septem spíritus Dei missi in omnem terram. Et venit: et accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et, cum aperuísset librum, quátuor animália et vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cítharas et phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes sanctórum: et cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius: quóniam occísus es et redemísti nos Deo in sánguine tuo.

℟. ii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur.

DOMINICA II POST PASCHA

II classis

AD I VESPERAS

Psalmi de sabbato sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 795.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 797.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Hæc autem scripta sunt, ut credátis quia Iesus est Christus Fílius Dei, et ut credéntes vitam habeátis in nómine ipsíus, allelúia.

Oratio

Deus, qui in Fílii tui humilitáte iacéntem mundum erexísti, fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam: ut, quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúndem.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Surréxit Dóminus vere: * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus Auróra lucis 571.

In Nocturno

Tres primi psalmi de dominica sub antiphona Surréxit cum versículo de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio, quæ dicuntur etiam in reliquis dominicis ante Ascensionem.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 14 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, ex lectióne evangélica eruditiónem vestram: audístis et perículum nostrum. Ecce enim is, qui non ex accidénti dono, sed essentiáliter bonus est, dicit: Ego sum pastor bonus. Atque eiúsdem bonitátis formam, quam nos imitémur, adiúngit, dicens: Bonus pastor ánimam suam ponit pro óvibus suis.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine tuo, allelúia.

Lectio ii

Fecit quod mónuit: osténdit quod iussit. Bonus pastor pro óvibus suis ánimam suam pósuit, ut in sacraménto nostro corpus suum et sánguinem vérteret, et oves, quas redémerat, carnis suæ alimento satiáret. Osténsa nobis est ígitur de contémptu mortis via, quam sequámur: appósita est forma, cui imprimámur. Primum nobis est exterióra nostra misericórditer óvibus eius impéndere: postrémum vero, si necésse sit, étiam mortem nostram pro eísdem óvibus ministráre. A primo autem hoc mínimo pervenítur ad postrémum maius.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigilá-verint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Sed cum incomparabíliter longe sit mélior ánima, qua vívimus, terréna substántia, quam extérius possidémus: qui non dat pro óvibus substántiam suam, quando pro his datúrus est ánimam suam? Et sunt nonnúlli, qui dum plus terrénam substántiam quam oves díligunt, mérito nomen pastóris perdunt, de quibus prótinus súbditur: Mercenárius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem et dimíttit oves et fugit.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Sermóne blando 583.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. ant. Ego sum pastor bonus, qui pasco oves meas, et pro óvibus meis pono ánimam meam, allelúia.

Oratio

Deus, qui in Fílii tui humilitáte iacéntem mundum erexísti, fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam: ut, quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúndem.

Ad Horas antiphonæ, capitula, ℟℟. et ℣℣. de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Psalmi de dominica sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 609.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Ego sum pastor óvium: ego sum via, véritas et vita: ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ, allelúia, allelúia.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Pastor bonus ánimam suam ponit pro óvibus suis, allelúia.

Oratio

Deus, qui in Fílii tui humilitáte iacéntem mundum erexísti, fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam: ut, quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúndem.

Ad Magnif. ant. Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle et unus pastor, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres psalmi medii (II) de feria currenti.

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 6

Et vidi quod aperuísset Agnus unum de septem sigíllis, et audívi unum de quátuor animálibus dicens tamquam vocem tonítrui: Veni et vide. Et vidi: et ecce equus albus, et qui sedébat super illum habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens ut vínceret. Et, cum aperuísset sigíllum secúndum, audívi secúndum ánimal dicens: Veni et vide.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine tuo, allelúia.

Lectio ii

Et exívit álius equus rufus: et qui sedébat super illum, datum est ei ut súmeret pacem de terra et ut ínvicem se interfíciant, et datus est ei gládius magnus. Et, cum aperuísset sigíllum tértium, audívi tértium ánimal dicens: Veni et vide. Et ecce equus niger: et qui sedébat super illum, habébat statéram in manu sua. Et audívi tamquam vocem in médio quátuor animálium dicéntium: Bílibris trítici denário, et tres bílibres hór-

dei denário, et vinum et óleum ne læseris.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Et, cum aperuísset sigíllum quartum, audívi vocem quarti animális dicéntis: Veni et vide. Et ecce equus pállidus: et qui sedébat super eum, nomen illi Mors, et inférnus sequebátur eum, et data est illi potéstas super quátuor partes terræ, interfícere gládio, fame et morte et béstiis terræ.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 8

Et vidi septem Angelos stantes in conspéctu Dei: et datæ sunt illis septem tubæ. Et álius Angelus venit et stetit ante altáre habens thuríbulum áureum: et data sunt illi incénsa multa, ut daret de oratiónibus sanctórum ómnium super altáre áureum, quod est ante thronum Dei. Et ascéndit fumus incensórum de oratiónibus sanctórum de manu Angeli coram Deo.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi.

Lectio ii

Et accépit Angelus thuríbulum, et implévit illud de igne altáris, et misit in terram, et facta sunt tonítrua et voces et fúlgura et terræmótus magnus. Et septem Angeli, qui habébant septem tubas, præparavérunt se ut tuba cánerent. Et primus Angelus tuba cécinit, et facta est grando et ignis, mixta in sánguine, et missum est in terram.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et tértia pars terræ combústa est, et tértia pars árborum concremáta est, et omne fenum víride combústum est. Et secúndus Angelus tuba cécinit: et tamquam mons magnus igne ardens missus est in mare, et facta est tértia pars maris sanguis, et mórtua est tértia pars creatúræ eórum quæ habébant ánimas in mari, et tértia pars návium intériit.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 10

Et vidi álium Angelum fortem descendéntem de cælo, amíctum nube, et iris in cápite eius, et fácies eius erat ut sol, et pedes eius tamquam colúmnæ ignis: et habébat in manu sua libéllum apértum: et pósuit pedem suum dextrum super mare, sinístrum autem super terram: et clamávit voce magna, quemádmodum cum leo rugit. Et, cum clamásset, locúta sunt septem tonítrua voces suas.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et super.

Lectio ii

Et, cum locúta fuíssent septem tonítrua voces suas, ego scriptúrus eram: et audívi vocem de cælo dicéntem mihi: Signa quæ locúta sunt septem tonítrua: et noli ea scríbere. Et Angelus, quem vidi stantem super mare et super terram, levávit manum suam ad cælum: et iurávit per vivéntem in sæcula sæculórum, qui creávit cælum et ea quæ in eo sunt: et terram et ea quæ in ea sunt: et mare et ea quæ in eo sunt: Quia tempus non erit ámplius.

℟. ii. Vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam auro mundo, * Et lapídibus pretiósis intéxtam, allelúia, allelúia. ℣. Ab intus in fímbriis áureis circumamícta varietáte. - Et lapídibus.

Lectio iii

Sed in diébus vocis séptimi Angeli, cum cœperit tuba cánere, consummábitur mystérium Dei, sicut evangelizávit per servos suos prophétas. Et audívi vocem de cælo íterum loquéntem mecum et dicéntem: Vade et áccipe librum apértum de manu Angeli stantis super mare et super terram. Et ábii ad Angelum, dicens ei ut daret mihi librum.

℟. iii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 11

Et datus est mihi cálamus símilis virgæ, et dictum est mihi: Surge, et metíre templum Dei et altáre et adorántes in eo. Atrium autem, quod est foris templum, éice foras et ne metiáris illud: quóniam datum est géntibus, et civitátem sanctam calcábunt ménsibus quadragínta duóbus.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine.

Lectio ii

Et dabo duóbus téstibus meis, et prophetábunt diébus mille ducéntis sexagínta, amícti saccis. Hi sunt duæ olívæ et duo candelábra in conspéctu Dómini terræ stantes. Et si quis volúerit eos nocére, ignis éxiet de ore eórum et devorábit inimícos eórum: et si quis volúerit eos lædere, sic opórtet eum occídi.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte ad me.

Lectio iii

Hi habent potestátem claudéndi cælum, ne pluat diébus prophetíæ ipsórum: et potestátem habent super aquas converténdi eas in sánguinem, et percútere terram omni plaga quotiescúmque volúerint. Et, cum finíerint testimónium suum, béstia, quæ ascéndit de abýsso, fáciet advérsum eos bellum et vincet illos et occídet eos.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 11 et 12

Et apértum est templum Dei in cælo: et visa est arca testaménti eius in templo eius, et facta sunt fúlgura et voces et terræmótus et grando magna. Et signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim: et in útero habens, clamábat partúriens, et cruciabátur ut páriat.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam spon-

sam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi Ierúsalem.

Lectio ii

Et visum est áliud signum in cælo: et ecce draco magnus rufus habens cápita septem et córnua decem: et in capítibus eius diadémata septem, et cauda eius trahébat tértiam partem stellárum cæli et misit eas in terram, et draco stetit ante mulíerem, quæ erat paritúra: ut, cum peperísset, fílium eius devoráret.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et péperit fílium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea: et raptus est fílius eius ad Deum et ad thronum eius, et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Sabbato

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 13

Et vidi de mari béstiam ascendéntem, habéntem cápita septem et córnua decem, et super córnua eius decem diadémata, et super cápita eius nómina blasphémiæ. Et béstia, quam vidi, símilis erat pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leónis. Et dedit illi draco virtútem suam et potestátem magnam.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et super.

Lectio ii

Et vidi unum de capítibus suis quasi occísum in mortem: et plaga mortis eius curáta est: Et admiráta est univérsa terra post béstiam. Et adoravérunt dracónem, qui dedit potestátem béstiæ: et adoravérunt béstiam dicéntes: Quis símilis béstiæ? et quis póterit pugnáre cum ea? Et datum est ei os loquens magna et blasphémias: et data est ei potéstas fácere menses quadragínta duos. Et apéruit os suum in blasphémias ad Deum, blasphemáre nomen eius et tabernáculum eius et eos qui in cælo hábitant. Et est datum illi bellum fácere cum sanctis et víncere eos. Et data est illi potéstas in omnem tribum et pópulum et linguam et gentem, et adoravérunt eam omnes qui inhábitant terram: quorum non sunt scripta nómina in libro vitæ Agni, qui occísus est ab orígine mundi.

℟. ii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur.

DOMINICA III POST PASCHA

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 797.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Alias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor, allelúia.

Oratio

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre iustítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professióne censéntur, et illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, et ea quæ sunt apta sectári. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Surréxit Dóminus vere: * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus Auróra lucis 571.

In Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Módicum, et iam non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me: quia vado ad Patrem. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 101 in Ioann. sub finem

Módicum est hoc totum spátium, quo præsens pérvolat sæculum. Unde dicit idem ipse Evangelísta in Epístola sua: Novíssima hora est. Ideo namque áddidit, Quia vado ad Patrem: quod ad priórem senténtiam referéndum est, ubi ait, Módicum, et iam non vidébitis me: non ad posteriórem, ubi ait, Et íterum módicum, et vidébitis me. Eúndo quippe ad Patrem, factúrus erat ut eum non vidérent.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine tuo, allelúia.

Lectio ii

Illis ergo ait, Módicum, et iam non vidébitis me, qui eum corporáliter tunc vidébant: quia itúrus erat ad Patrem, et eum deínceps mortálem visúri non erant, qualem, cum ista loquerétur, vidébant. Quod vero áddidit, Et íterum módicum, et vidébitis me: univérsæ promísit Ecclésiæ, sicut univérsæ promísit: Ecce ego vobíscum sum usque ad consummatiónem sæculi. Non tardat Dóminus promíssum.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Módicum, et vidébimus eum: ubi iam nihil rogémus, nihil interrogémus, quia nihil desiderándum remanébit, nihil quæréndum latébit. Hoc módicum longum nobis vidétur, quóniam adhuc ágitur: cum finítum fúerit, tunc sentiémus quam módicum fúerit. Non ergo sit gáudium nostrum, quale habet mundus, de quo dictum est: Mundus autem gaudébit. Nec tamen in huius desidérii parturitióne sine gáudio tristes simus: sed, sicut ait Apóstolus, Spe gaudéntes.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus, et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro omnes sancti eius: et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Sermóne blando 583.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. ant. Módicum, et non vidébitis me, dicit Dóminus: íterum módicum, et vidébitis me, quia vado ad Patrem, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre iustítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professióne censéntur, et illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum.

Ad Horas antiphonæ, capitula, ℟℟. et ℣℣. de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Psalmi de dominica sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 609.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Iterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum, allelúia: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Amen, amen dico vobis: quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium, allelúia.

Oratio

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre iustítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis, qui christiána professióne censéntur, et illa respúere quæ huic inimíca sunt nómini, et ea quæ sunt apta sectári. Per Dóminum.

Ad Magnif. ant. Tristítia implévit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres ultimi psalmi (III) de feria currenti.

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 18

Vidi álium Angelum descendéntem de cælo, habéntem potestátem magnam: et terra illumináta est a glória eius. Et exclamávit in fortitúdine dicens: Cécidit, cécidit Bábylon magna: et facta est habitátio dæmoniórum et custódia omnis spíritus immúndi et custódia omnis vólucris immúndæ et odíbilis: quia de vino iræ fornicatiónis eius bibérunt omnes gentes: et reges terræ cum illa fornicáti sunt: et mercatóres terræ de virtúte deliciárum eius dívites facti sunt.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine.

Lectio ii

Et audívi áliam vocem de cælo, dicéntem: Exíte de illa, pópulus meus: ut ne partícipes sitis delictórum eius et de plagis eius non accipiátis. Quóniam pervenérunt peccáta eius usque ad cælum, et recordátus est Dóminus iniquitátum eius. Réddite illi sicut et ipsa réddidit vobis: et duplicáte duplícia secúndum ópera eius. In póculo, quo míscuit, miscéte illi duplum.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Quantum glorificávit se et in delíciis fuit, tantum date illi torméntum et luctum: quia in corde suo dicit: Sédeo regína: et vídua non sum: et luctum non vidébo. Ideo in una die vénient plagæ eius, mors et luctus et fames, et igne comburétur: quia fortis est Deus, qui iudicábit illam. Et flebunt et plangent se super illam reges terræ.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 19

Audívi quasi vocem turbárum multárum in cælo dicéntium: Allelúia: salus et glória et virtus Deo nostro est: quia vera et iusta iudícia sunt eius, qui iudicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutióne sua, et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus eius. Et íterum dixérunt: Allelúia. Et fumus eius ascéndit in sæcula sæculórum.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi.

Lectio ii

Et cecidérunt senióres vigínti quátuor et quátuor animália et adoravérunt Deum sedéntem super thronum, dicéntes: Amen: allelúia. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo no-

stro, omnes servi eius: et qui timétis eum, pusílli et magni.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et audívi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquárum multárum, et sicut vocem tonitruórum magnórum dicéntium: Allelúia: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, et exsultémus: et demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se. Et datum est illi ut coopériat se býssino splendénti et cándido. Býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 20

Et vidi Angelum descendéntem de cælo, habéntem clavem abýssi et caténam magnam in manu sua. Et apprehéndit dracónem, serpéntem antíquum, qui est diábolus et Sátanas, et ligávit eum per annos mille: et misit eum in abýssum, et clausit et signávit super illum ut non sedúcat ámplius gentes, donec consumméntur mille anni: et post hæc opórtet illum solvi módico témpore.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et super.

Lectio ii

Et vidi sedes, et sedérunt super eas, et iudícium datum est illis: et ánimas decollatórum propter testimónium Iesu et propter verbum Dei, et qui non adoravérunt béstiam neque imáginem eius, nec accepérunt charactérem eius in fróntibus aut in mánibus suis, et vixérunt et regnavérunt cum Christo mille annis.

℟. ii. Vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam auro mundo, * Et lapídibus pretiósis intéxtam, allelúia, allelúia. ℣. Ab intus in fímbriis áureis circumamícta varietáte. - Et lapídibus.

Lectio iii

Céteri mortuórum non vixérunt, donec consumméntur mille anni. Hæc est resurréctio prima. Beátus et sanctus qui habet partem in resurrectióne prima: in his secúnda mors non habet potestátem: sed erunt sacerdótes Dei et Christi, et regnábunt cum illo mille annis.

℟. iii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 21

Et vidi cælum novum et terram novam. Primum enim cælum et prima terra ábiit, et mare iam non est. Et ego Ioánnes vidi sanctam civitátem, Ierúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis.

℟. i. Dignus es, Dómine, accípere librum et aperíre signácula eius, quóniam occísus es et redemísti nos Deo * In sánguine tuo, allelúia. ℣. Fecísti enim nos Deo nostro regnum et sacerdótes. - In sánguine tuo, allelúia.

Lectio ii

Et ipsi pópulus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus. Et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque cla-

mor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

℟. ii. Ego sicut vitis fructificávi suavitátem odóris, allelúia: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis adimplémini, allelúia, allelúia. ℣. Ego diligéntes me díligo, et qui mane vigiláverint ad me, invénient me. - Transíte.

Lectio iii

Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fidelíssima sunt et vera. Et dixit mihi: Factum est. Ego sum alpha et oméga: inítium et finis. Ego sitiénti dabo de fonte aquæ vitæ, gratis. Qui vícerit, possidébit hæc, et ero illi Deus, et ille erit mihi fílius.

℟. iii. Audívi vocem in cælo tamquam vocem tonítrui magni, allelúia: Regnábit Deus noster in ætérnum, allelúia: * Quia facta est salus et virtus et potéstas Christi eius, Allelúia, allelúia. ℣. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes sancti eius et qui timétis Deum, pusílli et magni. - Quia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 21

Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum, et osténdit mihi civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo a Deo, habéntem claritátem Dei: et lumen eius símile lápidi pretióso, tamquam lápidi iáspidis, sicut crystállum. Et habébat murum magnum et altum, habéntem portas duódecim: et in portis Angelos duódecim, et nómina inscripta, quæ sunt nómina duódecim tríbuum filiórum Israël.

℟. i. Locútus est ad me unus de septem Angelis, dicens: Veni, osténdam tibi novam nuptam sponsam Agni. * Et vidi Ierúsalem descendéntem de cælo, ornátam monílibus suis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Et sústulit me in spíritu in montem magnum et altum. - Et vidi.

Lectio ii

Et erat structúra muri eius ex lápide iáspide: ipsa vero cívitas aurum mundum símile vitro mundo. Et fundaménta muri civitátis omni lápide pretióso ornáta. Fundaméntum primum iaspis, secúndum sapphírus, tértium chalcedónius, quartum smarágdus, quintum sárdonyx, sextum sárdius, séptimum chrysólithus, octávum beríllus, nonum topázius, décimum chrysóprasus, undécimum hyacínthus, duodécimum amethýstus.

℟. ii. Audívi vocem in cælo Angelórum multórum dicéntium: * Timéte Dóminum, et date claritátem illi: et adoráte eum, qui fecit cælum et terram, mare et fontes aquárum, allelúia, allelúia. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Timéte.

Lectio iii

Et duódecim portæ duódecim margarítæ sunt per síngulas: et síngulæ portæ erant ex síngulis margarítis: et platéa civitátis aurum mundum, tamquam vitrum perlúcidum. Et templum non vidi in ea. Dóminus enim Deus omnípotens templum illíus est et Agnus. Et cívitas non eget sole neque luna, ut lúceant in ea: nam cláritas Dei illumināvit eam, et lucérna eius est Agnus.

℟. iii. Osténdit mihi Angelus fontem aquæ vivæ et dixit ad me, allelúia: * Hic Deum adóra, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Postquam audíssem et vidíssem, cécidi, ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat et dixit. - Hic Deum adóra. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Sabbato

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 22

Et dixit mihi: Hæc verba fidelíssima sunt et vera. Et Dóminus Deus spirítuum prophetárum misit Angelum suum osténdere servis suis quæ opórtet fíeri cito. Et ecce vénio velóciter. Beátus qui custódit verba prophetíæ libri huius. Et ego Ioánnes, qui audívi et vidi hæc. Et, postquam audíssem et vidíssem, cécidi ut adorárem ante pedes Angeli, qui mihi hæc ostendébat.

℟. i. Vidi portam civitátis ad Oriéntem pósitam, et Apostolórum nómina et Agni super eam scripta: * Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia. ℣. Vidi

civitátem sanctam, Ierúsalem, descendéntem de cælo, ornátam tamquam sponsam viro suo. - Et super muros eius Angelórum custódiam, allelúia.

Lectio ii

Et dixit mihi: Vide ne féceris: consérvus enim tuus sum et fratrum tuórum prophetárum et eórum qui servant verba prophetíæ libri huius: Deum adóra. Et dicit mihi: Ne signáveris verba prophetíæ libri huius: tempus enim prope est. Qui nocet, nóceat adhuc: et qui in sórdibus est, sordéscat adhuc: et qui iustus est, iustificétur adhuc: et sanctus sanctificétur adhuc. Ecce vénio cito, et merces mea mecum est, réddere unicuíque secúndum ópera sua. Ego sum alpha et oméga, primus et novíssimus, princípium et finis. Beáti qui lavant stolas suas in sánguine Agni: ut sit potéstas eórum in ligno vitæ, et per portas intrent in civitátem.

℟. ii. In diadémate cápitis Aaron lápides pretiósi fulgébant, * Dum perficerétur opus Dei, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis. - Dum perficerétur.

DOMINICA IV POST PASCHA

II classis

AD I VESPERAS

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum: vocem dedérunt nubes, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Hymnus

Ad cenam Agni próvidi
Et stolis albis cándidi,
Post tránsitum Maris Rubri,
Christo canámus príncipi.

Cuius corpus sanctíssimum,
In ara crucis tórridum:
Cruóre eius róseo
Gustándo vívimus Deo.

Protécti Paschæ véspere
A devastánte Angelo,
Erépti de duríssimo
Pharaónis império.

Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolátus Agnus est:
Sinceritátis ázyma
Caro eius obláta est.

O vere digna hóstia,
Per quam fracta sunt tártara,
Redémpta plebs captiváta,
Réddita vitæ prǽmia!

Consúrgit Christus túmulo,
Victor redit de bárathro,
Tyránnum trudens vínculo,
Et réserans paradísum.

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Tristítia implévit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis; da pópulis tuis id amáre quod præcípis, id desideráre quod promíttis: ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Surréxit Dóminus vere: * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus Auróra lucis 571.

In Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vado ad eum qui misit me; et nemo ex vobis intérrogat me, Quo vadis? Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 64 in Ioann., initio

Cum Dóminus Iesus prædixísset discípulis suis persecutiónes, quas passúri erant post eius abscéssum, subiúnxit atque ait: Hæc autem vobis ab inítio non dixi, quia vobíscum eram; nunc autem vado ad eum qui misit me. Ubi primum vidéndum est, utrum eis futúras non prædíxerit ante passiónes. Sed álii tres Evangelístæ satis eum prædixísse ista demónstrant,

ántequam ventum esset ad cenam.

Hodie incipit historia Si oblítus, nisi festum impediat, et dicitur usque ad Ascensionem exclusive.

℟. i. Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur mei déxtera mea: * Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia. ℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui, Sion. - Adhæreat.

Lectio ii

Qua (cena) perácta, secúndum Ioánnem ista locútus est, ubi ait: Hæc autem vobis ab ínitio non dixi, quia vobíscum eram. An forte hinc ista sólvitur quæstio, quia et illi eum narrant passióni próximum fuísse, cum hæc díceret? Non ergo ab ínitio, quando cum illis erat: quia iam discessúrus, iamque ad Patrem perrectúrus hæc dixit. Et ídeo étiam secúndum illos Evangelístas verum est, quod hic dictum est: Hæc autem vobis ab ínitio non dixi.

℟. ii. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum: vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo.

Lectio iii

Sed quid ágimus de fide Evangélii secúndum Matthæum, qui hæc eis a Dómino non solum cum iam Pascha esset cum discípulis cenatúrus, imminénte passióne, verum et ab ínitio denuntiáta esse commémorat, ubi primum nominátim duódecim exprimúntur Apóstoli, et ad ópera divína mittúntur? Quid sibi ergo vult, quod hic ait, Hæc autem vobis ab ínitio non dixi, quia vobíscum eram: nisi quia ea, quæ hic dicit de Spíritu Sancto, quod sit ventúrus ad eos et testimónium perhibitúrus, quando mala illa passúri sunt, hæc ab ínitio eis non dixit, quia cum ipsis erat?

℟. iii. Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia: in médio ecclésiæ * Laudábo te, Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in ecclésia magna, in pópulo gravi. - Laudábo te. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Sermóne blando 583.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. ant. Vado ad eum qui misit me: sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum, allelúia.

Oratio Deus, qui fidélium, ut infra.

Ad Horas antiphonæ, capitula, ℟℟. et ℣℣. de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Psalmi de dominica sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 609.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam; si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos, allelúia.

Per hebdomadam quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Adhuc multa hábeo vobis dícere, sed non potéstis portáre modo. Cum autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem, allelúia.

Oratio

Deus, qui fidélium mentes unius éfficis voluntátis; da pópulis tuis id amáre quod præcípis, id desideráre quod promíttis: ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per.

Ad Magnif. ant. Ille me clarificábit, quia de meo accípiet et annuntiábit vobis, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres primi psalmi (I) de feria currenti.

Incipit Epístola Cathólica beáti Iacóbi Apóstoli

Lectio i Cap. i

Iacóbus, Dei et Dómini nostri Iesu Christi servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne, salútem. Omne gáudium existimáte, fratres mei,

cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri, in nullo deficiéntes.

℟. i. Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur mei déxtera mea: * Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia. ℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui, Sion. - Adhæreat.

Lectio ii

Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis.

℟. ii. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum: vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo.

Lectio iii

Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos feni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fenum, et flos eius décidit, et decor vultus eius depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. iii. Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia: in médio ecclésiæ * Laudábo te, Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in ecclésia magna, in pópulo gravi. - Laudábo te. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Epístola beáti Iacóbi Apóstoli

Lectio i Cap. 3

Nolíte plures magístri fíeri, fratres mei, sciéntes quóniam maius iudícium súmitis. In multis enim offéndimus omnes. Si quis in verbo non offéndit, hic perféctus est vir, potest étiam freno circumdúcere totum corpus. Si autem equis frena in ora míttimus ad consentiéndum nobis, et omne corpus illórum circumférimus.

℟. i. In toto corde meo, allelúia, exquisívi te, allelúia: * Ne repéllas me a mandátis tuis, allelúia, allelúia. ℣. Benedíctus es tu, Dómine: doce me iustificatiónes tuas. - Ne repéllas.

Lectio ii

Ecce et naves, cum magnæ sint et a ventis válidis miménturur, circumferúntur a módico gubernáculo ubi ímpetus dirigéntis volúerit. Ita et lingua módicum quidem membrum est, et magna exáltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incéndit! Et lingua ignis est, univérsitas iniquitátis.

℟. ii. In ecclésiis benedícite Deo Dómino, de fóntibus Israël, * Allelúia, allelúia. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. - Allelúia, allelúia.

Lectio iii

Lingua constitúitur in membris nostris, quæ máculat totum corpus et inflámmat rotam nativitátis nostræ, inflammáta a gehénna. Omnis enim natúra bestiárum et vólucrum et serpéntium et ceterórum domántur et dómita sunt a natúra humána: linguam autem nullus hóminum domáre potest: inquiétum malum, plena venéno mortífero.

℟. iii. Hymnum cantáte nobis, allelúia. * Quómodo cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna? Allelúia, allelúia. ℣. Illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, verba cantiónum. - Quómodo. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli

Lectio i Cap. 2

Caríssimi, óbsecro vos tamquam ádvenas et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam: ut in eo quod detréctant de vobis, tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes glorífícent Deum in die visitatiónis.

℟. i. Deus cánticum novum cantábo tibi, alle-

lúia: * In psaltério decem chordárum psallam tibi, allelúia, allelúia. ℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu, et exaltábo te. - In psaltério.

Lectio ii

Subiécti ígitur estóte omni humánæ creatúræ propter Deum: sive regi quasi præcellénti: sive dúcibus tamquam ab eo missis ad vindíctam malefactórum, laudem vero bonórum. Quia sic est volúntas Dei, ut benefaciéntes obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam. Quasi líberi et non quasi velámen habéntes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei.

℟. ii. Allelúia: audívimus eam in Ephrata: invénimus eam in campis silvæ: * Introíbimus in tabernáculum eius: adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes eius, allelúia, allelúia. ℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu et arca sanctificatiónis tuæ. - Introíbimus.

Lectio iii

Omnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timéte: regem honorificáte. Servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis. Hæc est enim grátia, si propter Dei conscién-tiam sústinet quis tristítias, pátiens iniúste. Quæ enim est glória, si peccántes et colaphizáti suffértis? Sed si bene faciéntes patiénter sustinétis: hæc est grátia apud Deum.

℟. iii. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, allelúia: quóniam ipsam vólui, allelúia. * Inclína cor meum in testimónia tua, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. - Inclína. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Epístola prima beáti Petri Apóstoli

Lectio i Cap. 3

Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, iustus pro iniústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. In quo et his qui in cárcere erant spirítibus véniens prædicávit: qui incréduli fúerant aliquándo, quando exspectábant Dei patiéntiam in diébus Noë, cum fabricarétur arca: in qua pauci, id est octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam.

℟. i. Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur mei déxtera mea: * Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia. ℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: dum recordarémur tui, Sion. - Adhæreat.

Lectio ii

Quod et vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma: non carnis depósitio sórdium, sed conscién-tiæ bonæ interrogátio in Deum per resurrectiónem Iesu Christi, qui est in déxtera Dei, deglútiens mortem ut vitæ ætérnæ herédes efficerémur: proféctus in cælum, subiéctis sibi Angelis et Potestátibus et Virtútibus.

℟. ii. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum: vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo.

Lectio iii Cap. 4

Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit a peccátis: ut iam non desidériis hóminum, sed voluntáti Dei quod réliquum est in carne vivat témporis. Súfficit enim prætéritum tempus ad voluntátem géntium consummándam his qui ambulavérunt in luxúriis, desidériis, vinoléntiis, comessatiónibus, potatiónibus et illícitis idolórum cúltibus.

℟. iii. Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia: in médio ecclésiæ * Laudábo te, Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in ecclésia magna, in pópulo gravi. - Laudábo te. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Epístola prima beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 3

Vidéte qualem caritátem dedit nobis Pater, ut fílii Dei nominémur et simus. Propter hoc mundus non novit nos: quia non novit eum. Caríssimi, nunc fílii Dei sumus: et nondum appáruit quid érimus. Scimus quóniam, cum apparúerit, símiles ei érimus: quóniam vidébimus eum sícuti est. Et omnis qui

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 102 in Ioann. post initium

Iam dictum est in superióribus huius Domínici sermónis pártibus, propter eos, qui nonnúlla petunt a Patre in Christi nómine, nec accípiunt: non peti in nómine Salvatóris, quidquid pétitur contra ratiónem salútis. Non enim sonum litterárum ac syllabárum, sed quod sonus ipse significat et quod eo sono recte ac veráciter intellígitur, hoc accipiéndus est dícere, dum dicit, In nómine meo.

℟. i. Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur mei déxtera mea: * Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia. ℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion. - Adhæreat.

Lectio ii

Unde qui hoc sentit de Christo, quod non est de único Dei Fílio sentiéndum, non petit in eius nómine, etiámsi non táceat lítteris ac sýllabis Christum: quóniam in eius nómine petit, quem cógitat cum petit. Qui vero quod est de illo sentiéndum sentit, ipse in eius nómine petit: et áccipit quod petit, si non contra suam salútem sempitérnam petit; áccipit autem, quando debet accípere. Quædam enim non negántur: sed ut cóngruo dentur témpore, differúntur.

℟. ii. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum, vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ, commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo.

Lectio iii

Ita sane intelligéndum est quod ait, Dabit vobis: ut ea benefícia significáta sciántur his verbis, quæ ad eos, qui petunt, próprie pértinent. Exaudiúntur quippe omnes sancti pro seípsis: non autem pro ómnibus exaudiúntur vel amícis vel inimícis suis vel quibúslibet áliis. Quia non utcúmque dictum est, Dabit: sed, Dabit vobis. Usque modo, inquit, non petístis quidquam in nómine meo: pétite et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Hoc, quod dicit, Gáudium plenum, profécto non carnále, sed spiritále gáudium est.

℟. iii. Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia: in médio ecclésiæ * Laudábo te, Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in ecclésia magna, in pópulo gravi. - Laudábo te. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus Dominus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Sermóne blando 583.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. ant. Usque modo non petístis quidquam in nómine meo: pétite, et accipiétis, allelúia.

Oratio

Deus, a quo bona cuncta procédunt: largíre supplícibus tuis, ut cogitémus te inspiránte quæ recta sunt, et te gubernánte éadem faciámus. Per.

Ad Horas antiphonæ, capitula, ℟℟. et ℣℣. de tempore Resurrectionis, ut in Psalterio.

AD II VESPERAS

Psalmi de dominica sub antíphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Christus resúrgens et hymnus Ad cenam Agni 609.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Pétite, et accipiétis, ut gáudium vestrum plenum sit. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amástis, et credidístis, allelúia.

In Litaniis minoribus

Litaniæ minores seu Rogationes per se assignantur feriis II, III et IV ante festum Ascensionis Domini.

Ordinariis autem locorum facultas tribuitur eas transferendi ad alios tres dies continuos magis opportunos iuxta regionum diversitatem aut consuetudinem aut necessitatem.

De Litaniis minoribus nihil fit in Officio.

Obligatio recitandi Litanias Sanctorum cum suis precibus, his diebus, urget tantum in processione aut aliis peculiaribus supplicationibus. Proinde, qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus non intersunt, non tenentur dicere, his diebus, Litanias Sanctorum cum suis precibus.

Feria secunda
(In Rogationibus)

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres psalmi medii (II) de feria currenti.

De Epístola prima
beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 4

In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos: et nos debémus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas eius in nobis perfécta est. In hoc cognóscimus quóniam in eo manémus, et ipse in nobis: quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus et testificámur, quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi.

℟. i. Si oblítus fúero tui, allelúia, obliviscátur mei déxtera mea: * Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, allelúia, allelúia. ℣. Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus, dum recordarémur tui, Sion. - Adhæreat.

Lectio ii

Quisquis conféssus fúerit quóniam Iesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus et credídimus caritáti, quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est, et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfécta est cáritas Dei nobíscum, ut fidúciam habeámus in die iudícii: quia, sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo.

℟. ii. Vidérunt te aquæ, Deus, vidérunt te aquæ et timuérunt: * Multitúdo sónitus aquárum, vocem dedérunt nubes, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ, commóta est et contrémuit terra. - Multitúdo.

Lectio iii

Timor non est in caritáte: sed perfécta cáritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perféctus in caritáte. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. Si quis díxerit: Quóniam díligo Deum, et fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non díligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quómodo potest dilígere? Et hoc mandátum habémus a Deo: ut qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

℟. iii. Narrábo nomen tuum frátribus meis, allelúia: in médio ecclésiæ * Laudábo te, Allelúia, allelúia. ℣. Confitébor tibi in ecclésia magna, in pópulo gravi. - Laudábo te. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria II et III
quando de tempore agitur

Ad Bened. ant. Pétite, et dábitur vobis: quærite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis, allelúia.

Oratio

Deus, a quo bona cuncta procédunt: largíre supplícibus tuis, ut cogitémus te inspiránte quæ recta sunt, et te gubernánte éadem faciámus. Per.

Ad Magnif. ant. Omnis qui petit áccipit: et qui quærit ínvenit: et pulsánti aperiétur, allelúia.

Feria tertia
(In Rogationibus)

AD MATUTINUM

Incipit Epístola secúnda
beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 1

Sénior Eléctæ dóminæ et natis eius, quos ego díligo in veritáte, et non ego solus, sed et omnes qui cognovérunt veritátem, propter veritátem, quæ pérmanet in nobis et nobíscum erit in ætérnum. Sit vobíscum grátia, misericórdia, pax a Deo Patre et a Christo Iesu Fílio Patris in veritáte et caritáte. Gavísus sum valde, quóniam invéni de fíliis tuis ambulántes in veritáte, sicut mandátum accépimus a Patre. Et nunc rogo te, dómina, non tamquam mandátum novum scribens tibi, sed quod habúimus ab ínitio, ut diligámus altérutrum.

℟. i. In toto corde meo, allelúia, exquisívi te, allelúia: * Ne repéllas me a mandátis tuis, allelúia, allelúia. ℣. Benedíctus es tu, Dómine: doce me iustificatiónes tuas. - Ne repéllas.

Lectio ii

Et hæc est cáritas, ut ambulémus secúndum mandáta eius. Hoc est enim mandátum, ut quemádmodum audístis ab ínitio, in eo ambulétis. Quóniam multi seductóres exiérunt in mundum, qui non confiténtur Iesum Christum venísse in carnem: hic est sedúctor et antichrístus. Vidéte vos-

metípsos, ne perdátis quæ operáti estis, sed ut mercédem plenam accipiátis. Omnis qui recédit et non pérmanet in doctrína Christi, Deum non habet; qui pérmanet in doctrína, hic et Patrem et Fílium habet.

℟. ii. In ecclésiis benedícite Deo Dómino, de fóntibus Israël, * Allelúia, allelúia. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. - Allelúia, allelúia.

Lectio iii

Si quis venit ad vos et hanc doctrínam non affert, nolíte recípere eum in domum, nec Ave ei dixéritis. Qui enim dicit illi Ave, commúnicat opéribus eius malígnis. Plura habens vobis scríbere, nólui per chartam et atraméntum; spero enim me futúrum apud vos et os ad os loqui, ut gáudium vestrum plenum sit. Salútant te fílii soróris tuæ Eléctæ.

℟. iii. Hymnum cantáte nobis, allelúia. * Quómodo cantábimus cánticum Dómini in terra aliéna? Allelúia, allelúia. ℣. Illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, verba cantiónum. - Quómodo. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria quarta
(In Rogationibus)
Vigilia Ascensionis
II classis

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 17

In illo témpore: Sublevátis Iesus óculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 104 in Ioan., sub med.

Póterat Dóminus noster, unigénitus et coætérnus Patri, in forma servi et ex forma servi, si hoc opus esset, oráre siléntio: sed ita se Patri exhibére vóluit precatórem, ut meminísset nostrum se esse doctórem. Proínde eam, quam fecit oratiónem pro nobis, notam fecit et nobis: quóniam tanti magístri non solum ad ipsos sermocinátio, sed étiam ipsíus pro ipsis ad Patrem orátio, discipulórum est ædificátio.

℟. i. Deus cánticum novum cantábo tibi, allelúia: * In psaltério decem chordárum psallam tibi, allelúia, allelúia. ℣. Deus meus es tu, et confitébor tibi: Deus meus es tu, et exaltábo te. - In.

Lectio ii

Quaprópter hoc quod ait, Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum: osténdit omne tempus, et quid quando fáceret vel fíeri síneret, ab illo esse dispósitum, qui témpori súbditus non est. Quóniam quæ futúra erant per síngula témpora, in Dei sapiéntia causas efficiéntes habent, in qua nulla sunt témpora. Non ergo credátur hæc hora fato urgénte venísse, sed Deo pótius ordinánte. Nec sidérea necéssitas Christi connéxuit passiónem: absit enim ut sídera mori cógerent síderum Conditórem.

℟. ii. Allelúia: audívimus eam in Ephrata: invénimus eam in campis silvæ: * Introíbimus in tabernáculum eius: adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes eius, allelúia, allelúia. ℣. Surge, Dómine, in réquiem tuam, tu et arca sanctificatiónis tuæ. - Introíbimus.

Lectio iii

Clarificátum a Patre Fílium nonnúlli accípiunt in hoc quod ei non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit eum. Sed si passióne clarificátus dícitur, quanto magis resurrectióne? Nam in passióne magis eius humílitas quam cláritas commendátur, Apóstolo teste, qui dicit: Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Deínde séquitur, et de eius clarificatióne iam dicit: Propter quod et Deus illum exaltávit, et donávit ei nomen, quod est super omne nomen.

℟. iii. Deduc me in sémitam mandatórum tuórum, allelúia: quóniam ipsam vólui, allelúia. * Inclína cor meum in testimónia tua, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. - Inclína. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

AD LAUDES

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Ad Bened. ant. Clarífica me, Pater, apud temetípsum claritáte, quam hábui priúsquam mundus fíeret, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ mentis inténtio quo solemnitátis ventúræ gloriósus Auctor ingréssus est semper inténdat; et quo fide pergit, conversatióne pervéniat. Per eúndem.

IN ASCENSIONE DOMINI

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Ascéndens Christus in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

℟. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum pérmanet, Allelúia. ℣. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius. - Et nomen eius. - Glória. - Allelúia.

Hymnus

Ætérne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Quo mors solúta déperit,
Datur triúmphus grátiæ:
Scandens tribúnal déxteræ
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:
Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.
Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magnif. ant. Pater, manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi: nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te vénio, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ mentis inténtio quo solemnitátis ventúræ gloriósus Auctor ingréssus est semper inténdat; et quo fide pergit, conversatióne pervéniat. Per eúndem Dóminum.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.

¶ Hæc antiphona dicitur ad Nunc dimittis usque ad Pentecosten exclusive, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Christum Dóminum ascendéntem in cælum, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus ut ad I Vesperas.

In Nocturno

Ant. 1 Eleváta est magnificéntia tua super cælos, Deus, allelúia.

Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.
Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.
Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.
Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?
Minuísti eum paulo minus ab Angelis, * glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas, ínsuper et pécora campi.
Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.
Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Eleváta est magnificéntia tua super cælos, Deus, allelúia.

Ant. 2 Dóminus in templo sancto suo, Dóminus in cælo, allelúia.

Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis et sulphur et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

Ant. Dóminus in templo sancto suo, Dóminus in cælo, allelúia.

Ant. 3 A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio i Cap. 16

In illo témpore: Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Iesus: et exprobrávit incredulitátem eórum et durítiam cordis: quia iis, qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homilia 29 in Evang.

Quod resurrectiónem Domínicam discípuli tarde credidérunt, non tam illórum infírmitas, quam nostra, ut ita dicam, futúra fírmitas fuit. Ipsa namque resurréctio illis dubitántibus per multa arguménta monstráta est: quæ dum nos legéntes agnóscimus, quid áliud quam de illórum dubitatióne solidámur? Minus enim nobis María Magdaléne præstitit, quæ cítius crédidit quam Thomas, qui diu dubitávit. Ille étenim dubitándo, vúlnerum cicatríces tétigit et de nostro péctore dubitatiónis vulnus amputávit.

℟. i. Post passiónem suam per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei, allelúia: et vidéntibus illis elevátus est, allelúia: * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. ℣. Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris. - Et nubes.

Lectio ii

Ad insinuándam quoque veritátem Domínicæ resurrectiónis, notándum

nobis est quid Lucas réferat dicens: Convéscens, præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent. Et post pauca: Vidéntibus illis elevátus est: et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Notáte verba, signáte mystéria: Convéscens elevátus est. Comédit et ascéndit: ut vidélicet per efféctum comestiónis véritas patésceret carnis. Marcus vero, priúsquam cælum Dóminus ascéndat, eum de cordis atque infidelitátis durítia increpásse discípulos mémorat. Qua in re quid considerándum est, nisi quod idcírco Dóminus tunc discípulos increpávit, cum eos corporáliter relíquit: ut verba, quæ recédens díceret, in córdibus audiéntium árctius impréssa remanérent?

℟. ii. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum pérmanet, allelúia. ℣. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius. - Et nomen.

Lectio iii

Increpáta ígitur eórum durítia, quid admonéndo dicat audiámus. Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ. Numquid, fratres mei, sanctum Evangélium vel insensátis rebus vel brutis animálibus fúerat prædicándum, ut de eo discípulis dicátur, Prædicáte Evangélium omni creatúræ? Sed omnis creatúræ nómine signátur homo. Omnis autem creatúræ áliquid habet homo. Habet namque commúne esse cum lapídibus, vívere cum arbóribus, sentíre cum animálibus, intellígere cum Angelis. Si ergo commúne habet áliquid cum omni creatúra homo, iuxta áliquid omnis creatúra est homo. Omni ergo creatúræ prædicátur Evangélium, cum soli hómini prædicátur.

℟. iii. Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cælum? Allelúia: * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. - Quemádmodum. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Viri Galiláei, quid aspícitis in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, dixérunt, allelúia.

3. Elevátis mánibus benedíxit eis, et ferebátur in cælum, allelúia.

4. Exaltáte Regem regum, et hymnum dícite Deo, allelúia.

5. Vidéntibus illis elevátus est: et nubes suscépit eum in cælum, allelúia.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Tu, Christe, nostrum gáudium,
Manens olympo prædi-
tum:
Mundi regis qui fábricam,
Mundána vincens gáudia:
Hinc te precántes quæ-
sumus,
Ignósce culpis ómnibus,
Et corda sursum súbleva
Ad te supérna grátia.
Ut, cum repénte cœperis
Clarére nube Iúdicis,
Pœnas repéllas débitas,
Reddas corónas pérditas.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

Ad Bened. ant. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúndem Dóminum.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Viri Galiláei, quid aspícitis in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, allelúia.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui scandis supra sídera.

¶ Hic versus dicitur quotidie usque ad Pentecosten, etiam in festis Sanctorum, nisi aliter notetur.

AD TERTIAM

Ant. Cumque intuerántur in cælum eúntem illum, dixérunt, allelúia.

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Eleváta est magnificéntia tua, * Allelúia, allelúia. Eleváta est. ℣. Super cælos, Deus. Allelúia. Glória. Eleváta est.

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúndem Dóminum.

AD SEXTAM

Ant. Elevátis mánibus benedíxit eis, et ferebátur in cælum, allelúia.

Capitulum Act. 1

Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis, inquit, per os meum.

℟. Ascéndit Deus in iubilatióne, * Allelúia, allelúia. Ascéndit Deus. ℣. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia. Glória. Ascéndit Deus.

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. ℟. Captívam duxit captivitátem, allelúia.

AD NONAM

Ant. Vidéntibus illis elevátus est: et nubes suscépit eum in cælum, allelúia.

Capitulum Act. 1

Viri Galiláei, quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum.

℟. Ascéndens Christus in altum, * Allelúia, allelúia. Ascéndens. ℣. Captívam duxit captivitátem. Allelúia. Glória. Ascéndens.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Viri Galiláei, quid aspícitis in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, allelúia.

Psalmi ut in festo Epiphaniæ Domini 139.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Æterne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Quo mors solúta déperit,
Datur triúmphus grátiæ:
Scandens tribúnal déxteræ
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:
Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.
Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sǽcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magnif. ant. O Rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cælos ascendísti: ne derelínquas nos órphanos, sed mitte promíssum Patris in nos Spíritum veritátis, allelúia.

In Officio feriali tempore Ascensionis

usque ad vigiliam Pentecostes inclusive

Non fiunt prostrationes ad ullas Horas, nec dicuntur preces.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, allelúia, * Allelúia.

Hymnus ut ad II Vesperas festi.

In Nocturno

Antiphona et tres psalmi de feria cum ℣. de tempore Ascensionis, ut in Psalterio, secundum ordinem hebdomadarum supra indicatum.

Non dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES

Psalmi de feria sub antiphona de tempore paschali, ut in Psalterio.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Tu, Christe, nostrum gáudium,
Manens olympo prædítum:
Mundi regis qui fábricam,
Mundána vincens gáudia:
Hinc te precántes quæsumus,
Ignósce culpis ómnibus,
Et corda sursum súbleva
Ad te supérna grátia.
Ut, cum repénte cœperis
Clarére nube Iúdicis,
Pœnas repéllas débitas,
Reddas corónas pérditas.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

Ad Bened. ant. Rogábo Patrem meum, et álium Paráclitum dabit vobis, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúndem.

In vigilia Pentecostes

Ad Bened. ant. Si dilígitis me, mandáta mea serváte, allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; et lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

Benedicámus Dómino, allelúia.

Ad Pretiosa legendum est de Regula.

Ad Horas psalmi de feria currenti sub antiphona de tempore paschali, ut in Psalterio.

AD PRIMAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Iesu Christe. ℣. Qui scandis supra sídera. Allelúia, allelúia. Glória. Iesu Christe.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos, allelúia. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos perveníre fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per.

AD TERTIAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Eleváta est magnificéntia tua, * Allelúia, allelúia. Eleváta est. ℣. Super cælos, Deus. Allelúia. Glória. Eleváta est.

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Oratio Laudum.

AD SEXTAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Act. 1

Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis, inquit, per os meum.

℟. Ascéndit Deus in iubilatióne, * Allelúia, allelúia. Ascéndit. ℣. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia. Glória. Ascéndit. ℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. ℟. Captívam duxit captivitátem, allelúia.

Oratio Laudum.

AD NONAM

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Act. 1

Viri Galiláei, quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum.

℟. Ascéndens Christus in altum, * Allelúia, allelúia. Ascéndens. ℣. Captívam duxit captivitátem. Allelúia. Glória. Ascéndens.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

Oratio Laudum.

AD VESPERAS

Antiphona et psalmi ut in Psalterio, tempore paschali.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Ætérne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Quo mors solúta déperit,
Datur triúmphus grátiæ:

Scandens tribúnal déxteræ
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:

Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.

Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.

Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magnif. ant. Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ, allelúia: qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, allelúia: qui vero non credíderit, condemnábitur, allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus, ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúndem.

Benedicámus Dómino, allelúia.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de feria sub antiphona de tempore paschali.

Reliqua ut in Ordinario 564, cum variationibus ibidem 568 pro tempore Ascensionis notatis.

Feria sexta

AD MATUTINUM

Incipit liber Actuum Apostolórum

Lectio i Cap. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est: quibus et præbuit seípsum vivum post passiónem suam in multis argumentis, per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei. Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis, inquit, per os meum: quia Ioánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies.

℟. i. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos: cum autem vénerit ille, docébit vos omnem veritátem, * Allelúia. ℣. Non enim loquétur a semetípso: sed quæcúmque áudiet loquétur, et quæ ventúra sunt annuntiábit vobis. - Allelúia.

Lectio ii

Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicéntes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestáte: sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Ierúsalem et in omni Iudǽa et Samaría et usque ad últimum terræ. Et, cum hæc dixísset, vidéntibus

illis, elevátus est: et nubes suscépit eum ab óculis eórum.

℟. ii. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem: * Dedit dona homínibus, allelúia, allelúia. ℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. - Dedit dona.

Lectio iii

Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt: Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum. Tunc revérsi sunt Ierosólymam a monte, qui vocátur Olivéti, qui est iuxta Ierúsalem, sábbati habens iter. Et, cum introíssent in cenáculum, ascendérunt ubi manébant Petrus et Ioánnes, Iacóbus et Andréas, Philíppus et Thomas, Bartholomæus et Matthæus, Iacóbus Alphæi et Simon Zelótes et Iudas Iacóbi. Hi omnes erant perseveránte unanímiter in oratióne cum muliéribus et María matre Iesu et frátribus eius.

℟. iii. Non relínquam vos órphanos, allelúia: vado et vénio ad vos: * Et gaudébit cor vestrum, Allelúia, allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Sabbato

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 2

Et, cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter in eódem loco. Et factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, sedítque supra síngulos eórum. Et repléti sunt omnes Spíritu Sancto et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis.

℟. i. Exaltáre, Dómine, allelúia, * In virtúte tua, allelúia. ℣. Cantábimus et psallémus. - In virtúte tua, allelúia.

Lectio ii

Erant autem in Ierúsalem habitántes Iudæi, viri religiósi ex omni natióne, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua illos loquéntes. Stupébant autem omnes et mirabántur, dicéntes: Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilæi sunt, et quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi et Medi et Ælamítæ et qui hábitant Mesopotámiam, Iudæam et Cappadóciam, Pontum et Asiam, Phrýgiam et Pamphýliam, Ægýptum et partes Lýbiæ, quæ est circa Cyrénen, et ádvenæ Románi, Iudæi quoque et prosélyti, Cretes et Arabes: audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei. Stupébant autem omnes et mirabántur ad ínvicem dicéntes: Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridéntes dicébant: quia musto pleni sunt isti.

℟. ii. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et dum assúmptus fúero a vobis, mittam vobis, allelúia, Spíritum veritátis, * Et gaudébit cor vestrum, allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit.

DOMINICA POST ASCENSIONEM

II classis

AD I VESPERAS

Psalmi de sabbato sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 795.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere, et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Ætérne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Quo mors solúta déperit,
Datur triúmphus grátiæ:

Scandens tribúnal déxteræ
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:

Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.

Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sǽcula.

Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra síde-
ra,
Cum Patre et Sancto Spí-
ritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magnif. ant. Eúntes in mundum univérsum prædicáte Evangélium omni creatúræ, allelúia: qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, allelúia: qui vero non credíderit, condemnábitur, allelúia.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et maiestáti tuæ sincéro corde servíre. Per.

Ad Completorium psalmi de sabbato.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Christum Dóminum ascendéntem in cælum, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus ut ad I Vesperas.

In Nocturno

Tres primi psalmi de dominica sub antiphona Allelúia cum versiculo de tempore Ascensionis, ut in Psalterio.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Et réliqua.

Homília sancti Cyrílli Epíscopi Alexandríni

Comment. in cap. 15 Ioann.

Identitátem substántiæ Fílii ac Patris osténdens, cum veritátis Spíritum díxerit, a Patre illum procédere asséruit: ut in unam ratiónem Deitátis Trínitas constringerétur. Quando ígitur vénerit Paráclitus, ait, Spíritus veritátis, id est meus, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me. Quómodo autem perhibébit? Magna in vobis et per vos mirácula fáciens, divínæ meæ potestátis atque virtútis testis erit gravíssimus. Spíritus enim meus est, qui operábitur in vobis: sed sicut meus est, sic et Dei Patris. ℟. i. Post passiónem suam per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei, allelúia: et vidéntibus illis elevátus est, allelúia: * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. ℣. Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris. - Et nubes.

Lectio ii

Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Si enim, inquit, vobis téstibus, tot tantáque mirabília feci, sic Paráclitus quoque in vobis simília fáciet: nec tamen Iudæi ad melióra reducéntur. Nolíte conturbári, si oratióne vestra convértere illos non potéritis; sed mementóte ubíque sermónis mei: non esse discípulum super magístrum, sed nec servum dómino suo maiórem. ℟. ii. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum pérmanet, allelúia. ℣. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius. - Et nomen.

Lectio iii

Absque synagógis fácient vos: sed venit hora, ut omnis qui intérficit vos arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Summum ómnium periculórum prædíxit: non ut formídine ad ignáviam discipulórum redúceret ánimos, sed ut máximus mortis pavor (quóniam præsciré-tur) contémptus, fortióres ad subeúnda perícula rédderet. Nam qui maius contémnunt, ii quómodo minóra timébunt? ℟. iii. Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cælum? Allelúia: * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. - Quemádmodum. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spí-

ritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Tu, Christe, nostrum gáudium,
Manens olýmpo prædítum:
Mundi regis qui fábricam,
Mundána vincens gáudia:
Hinc te precántes quæsumus,
Ignósce culpis ómnibus,
Et corda sursum súbleva
Ad te supérna grátia.
Ut, cum repénte cœperis
Clarére nube Iúdicis,
Pœnas repéllas débitas,
Reddas corónas pérditas.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prœmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

Ad Bened. ant. Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis, Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me, allelúia.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem, et maiestáti tuæ sincéro corde servíre. Per.

Ad Horas psalmi de dominica sub antiphona Allelúia.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Eleváta est magnificéntia tua, * Allelúia, allelúia. Eleváta est. ℣. Super cælos, Deus. Allelúia. Glória. Eleváta est.

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Act. 1

Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis, inquit, per os meum.

℟. Ascéndit Deus in iubilatióne, * Allelúia, allelúia. Ascéndit. ℣. Et Dóminus in voce tubæ. Allelúia. Glória. Ascéndit.

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. ℟. Captívam duxit captivitátem, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Act. 1

Viri Galilæi, quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Iesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum.

℟. Ascéndens Christus in altum, * Allelúia, allelúia. Ascéndens. ℣. Captívam duxit captivitátem. Allelúia. Glória. Ascéndens.

℣. A summo cælo egréssio eius, allelúia. ℟. Et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

AD II VESPERAS

Psalmi de dominica sub antiphona Allelúia, ut in Psalterio 604.

Capitulum Act. 1

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Iesus fácere et docére usque in diem, qua præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est.

Hymnus

Ætérne Rex altíssime,
Redémptor et fidélium,
Quo mors solúta déperit,
Datur triúmphus grátiæ:
Scandens tribúnal déxteræ
Patris: potéstas ómnium
Colláta Iesu cælitus,
Quæ non erat humánitus:
Ut trina rerum máchina,
Cæléstium, terréstrium
Et infernórum cóndita
Flectat genu iam súbdita.
Tremunt vidéntes Angeli,
Versa vice mortálium:
Culpat caro, purgat caro,
Regnat Deus Dei caro.
Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prœmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Ad Magnif. ant. Hæc locútus sum vobis, ut, cum vénerit hora eórum, reminiscámini quia ego dixi vobis, allelúia.

Feria secunda

AD MATUTINUM

Per totam hebdomadam sumuntur tres ultimi psalmi (III) de feria currenti.

De Actibus Apostolórum
Lectio i Cap. 2

Stans autem Petrus cum úndecim, levávit vocem suam et locútus est eis: Viri Iudæi et qui habitátis Ierúsalem univérsi, hoc vobis notum sit, et áuribus percípite verba mea. Non enim,

sicut vos æstimátis, hi ébrii sunt, cum sit hora diéi tértia: sed hoc est quod dictum est per prophétam Ioël: Et erit in novíssimis diébus, dicit Dóminus, effúndam de Spíritu meo super omnem carnem, et prophetábunt fílii vestri et fíliæ vestræ, et iúvenes vestri visiónes vidébunt, et senióres vestri sómnia somniábunt.

℟. i. Post passiónem suam per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei, allelúia: et vidéntibus illis elevátus est, allelúia: * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. ℣. Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris. - Et nubes.

Lectio ii

Et quidem super servos meos et super ancíllas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo, et prophetábunt: et dabo prodígia in cælo sursum et signa in terra deórsum, sánguinem et ignem et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus et maniféstus. Et erit: omnis, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

℟. ii. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum pérmanet, allelúia. ℣. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius. - Et nomen.

Lectio iii

Viri Israëlítæ, audíte verba hæc: Iesum Nazarénum, virum approbátum a Deo in vobis virtútibus et prodígiis et signis, quæ fecit Deus per illum in médio vestri, sicut et vos scitis: hunc definíto consílio et præsciéntia Dei tráditum, per manus iniquórum affligéntes interemístis: quem Deus suscitávit, solútis dolóribus inférni, iuxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi, ne commóvear: Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea, ínsuper et caro mea requiéscet in spe: Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis Sanctum tuum vidére corruptiónem. Notas mihi fecísti

vias vitæ, et replébis me iucunditáte cum fácie tua.

℟. iii. Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cælum? Allelúia: *Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. - Quemádmodum. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria tertia

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 2

Compúncti sunt corde (Iudæi) et dixérunt ad Petrum et ad réliquos Apóstolos: Quid faciémus, viri fratres? Petrus vero ad illos: Pæniténtiam, inquit, ágite, et baptizétur unusquísque vestrum in nómine Iesu Christi in remissiónem peccatórum vestrórum: et accipiétis donum Spíritus Sancti. Vobis enim est repromíssio et fíliis vestris et ómnibus qui longe sunt, quoscúmque advocáverit Dóminus Deus noster.

℟. i. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos: cum autem vénerit ille, docébit vos omnem veritátem, * Allelúia. ℣. Non enim loquétur a semetípso: sed quæcúmque áudiet loquétur, et quæ ventúra sunt annuntiábit vobis. - Allelúia.

Lectio ii

Aliis étiam verbis plúrimis testificátus est, et exhortabátur eos, dicens: Salvámini a generatióne ista prava. Qui ergo recepérunt sermónem eius, baptizáti sunt: et appósitæ sunt in die illa ánimæ círciter tria míllia. Erant autem perseverántes in doctrína Apostolórum et communicatióne fractiónis panis et oratiónibus. Fiébat autem omni ánimæ timor: multa quoque prodígia et signa per Apóstolos in Ierúsalem fiébant, et metus erat magnus in univérsis.

℟. ii. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem: * Dedit dona homínibus, allelúia, allelúia. ℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. - Dedit dona.

Lectio iii

Omnes étiam, qui credébant, erant páriter et habébant ómnia commú-

nia. Possessiónes et substántias vendébant, et dividébant illa ómnibus, prout cuíque opus erat. Quotídie quoque perdurántes unanímiter in templo, et frangéntes circa domos panem, sumébant cibum cum exsultatióne et simplicitáte cordis, collaudántes Deum et habéntes grátiam ad omnem plebem. Dóminus autem augébat qui salvi fíerent quotídie in idípsum.

℟. iii. Non relínquam vos órphanos, allelúia: vado et vénio ad vos: * Et gaudébit cor vestrum, Allelúia, allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Feria quarta

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 3

Petrus autem et Ioánnes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex útero matris suæ, baiulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introëúntibus in templum. Is, cum vidísset Petrum et Ioánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioánne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis.

℟. i. Exaltáre, Dómine, allelúia, * In virtúte tua, allelúia. ℣. Cantábimus et psallémus. - In virtúte.

Lectio ii

Petrus autem dixit: Argéntum et aurum non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do: In nómine Iesu Christi Nazaréni surge et ámbula. Et, apprehénsa manu eius déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases eius et plantæ. Et exsíliens stetit et ambulábat: et intrávit cum illis in templum, ámbulans et exsíliens et laudans Deum.

℟. ii. Ponis nubem ascénsum tuum, Dómine, * Qui ámbulas super pennas ventórum, allelúia. ℣. Confessiónem et decórem induísti: amíctus lúmine sicut vestiménto. - Qui ámbulas.

Lectio iii

Et vidit omnis pópulus eum ambulántem et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi: et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo quod contígerat illi. Cum tenéret autem Petrum et Ioánnem, cucúrrit omnis pópulus ad eos ad pórticum, quæ appellátur Salomónis, stupéntes.

℟. iii. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et dum assúmptus fúero a vobis, mittam vobis, allelúia, Spíritum veritátis, * Et gaudébit cor vestrum, Allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit cor vestrum, allelúia. - Glória. - Allelúia.

Feria quinta

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 4

Loquéntibus (Petro et Ioánne) ad pópulum, supervenérunt sacerdótes et magistrátus templi et Sadducæi, doléntes quod docérent pópulum, et annuntiárent in Iesu resurrectiónem ex mórtuis: et iniecérunt in eos manus et posuérunt eos in custódiam in crástinum: erat enim iam véspera. Multi autem eórum, qui audíerant verbum, credidérunt: et factus est númerus virórum quinque míllia. Factum est autem in crástinum, ut congregaréntur príncipes eórum et senióres et scribæ in Ierúsalem: et Annas princeps sacerdótum et Cáiphas et Ioánnes et Alexánder et quotquot erant de génere sacerdotáli.

℟. i. Post passiónem suam per dies quadragínta appárens eis et loquens de regno Dei, allelúia: et vidéntibus illis elevátus est, allelúia: * Et nubes suscépit eum ab óculis eórum, allelúia. ℣. Et convéscens præcépit eis ab Ierosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris. - Et nubes.

Lectio ii

Et statuéntes eos in médio, interrogábant: In qua virtúte aut in quo nómine fecístis hoc vos? Tunc replétus Spíritu Sancto Petrus dixit ad eos: Príncipes pópuli et senióres, audíte: Si nos hódie diiudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis et omni plebi Israël: quia in nómine Dómini nostri Iesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a

mórtuis, in hoc iste astat coram vobis sanus.

℟. ii. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum pérmanet, allelúia. ℣. A summo cælo egréssio eius: et occúrsus eius usque ad summum eius. - Et nomen.

Lectio iii

Hic est lapis qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli; et non est in álio áliquo salus, nec enim áliud nomen est sub cælo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri. Vidéntes autem Petri constántiam et Ioánnis, compérto quod hómines essent sine lítteris et idiótæ, admirabántur et cognoscébant eos quóniam cum Iesu fúerant. Hóminem quoque vidéntes stantem cum eis, qui curátus fúerat, nihil póterant contradícere.

℟. iii. Viri Galiláei, quid admirámini aspiciéntes in cælum? Allelúia: * Quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Cumque intuerántur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt. - Quemádmodum. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Feria sexta

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 4

Dimíssi (Petrus et Ioánnes) venérunt ad suos, et annuntiavérunt eis quanta ad eos príncipes sacerdótum et senióres dixíssent. Qui, cum audíssent, unanímiter levavérunt vocem ad Deum et dixérunt: Dómine, tu es qui fecísti cælum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt: qui Spíritu Sancto per os patris nostri David, púeri tui, dixísti: Quare fremuérunt gentes, et pópuli meditáti sunt inánia? Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

℟. i. Si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos: cum autem vénerit ille, docébit vos omnem veritátem, * Allelúia. ℣. Non enim loquétur a semetípso: sed quæcúmque áudiet loquétur, et quæ ventúra sunt annuntiábit vobis. - Allelúia.

Lectio ii

Convenérunt enim vere in civitáte ista advérsus sanctum púerum tuum Iesum, quem unxísti, Heródes et Póntius Pilátus cum géntibus et pópulis Israël, fácere quæ manus tua et consílium tuum decrevérunt fíeri. Et nunc, Dómine, réspice in minas eórum, et da servis tuis cum omni fidúcia loqui verbum tuum, in eo quod manum tuam exténdas ad sanitátes et signa et prodígia fíeri per nomen sancti Fílii tui Iesu.

℟. ii. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, * Dedit dona homínibus, allelúia, allelúia. ℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. - Dedit dona.

Lectio iii

Et, cum orássent, motus est locus, in quo erant congregáti: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto et loquebántur verbum Dei cum fidúcia. Multitúdinis autem credéntium erat cor unum et ánima una: nec quisquam eórum, quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magna reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri: et grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos.

℟. iii. Non relínquam vos órphanos, allelúia: vado et vénio ad vos: * Et gaudébit cor vestrum, Allelúia, allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Sabbato

IN VIGILIA PENTECOSTES

I classis

AD MATUTINUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 14

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si dilígitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 74 in Ioann.

Hic est in Trinitáte Spíritus Sanctus: quem Patri et Fílio consubstantiálem et coætérnum fides cathólica confitétur. Ipse

est, de quo dicit Apóstolus: Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis. Quómodo ergo Dóminus dicit, Si dilígitis me, mandáta mea serváte, et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis: cum hoc dicat de Spíritu Sancto, quem nisi habeámus, nec Deum dilígere póssumus, nec eius mandáta serváre? Quómodo diligémus, ut eum accipiámus, quem nisi habeámus, dilígere non valémus? Aut quómodo mandáta servábimus, ut eum accipiámus, quem nisi habeámus, mandáta serváre non póssumus?

℟. i. Exaltáre, Dómine, allelúia, * In virtúte tua, allelúia. ℣. Cantábimus et psallémus. - In virtúte.

Lectio ii

An forte præcédit in nobis cáritas, qua diligámus Christum, ut diligéndo Christum eiúsque mandáta faciéndo, mereámur accípere Spíritum Sanctum, ut cáritas, non Christi, quæ iam præcésserat, sed Dei Patris, diffundátur in córdibus nostris? Pervérsa est ista senténtia. Qui enim se Fílium Dei dilígere credit, et Patrem non díligit, profécto nec Fílium díligit, sed quod sibi ipse confínxit. Deínde Apostólica vox est: Nemo dicit, Dóminus Iesus, nisi in Spíritu Sancto. Et quis Dóminum Iesum, nisi qui eum díligit, dicit: si eo modo dicit, quo Apóstolus intélligi vóluit?

℟. ii. Ponis nubem ascénsum tuum, Dómine, * Qui ámbulas super pennas ventórum, allelúia. ℣. Confessiónem et decórem indúisti: amíctus lúmine sicut vestiménto. - Qui ámbulas.

Lectio iii

Iam ítaque Apóstoli dicébant: Dóminus Iesus. Et si eo modo dicébant, ut non ficte dícerent, ore confiténtes, corde et factis negántes: prorsus, si veráciter hoc dicébant, procul dúbio diligébant. Quómodo ígitur diligébant, nisi in Spíritu Sancto? Restat ergo ut intelligámus Spíritum Sanctum habére qui díligit: et habéndo meréri ut plus hábeat, et plus habéndo plus díligat. Iam ítaque habébant Spíritum discípuli, quem Dóminus promittébat, sine quo eum Dóminum non dicébant: nec tamen eum adhuc habébant, sicut eum Dóminus promittébat.

℟. iii. Non turbétur cor vestrum: ego vado ad Patrem: et dum assúmptus fúero a vobis, mittam vobis, allelúia, Spíritum veritátis, * Et gaudébit cor vestrum, Allelúia. ℣. Ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis. - Et gaudébit cor vestrum, allelúia. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Ad Bened. ant. Si dilígitis me, mandáta mea serváte, allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; et lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

Hæc oratio dicitur etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam.

IN DIE PENTECOSTES

I classis cum octava I classis

AD I VESPERAS

Ant. Veni, Sancte Spíritus: reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde: qui per diversitátem linguárum multárum gentes in unitáte fídei congregásti, allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum, ℣ laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus eius et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cuius Deus Iacob adiútor eius, ℣ spes eius in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit cælum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, ℣ facit iudícium iniúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit iustos.

Dóminus custódit ádvenas, ⁊ pupíllum et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, ⁊ Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Psalmus 146

Laudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit iucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Ierúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster et magna virtus eius: * et sapiéntiæ eius non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum: * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat iuméntis escam ipsórum: * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * et in eis qui sperant super misericórdia eius.

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Ant. Veni, Sancte Spíritus: reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde: qui per diversitátem linguárum multárum gentes in unitáte fídei congregásti, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Act. 2

Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum ubi erant Apóstoli sedéntes.

℟. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis: * Et convénit multitúdo dicéntium, Allelúia. ℣. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei. - Et convénit. - Glória. - Allelúia.

Hymnus

Beáta nobis gáudia
Anni redúxit órbita,
Cum Spíritus Paráclitus
Effúlsit in discípulos.

Ignis vibránte lúmine
Linguæ figúram détulit,
Verbis ut essent próflui
Et caritáte férvidi.

Linguis loquúntur ómnium
Turbæ pavent gentílium:
Musto madére députant
Quos Spíritus repléverat.

Patráta sunt hæc mýstice
Paschæ perácto témpore,
Sacro diérum número,
Quo Lege fit remíssio.

Te nunc, Deus piíssime,
Vultu precámur cérnuo,
Illápsa nobis cælitus
Largíre dona Spíritus.

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.

Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, allelúia. ℟. Et cœpérunt loqui, allelúia.

Ad Magnif. ant. Non vos relínquam órphanos, allelúia: vado, et vénio ad vos, allelúia: et gaudébit cor vestrum, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; et lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

AD COMPLETORIUM

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Spíritus Paráclitus, allelúia, docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Allelúia, Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus

Iam Christus astra ascénderat,
Regréssus unde vénerat,
Promíssum Patris múnere
Sanctum datúrus Spíritum.

Solémnis urgébat dies,
Quo mýstico septémplici
Orbis volútus sépties
Signat beáta témpora.

Dum hora cunctis tértia
Repénte mundus íntonat,
Orántibus Apóstolis
Deum venísse núntiat.

De Patris ergo lúmine
Decórus ignis missus est:
Qui fida Christi péctora
Calóre verbi cómpleat.

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.

Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Factus est repénte de cælo sonus adveniéntis spíritus veheméntis, allelúia, allelúia.

Psalmus 47

Magnus Dominus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus eius cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * iustítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion et exsúltent fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion et complectímini eam: * narráte in túrribus eius.

Pónite corda vestra in virtúte eius: * et distribúite domos eius, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Factus est repénte de cælo sonus adveniéntis spíritus veheméntis, allelúia, allelúia.

Ant. 2 Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Ierúsalem, allelúia, allelúia.

Psalmus 67

Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius, * et fúgiant qui odérunt eum a fácie eius.

Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et iusti epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: * et delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini eius: ℣ iter fácite ei qui ascéndit super occásum: * Dóminus nomen illi.

Exsultáte in conspéctu eius: * turbabúntur a fácie eius, patris orphanórum et iúdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus, qui inhabitáre facit unius moris in domo:

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cum pertransíres in desérto:

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt a fácie Dei Sínai, * a fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ: et infirmáta est, * tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti: * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * et posterióra dorsi eius in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: * mons Dei mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, ℣ cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus: Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi: * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum: * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris: Ut intingátur pes tuus in sánguine: * língua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei, regis mei, qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes coniúncti psalléntibus, * in médio iuvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Béniamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Iuda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphtali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Ierúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, ℣ congregátio taurórum in vaccis populórum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes quæ bella volunt: ℣ vénient legáti ex Ægýpto: * Æthiópia prævéniet manus eius Deo.

Regna terræ, cantáte Deo: * psállite Dómino: Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, ℣ date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia eius et virtus eius in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, ℣ Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ; * benedíctus Deus.

Ant. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Ierúsalem, allelúia, allelúia.

Ant. 3 Emítte Spíritum tuum, et creabúntur: et renovábis fáciem terræ, allelúia, allelúia.

Psalmus 103

Bénedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem et decórem induísti: * amictus lúmine sicut vestiménto:

Exténdens cælum sicut pellem: * qui tegis aquis superióra eius.

Qui ponis nubem ascénsum tuum: * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis Angelos tuos, spíritus: * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abýssus sicut vestiméntum amictus eius: * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient: * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes et descéndunt campi * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur: * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri: * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt: * de médio petrárum dabunt voces.

Rigans montes de superióribus suis: * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fenum iuméntis, * et herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra: * et vinum lætíficet cor hóminis:

Ut exhílaret fáciem in óleo: * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, ℣ et cedri Líbani quas plantávit: * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: ℣ montes excélsi cervis: * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! ℣. ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum et spatiósum mánibus: * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt:

Draco iste, quem formásti, ad illudéndum ei: * ómnia a te exspéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem turbabúntur: ℣. áuferes spíritum eórum, et defícient, * et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur: * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Iucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, ℣. et iníqui ita ut non sint; * bénedic, ánima mea, Dómino.

Ant. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur: et renovábis fáciem terræ, allelúia, allelúia.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, allelúia. ℟. Et cœpérunt loqui, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 14

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 30 in Evang.

Libet, fratres caríssimi, evangélicæ verba lectiónis sub brevitáte transcúrrere, ut post diútius líceat in contemplatióne tantæ solemnitátis immorári. Hódie namque Spíritus Sanctus repentíno sónitu super discípulos venit, mentésque carnálium in sui amórem permutávit, et, foris apparéntibus linguis ígneis, intus facta sunt corda flammántia: quia, dum Deum in ignis visióne suscepérunt, per amórem suáviter arsérunt.

Ipse namque Spíritus Sanctus amor est; unde et Ioánnes dicit: Deus cáritas est. Qui ergo mente íntegra Deum desíderat, profécto iam habet, quem amat. Neque enim quisquam posset Deum dilígere, si eum, quem díligit, non habéret.

℟. i. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia: et súbito factus est sonus de cælo, allelúia, * Tamquam spíritus veheméntis, et replévit totam domum, allelúia, allelúia. ℣. Dum ergo essent in unum discípuli congregáti propter metum Iudæórum, sonus repénte de cælo venit super eos. - Tamquam spíritus.

Lectio ii

Sed ecce, si unusquísque vestrum requirátur an díligat Deum: tota fidúcia et secúra mente respóndet, Díligo. In ipso autem lectiónis exórdio audístis quid Véritas dicit: Si quis díligit me, sermónem meum servábit. Probátio ergo dilectiónis, exhibítio est óperis. Hinc in epístola sua idem Ioánnes dicit: Qui dicit, Díligo Deum, et mandáta eius non custódit, mendax est. Vere étenim Deum dilígimus et mandáta eius custodímus, si nos a nostris voluptátibus coarctámus. Nam qui adhuc per illícita desidéria díffluit, profécto Deum non amat, quia ei in sua voluntáte contradícit.

℟. ii. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis: * Et convénit multitúdo dicéntium, allelúia. ℣. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei. - Et convénit.

Lectio iii

Sed vidéte quid Véritas dicat: Veniémus, et mansiónem apud eum faciémus. In quorúmdam étenim corda venit, et mansiónem non facit: quia per compunctiónem quidem Dei respéctum percípiunt, sed tentatiónis témpore hoc ipsum, quo compúncti fúerant, obliviscúntur: sicque ad perpetránda peccáta rédeunt, ac si hæc mínime planxíssent. Qui ergo Deum vere díligit, qui eius mandáta custódit, in eius corde Dóminus et venit et mansiónem facit: quia sic eum amor pénetrat Divinitátis, ut ab hoc amóre tentatiónis témpore non recédat. Ille ergo vere amat, cuius vidélicet men-

tem delectátio prava ex consénsu non súperat.

℟. iii. Spíritus Sanctus procédens a throno, Apostolórum péctora invisibíliter penetrávit, novum sanctificatiónis signum: * Ut in ore eórum ómnium génera nasceréntur linguárum, Allelúia. ℣. Advénit ignis divínus, non combúrens, sed illúminans: et tríbuit eis charísmatum dona. - Ut in ore. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia.

3. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui, allelúia.

4. Fontes et ómnia quæ movéntur in aquis, hymnum dícite Deo, allelúia.

5. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Act. 2

Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus vehemántis, et replévit totam domum ubi erant Apóstoli sedéntes.

Hymnus

Impléta gaudent víscera
Affláta Sancto Spíritu,
Voces divérsas íntonant,
Fantur Dei magnália.
Ex omni gente cógniti,
Græcis, Latínis, Bárbaris,
Cunctísque admirántibus,
Linguis loquúntur ómnium.
Iudæa tunc incrédula,
Vesána torvo spíritu,
Ructáre musti crápulam
Alúmnos Christi cóncrepat.
Sed signis et virtútibus
Occúrrit et docet Petrus
Falsa profári pérfidos,
Ioélis testimónio.
Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

℣. Spíritus Paráclitus, allelúia. ℟. Docébit vos ómnia, allelúia.

Ad Bened. ant. Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis, * Allelúia, allelúia. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Allelúia. Glória. Iesu Christe.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos, allelúia. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum, allelúia.

AD TERTIAM

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Qui Paráclitus díceris.

Veni, Creátor Spíritus,
Mentes tuórum vísita,
Imple supérna grátia
Quæ tu creásti péctora.
Qui Paráclitus díceris,
Donum Dei altíssimi,
Fons vivus, ignis, cáritas,
Et spiritális únctio.
Tu septifórmis múnere,
Dextræ Dei tu dígitus,
Tu rite promíssum Patris,
Sermóne ditans gúttura.
Accénde lumen sénsibus,
Infúnde amórem córdibus,
Infírma nostri córporis
Virtúte firmans pérpeti.
Hostem repéllas lóngius,
Pacémque dones prótinus:
Ductóre sic te prævio,
Vitémus omne nóxium.
Per te sciámus da Patrem,
Noscámus atque Fílium,
Te utriúsque Spíritum
Credámus omni témpore.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

Ant. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia, allelúia. Repléti sunt omnes. ℣. Et cœpérunt loqui. Allelúia. Glória. Repléti.

℣. Loquebántur váriis linguis Apóstoli, allelúia. ℟. Magnália Dei, allelúia.

AD SEXTAM

Ant. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui, allelúia.

Capitulum Act. 2

Apparuérunt Apóstolis dispertítæ linguæ tamquam ignis, sedítque su-

pra síngulos eórum Spíritus Sanctus.

℟. Loquebántur váriis linguis Apóstoli, * Allelúia, allelúia. Loquebántur. ℣. Magnália Dei. Allelúia. Glória. Loquebántur.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia. ℟. Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

AD NONAM

Ant. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei, allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum Act. 2

Facta autem hac voce, convénit multitúdo et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua illos loquéntes.

℟. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, * Allelúia, allelúia. Spíritus Dómini. ℣. Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. Allelúia. Glória. Spíritus Dómini.

℣. Spíritus Paráclitus, allelúia. ℟. Docébit vos ómnia, allelúia.

AD II VESPERAS

Ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus, et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Psalmus 111

Beátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors, et miserátor, et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Capitulum Act. 2

Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, et replévit totam domum ubi erant Apóstoli sedéntes.

Hymnus

Beáta nobis gáudia
Anni redúxit órbita,
Cum Spíritus Paráclitus
Effúlsit in discípulos.

Ignis vibránte lúmine
Linguæ figúram détulit,
Verbis ut essent próflui
Et caritáte férvidi.

Linguis loquúntur ómnium,
Turbæ pavent gentílium:
Musto madére députant
Quos Spíritus repléverat.

Patráta sunt hæc mýstice
Paschæ perácto témpore,
Sacro diérum número,
Quo Lege fit remíssio.

Te nunc, Deus piíssime,
Vultu precámur cérnuo,
Illápsa nobis cælitus
Largíre dona Spíritus.

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.

Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, allelúia. ℟. Et cœpérunt loqui, allelúia.

Ad Magnif. ant. Hódie compléti sunt dies Pentecóstes, allelúia: hódie Spíritus Sanctus in igne discípulis appáruit, et, tríbuens eis charísmatum dona, misit eos in univérsum mundum prædicáre et testificári: Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

¶ Infra octavam omnia dicuntur ut in festo, præter ea quæ singulis diebus assignantur propria.

Feria secunda

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Factus est repénte de cælo sonus adveniéntis spíritus veheméntis, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, allelúia. ℟. Et cœpérunt loqui, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 3

In illo témpore: Dixit Iesus Nicodémo: Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis qui credit in eum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 12 in Ioann.

Nostis, fratres, quia invídia diáboli mors intrávit in mundum. Iesus autem Fílius Dei mortem suscépit et mortem suspéndit in cruce, et de ipsa morte liberántur mortáles. Sicut, inquit, Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis. Magnum sacraméntum. Quómodo qui intuebántur illum serpéntem, non periébant mórsibus serpéntum; sic qui intuéntur fide mortem Christi, sanántur a mórsibus peccatórum. Sed illi sanabántur ad vitam temporálem, hi autem ad vitam ætérnam.

℟. i. Iam non dicam vos servos, sed amícos meos, quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in médio vestri, allelúia. * Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum: ipse est, quem Pater mittet vobis, allelúia. ℣. Quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis. - Accípite Spíritum Sanctum.

Lectio ii

Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Ergo, quantum in médico est, sanáre venit ægrótum. Ipse se intérimit, qui præcépta médici serváre non vult. Venit Salvátor in mundum. Quare Salvátor dictus est mundi, nisi ut salvet mundum, non ut iúdicet mundum? Salvári non vis ab ipso? ex te iudicáberis. Et quid dicam, Iudicáberis? Vide quid ait: Qui credit in eum, non iudicátur. Qui autem non credit: quid dictúrum sperábas, nisi, Iudicátur? Iam, inquit, iudicátus est.

℟. ii. Disciplínam et sapiéntiam dócuit eos Dóminus, allelúia: firmávit in illis grátiam Spíritus Sancti, * Et intelléctu adimplévit corda eórum, allelúia, allelúia. ℣. Repentíno namque sónitu Spíritus Sanctus super eos venit. - Et intelléctu.

Lectio iii

Nondum appáruit iudícium: sed iam factum est iudícium. Novit enim Dóminus qui sunt eius: novit qui permáneant ad corónam, qui permáneant ad flammam. Novit in área sua tríticum, novit et páleam: novit ségetem, novit et zizánia. Iam iudicátus est qui non credit. Quare iudicátus? Quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei. Hoc est autem iudícium: quia lux venit in mundum, et dilexérunt hómines magis ténebras quam lucem: erant enim mala ópera eórum.

℟. iii. Ultimo festivitátis die dicébat Iesus: Qui in me credit, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ, * Allelúia. ℣. Hoc autem dicébat de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum. - Allelúia. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis qui credit in ipsum non péreat, sed hábeat vitam ætérnam, allelúia.

Oratio

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum: concéde plebi tuæ piæ petitiónis efféctum; ut, quibus dedísti fidem, largiáris et pacem. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

¶ Usque ad primas Vesperas SS. Trinitatis exclusive, oratio quæ dicta fuerit in Laudibus dicitur etiam ad Tertiam, Sextam, Nonam et Vesperas.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut iúdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum, allelúia.

Feria tertia

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Ierúsalem, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Loquebántur váriis linguis Apóstoli, allelúia. ℟. Magnália Dei, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus pharisæis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascéndit aliúnde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 45 in Ioan. post init.

Dóminus de grege suo et de óstio quo intrátur ad ovíle similitúdinem propósuit in hodiérna lectióne. Dicant ergo pagáni, Bene vívimus. Si per óstium non intrant, quid eis prodest, unde gloriántur? Ad hoc enim debet unicuíque prodésse bene vívere, ut detur illi semper vívere. Nam cui non datur semper vívere, quid prodest bene vívere? Quia nec bene vívere dicéndi sunt, qui finem bene vivéndi vel cæcitáte nésciunt vel inflatióne contémnunt. Non est autem cuíquam spes vera et certa semper vivéndi, nisi agnóscat Vitam, quæ est Christus, et per iánuam intret in ovíle.

℟. i. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei, * Prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis, allelúia. ℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui. - Prout Spíritus Sanctus.

Lectio ii

Fuérunt ergo quidam philósophi de virtútibus et vítiis subtília multa tractántes, dividéntes, definiéntes, ratiocinatiónes acutíssimas concludéntes, libros impléntes, suam sapiéntiam buccis crepántibus ventilántes, qui étiam dícere audérent homínibus: Nos sequímini, sectam nostram tenéte, si vultis bene vívere. Sed non intrábant per óstium: pérdere volébant, mactáre et occídere. Quid de istis dicam?

℟. ii. Apparuérunt Apóstolis dispertítæ linguæ tamquam ignis, allelúia, * Sedítque supra síngulos

eórum Spíritus Sanctus, allelúia, allelúia. ℣. Spíritus Dómini replévit totam domum, ubi erant Apóstoli sedéntes. - Sedítque supra síngulos eórum Spíritus Sanctus, allelúia, allelúia.

Lectio iii

Ecce ipsi pharisæi legébant, et in eo quod legébant Christum sonábant, ventúrum sperábant, et præséntem non agnoscébant. Iactábant se étiam ipsi inter Vidéntes, hoc est inter sapiéntes, et negábant Christum, et non intrábant per óstium. Et hos dimittámus. Videámus illos, si forte ipsi intrant per óstium in ovíle, qui ipsíus Christi nómine gloriántur. Innumerábiles enim sunt, qui se Vidéntes non solum iactant, sed a Christo illuminátos vidéri volunt. Sunt autem hærétici. Forte ipsi per iánuam intravérunt? Absit.

℟. iii. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: * Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, Allelúia, allelúia. ℣. Omnium est enim ártifex, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens. - Et hoc. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Amen, amen dico vobis: qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascéndit aliúnde, ille fur est et latro: qui autem intrat per óstium, pastor est óvium, allelúia.

Oratio

Adsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Ego sum óstium, dicit Dóminus: per me si quis introíerit, salvábitur et páscua invéniet, allelúia.

Feria quarta
Quatuor Temporum
I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur: et renovábis fáciem terræ, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia. ℟. Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio i Cap. 6

In illo témpore: Dixit Iesus turbis Iudæórum: Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 26 in Ioan. post init.

Magna grátiæ commendátio. Nemo venit, nisi tractus. Quem trahat, et quem non trahat, quare istum trahat, et illum non trahat, noli velle iudicáre, si non vis erráre. Semel áccipe, et intéllige. Nondum tráheris: ora ut tráhāris. Quid hic dícimus, fratres? Si tráhimur ad Christum, ergo invíti crédimus, ergo violéntia adhibétur, non volúntas excitátur. Noli cogitáre te invítum trahi: tráhitur ánimus et amóre. Nec dicas, Quómodo voluntáte credo, si trahor? Ego dico: Parum est voluntáte ire: étiam tráheris voluptáte.

℟. i. Advénit ignis divínus, non combúrens sed illúminans, non consúmens sed lucens: et invénit corda discipulórum receptácula munda: * Et tríbuit eis charísmatum dona, allelúia, allelúia. ℣. Invénit eos concórdes caritáte, et illustrávit eos inúndans divítias Deitátis. - Et tríbuit.

Lectio ii

Est quædam volúptas cordis, cui panis dulcis est ille cæléstis. Porro si poétæ dícere lícuit, Trahit sua quemque volúptas; non necéssitas, sed volúptas; non obligátio, sed delectátio: quanto fórtius nos dícere debémus trahi hóminem ad Christum, qui delectátur veritáte, delectátur beatitúdine, delectátur iustítia, delectátur sempitérna vita, quod totum Christus est!

Da amántem et sentit quod dico: da desiderántem, da fervéntem, da in ista solitúdine peregrinántem atque sitiéntem et fontem ætérnæ pátriæ suspirántem: da talem, et scit quid dicam.

℟. ii. Facta autem hac voce, convénit multitúdo et mente confúsa est, quia audiébat unusquísque lingua sua * Illos loquéntes magnália Dei, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galiláei sunt? et quómodo nos audívimus unusquísque lingua sua. - Illos loquéntes.

Lectio iii

Et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Reddo illi quod amat; reddo quod sperat. Vidébit quod adhuc non vidéndo crédidit, manducábit quod esúriit, saturábitur eo quod sitívit. Ubi? In resurrectióne mortuórum, quia ego resuscitábo eum in novíssimo die. Scriptum est enim in Prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. Quare hoc dixi, o Iudæi? Pater vos non dócuit: quómodo me potéstis agnóscere? Omnes regni illíus hómines docíbiles Dei erunt: non ab homínibus áudient. Et si ab homínibus áudiunt; tamen, quod intélligunt intus datur, intus corúscat, intus revelátur.

℟. iii. Spíritus Sanctus replévit totam domum, ubi erant Apóstoli: et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, sedítque supra síngulos eórum: * Et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Dum essent discípuli in unum congregáti propter metum Iudæórum, sonus repénte de cælo venit super eos. - Et repléti. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam ætérnam, allelúia, allelúia.

Oratio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet; et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem: Qui tecum vivit... in unitáte eiúsdem.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi: si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, allelúia, allelúia.

Feria quinta

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Factus est repénte de cælo sonus adveniéntis spíritus veheméntis, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, allelúia. ℟. Et cœpérunt loqui, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 9

In illo témpore: Convocátis Iesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 6 in cap. 9 Lucæ, initio

Qualis débeat esse qui evangelízat regnum Dei, præcéptis evangélicis designátur: Ut sine virga, sine pera, sine calceaménto, sine pane, sine pecúnia, hoc est subsídii sæculáris adminícula non requírens, fidéque tutus, putet sibi, quo minus ea requírat, magis posse suppétere. Quæ possunt, qui volunt, ad eum derivare tractátum, ut spiritálem tantúmmodo locus iste formáre videátur afféctum: qui velut induméntum quoddam videátur córporis exuísse, non solum potestáte reiécta contemptísque divítiis, sed étiam carnis ipsíus illécebris abdicátis.

℟. i. Iam non dicam vos servos, sed amícos meos, quia ómnia cognovístis, quæ operátus sum in médio vestri, allelúia. * Accípite Spíritum Sanctum in vobis Paráclitum: ipse est, quem Pater mittet vobis, allelúia. ℣. Quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis. - Accípite Spíritum Sanctum.

Lectio ii

Quibus primo ómnium datur pacis atque constántiæ generále mandátum, ut pacem ferant, constántiam servent, hospitális necessitúdinis iura custódiant: aliénum a prædicatóre regni cæléstis ástruens cursitáre per domos, et inviolábilis hospítii iura mutáre. Sed, ut hospítii grátia deferénda censétur: ita étiam, si non recipiántur, excutiéndum púlverem et egrediéndum de civitáte mandátur. Quo mandáto non mediocris boni remunerátio docétur hospítii: ut non solum pacem tribuámus hospítibus, verum étiam, si qua eos terrénæ obúmbrant delícta levitátis, recéptis apostólicæ prædicatiónis vestígiis, auferántur.

℟. ii. Disciplínam et sapiéntiam dócuit eos Dóminus, allelúia: firmávit in illis grátiam Spíritus Sancti, * Et intelléctu adimplévit corda eórum, allelúia, allelúia. ℣. Repentíno namque sónitu Spíritus Sanctus super eos venit. - Et intelléctu.

Lectio iii

Nec otióse, secúndum Matthæum, domus, quam ingrediántur Apóstoli, eligénda decérnitur: ut mutándi hospítii necessitudinísque violándæ causa non súppetat. Non tamen éadem cáutio receptóri mandátur hospítii; ne, dum hospes elígitur, hospitálitas ipsa minuátur. Sed hæc, ut secúndum lítteram de hospítii religióne venerábilis est forma præcépti, ita étiam de mystério senténtia cæléstis arrídet. Etenim, cum domus elígitur, dignus hospes inquíritur. Videámus, ne forte Ecclésia præferénda designétur, et Christus.

℟. iii. Ultimo festivitátis die dicébat Iesus: Qui in me credit, flúmina de ventre eius fluent aquæ vivæ, * Allelúia. ℣. Hoc autem dicébat de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum. - Allelúia. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Convocátis Iesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent: et misit illos prædicáre regnum Dei et sanáre infírmos, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Egréssi duódecim Apóstoli circuíbant per castélla evangelizántes et curántes ubíque, allelúia, allelúia.

Feria sexta

Quatuor Temporum

I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo sancto tuo, quod est in Ierúsalem, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Loquebántur váriis linguis Apóstoli, allelúia. ℟. Magnália Dei, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 5

In illo témpore: Factum est in una diérum et Iesus sedébat docens. Et erant pharisæi sedéntes et Legis doctóres, qui vénerant ex omni castéllo Galiláæ et Iudææ et Ierúsalem: et virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 5 in c. 5 Lucæ, post init.

Non otiósa huius paralýtici, nec angústa medicína est, quando Dóminus et orásse præmíttitur: non útique propter suffrágium, sed propter exémplum. Imitándi enim spécimen dedit, non precándi ámbitum requisívit. Et, conveniéntibus ex omni Galiláea et Iudáea et Ierúsalem Legis doctóribus, inter ceterórum remédia debílium, paralýtici istíus medicína describitur. Primum ómnium, quod ante díximus, unusquísque æger peténdæ precatóres salú-

tis debet adhibére: per quos vitæ nostræ compágo resolúta, actuúmque nostrórum clauda vestígia verbi cæléstis remédio reforméntur.

℟. i. Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei, * Prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis, allelúia. ℣. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui. - Prout.

Lectio ii

Sint ígitur áliqui monitóres mentis, qui ánimum hóminis, quamvis exterióris córporis debilitáte torpéntem, ad superióra érigant. Quorum rursus adminículis et attóllere et humiliáre se possit, ut facílius ante Iesum locétur, Domínico vidéri dignus aspéctu. Humilitátem enim réspicit Dóminus, quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ. Quorum fidem, inquit, ut vidit, dixit: Homo, remittúntur tibi peccáta tua.

℟. ii. Apparuérunt Apóstolis dispertítæ linguæ tamquam ignis, allelúia, * Sedítque supra síngulos eórum Spíritus Sanctus, allelúia, allelúia. ℣. Spíritus Dómini replévit totam domum, ubi erant Apóstoli sedéntes. - Sedítque.

Lectio iii

Magnus Dóminus, qui aliórum mérito ignóscit áliis: et dum álios probat, áliis reláxat erráta. Cur apud te, o homo, colléga non váleat, cum apud Dóminum servus et interveniéndi méritum et ius hábeat impetrándi? Disce, qui iúdicas, ignóscere: disce, qui æger es, impetráre. Si grávium peccatórum diffídis véniam, ádhibe precatóres, ádhibe Ecclésiam, quæ pro te precétur; cuius contemplatióne, quod tibi Dóminus negáre posset, ignóscat.

℟. iii. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: * Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, Allelúia, allelúia. ℣. Omnium est enim ártifex, omnem habens virtútem, ómnia prospíciens. - Et hoc, quod cóntinet ómnia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Factum est in una diérum, et Iesus sedébat docens. Et erant pharisæi sedéntes et Legis doctóres, qui vénerant ex omni castéllo Galilææ et Iudææ et Ierúsalem; et virtus Dómini erat ad sanándum eos, allelúia, allelúia.

Oratio

Da, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus; ut, Sancto Spíritu congregáta, hostíli nullátenus incursióne turbétur. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. Tulit ergo paralýticus lectum suum, in quo iacébat, magníficans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo, allelúia.

Sabbato
Quatuor Temporum
I classis

AD MATUTINUM

Invit. Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, * Allelúia.

Hymnus Iam Christus 524.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur: et renovábis fáciem terræ, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo 524.

℣. Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúia. ℟. Et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 4

In illo témpore: Surgens Iesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Comm. in Luc. tom. 4

Si virum a dæmónio liberátum, ánimum ab immúnda cogitatióne purgátum significáre dixérimus: fémina fébribus tenta, sed ad impérium Dómini curáta, carnem osténdit a concupiscéntiæ suæ fervóre per continéntiæ præcépta frenátam. Omnis enim amaritúdo et ira et indignátio et clamor et blasphémia spíritus immúndi furor est: fornicatiónem vero, immundítiam, libídinem, concupiscéntiam malam et avarítiam, quæ est simulacrórum sérvitus, febrem illecebrósæ carnis intéllige.

℟. i. Advénit ignis divínus, non combúrens sed illúminans, non consúmens sed lucens: et invénit corda discipulórum receptácula munda: * Et tríbuit eis charísmatum dona, allelúia, allelúia. ℣. Invénit eos concórdes caritáte, et illustrávit eos inúndans divítias Deitátis. - Et tríbuit.

Lectio ii

Et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam imperávit febri: et dimísit illam. Modo Salvátor rogátus, modo ultro curat ægrótos: osténdens se contra peccatórum quoque passiónes précibus semper annúere fidélium, et ea, quæ ipsi mínime in se intélligunt, vel intelligénda dare vel étiam non intellécta dimíttere: iuxta quod Psalmísta póstulat: Delícta quis intélligit? Ab occúltis meis munda me, Dómine.

℟. ii. Facta autem hac voce, convénit multitúdo et mente confúsa est, quia audiébat unusquísque lingua sua * Illos loquéntes magnália Dei, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilæi sunt? et quómodo nos audívimus unusquísque lingua sua. - Illos loquéntes.

Lectio iii

Et contínuo surgens ministrábat illis. Naturále est febricitántibus incipiénte sanitáte lasséscere et ægrotatiónis sentíre moléstiam: verum sánitas, quæ Dómini confértur império, simul tota redit. Nec solum ipsa redit: sed et tanto róbore comitánte, ut contínuo ministráre suffíciat: et iuxta leges tropologíæ, membra, quæ servíerant immundítiæ ad iniquitátem, ut fructificárent morti, sérviant iustítiæ in vitam ætérnam.

℟. iii. Spíritus Sanctus replévit totam domum, ubi erant Apóstoli: et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, sedítque supra síngulos eórum: * Et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, Allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Dum essent discípuli in unum congregáti propter metum Iudæórum, sonus repénte de cælo venit super eos. - Et repléti sunt. - Glória. - Allelúia, allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, allelúia. ℟. Et renovábis fáciem terræ, allelúia.

AD LAUDES

Super psalmos sola ant. Dum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum, hymnus et ℣. ut in festo 530.

Ad Bened. ant. Vespere autem facto, cum sol occidísset, veniébant ad Iesum omnes male habéntes: at ille, síngulis manus impónens, curábat eos, allelúia.

Oratio

Méntibus nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus infúnde: cuius et sapiéntia cónditi sumus, et providéntia gubernámur. Per Dóminum... in unitáte eiúsdem.

¶ Hæc oratio dicitur etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam.

Additum

Dominica I post Pentecosten

In festo SS. Trinitatis

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. O beáta et benedícta et gloriósa Trínitas: Pater et Fílius et Spíritus Sanctus.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Rom. 11

O altitúdo divitiárum sapiéntiæ et sciéntiæ Dei: quam incomprehensibília sunt iudícia eius, et investigábiles viæ eius!

℟. Honor, virtus et poténtas et impérium sit Trinitáti in Unitáte, Unitáti in Trinitáte, * In perénni sæculórum témpore. ℣. Trinitáti lux perénnis, Unitáti sit decus pérpetim. - In perénni. - Glória. - In perénni.

Hymnus

Adésto, sancta Trínitas,
Par splendor, una Déitas,
Quæ exstas rerum ómnium
Sine fine princípium.
Te cælórum milítia
Laudat, adórat, prædicat,
Tripléxque mundi máchina
Benedícit per sæcula.

Ad duos priores versus sequentis strophæ genuflectitur:

Adsumus et nos cérnui
Te adorántes fámuli:
Vota precésque súpplicum
Hymnis iunge cæléstium.
Unum te lumen crédimus,
Quod et ter idem cólimus:
Alpha et O quem dícimus,
Te laudat omnis spíritus.
Laus Patri sit ingénito,
Laus eius Unigénito:
Laus sit Sancto Spirítui,
Trino Deo et símplici.
Amen.

℣. Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu. ℟. Laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Ad Magnif. ant. Grátias tibi, Deus, grátias tibi, vera et una Trínitas, una et summa Déitas, sancta et una Unitas.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere: et in poténtia maiestátis adoráre Unitátem; quæsumus ut eiúsdem fídei firmitáte ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per.

Completorium de dominica.

ORDINARIUM
DIVINI OFFICII

Officium divinum, nisi aliter suo loco indicetur, per totum annum et ad omnes Horas, absolvitur iuxta formam, quæ in rubricis huius Ordinarii exhibetur.

AD MATUTINUM

℣. Dómine, lábia mea apéries.

℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde.

℟. Dómine, ad adiuvándum me festína.

Et tunc muniunt se fratres signo crucis, quod etiam faciunt ad omnes alias Horas.

Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio et nunc et semper, et in sæcula sæculórum. Amen. Allelúia.

A Completorio sabbati ante dominicam in Septuagesima usque ad Completorium feriæ IV Hebdomadæ sanctæ, omisso Allelúia, dicitur:

Laus tibi, Dómine, Rex ætérnæ glóriæ.

Postea dicitur invitatorium conveniens, quod post singulos psalmi versus vel integrum vel dimidiatum ab asterisco * alternis vicibus, ut infra, repetitur.

Psalmus 94

Veníte, exsultémus Dómino, iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Rep. integrum invitatorium.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Rep. altera pars invitatorii.

In sequenti psalmi versu, ad verba: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum, genuflectitur.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius.

Rep. integrum invitatorium.

℣. Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Rep. altera pars invitatorii.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Rep. integrum invitatorium.

℣. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio et nunc et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Rep. altera pars invitatorii.

Denique repetitur integrum invitatorium.

Postea dicitur hymnus invitatorio respondens.

In Officio novem lectionum

In I Nocturno

Expleto hymno, sub congruentibus antiphonis dicuntur tres psalmi, ac deinde subiungitur versiculus, prouti Officium occurrens requirit.

Post versiculum dicitur secreto:

Pater noster, qui es in cælis, sanctificétur nomen tuum. Advéniat regnum tuum. Fiat volúntas tua, sicut in cælo et in terra. Panem nostrum quotidiánum da nobis hódie. Et dimítte nobis débita nostra, sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris.

Quo dicto, subiungitur alte:

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Et hoc semper observetur ante i lectionem et iv et vii, nisi in triduo ante Pascha.

Quo dicto, sequitur:

Iube, domne, benedícere.

Ante i lectionem

Benedictio Benedictióne perpétua benedícat nos Pater ætérnus. ℟. Amen.

Datur benedictio, præmisso Iube, domne, benedícere, ante

omnes lectiones, nisi in Triduo sacro et in Officio defunctorum.

Deinde dicuntur in unoquoque Nocturno lectiones, prouti Officium occurrens requirit.

Titulus cuilibet lectioni præfixus, legi semper debet, nisi cum notatur litteris rubeis.

Per hanc clausulam

Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias

terminantur omnes lectiones, nisi in Triduo sacro, in die Animarum et in Officio defunctorum, et nisi ubi loco Tu autem, erit signatum ut dicatur: Hæc dicit Dóminus Deus, etc.

Post quamlibet vero lectionem congruens dicitur responsorium, et in fine ultimi responsorii cuiusque Nocturni additur Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto, et responsorium repetitur, prouti suo loco notatur.

Ante ii lectionem

Benedictio Unigénitus Dei Fílius nos benedícere et adiuváre dignétur. ℟. Amen.

Ante iii lectionem

Benedictio Spíritus Sancti grátia illumináre dignétur sensus et corda nostra. ℟. Amen.

In II Nocturno

Sub congruentibus item antiphonis dicuntur tres psalmi et versiculus, sicut in I Nocturno.

Ante iv lectionem

Benedictio Deus Pater omnípotens sit nobis propítius et clemens. ℟. Amen.

Ante v lectionem

Benedictio Ad gáudia paradísi perdúcat nos misericórdia Christi. ℟. Amen.

Ante vi lectionem

Benedictio Ignem sui amóris accéndat Deus in córdibus nostris. ℟. Amen.

In III Nocturno

Sub congruentibus denique antiphonis dicuntur tres psalmi et versiculus, sicut in I et II Nocturno.

Ante vii lectionem

Si non sequitur homilia,

Benedictio Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

Si autem sequitur homilia,

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Postea dicitur:

Léctio sancti Evangélii secúndum N.

Verba Léctio sancti Evangélii secúndum N. dicuntur semper prius quam incipiatur Evangelium ante homiliam.

Ante viii lectionem

Benedictio Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Ante ix lectionem

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Rex Angelórum. ℟. Amen.

¶ In festo Nativitatis Domini ad viii et ix lectionem sunt propriæ benedictiones notatæ.

¶ In festis B. Mariæ V. dicuntur propriæ benedictiones positæ in Communi festorum eiusdem.

In Officio trium lectionum

In Nocturno

Expleto hymno, sub congruentibus antiphonis vel congruenti antiphona dicuntur extra tempus paschale novem, tempore vero paschali tres psalmi, quibus subiungitur versiculus, prouti Officium occurrens requirit.

Post ℣. dicto Pater noster secreto, subiungitur alte:

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Deinde dicuntur lectiones cum responsoriis, prouti Officium occurrens requirit; et ante eas dicuntur tres benedictiones prout sequitur.

¶ In dominicis extra tempus paschale:

Ante i lectionem

Benedictio Ille nos benedícat, qui sine fine vivit et regnat. ℟. Amen.

Ante ii lectionem

Benedictio Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Ante iii lectionem

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

¶ Quando non legitur homilia in Evangelium diei, dicuntur tres benedictiones iuxta ordinem Nocturnorum. Tres namque primæ dicuntur feria II et feria V, tres secundæ feria III et feria VI, ultimæ vero tres feria IV et sabbato, quando in eo de beata Maria non fit Officium. Pariter tres primæ benedictiones dicuntur dominico die tempore paschali, quando non legitur homilia in Evangelium diei.

¶ Quando legitur homilia in Evangelium diei, semper dicendæ sunt tres ultimæ benedictiones, sive communes sive propriæ, si de B. Maria V. fit Officium.

¶ In sabbato, quando de beata Maria fit Officium, dicuntur tres benedictiones propriæ suo loco notatæ.

Post ultimum responsorium dicitur Te Deum, si iuxta rubricas (n. 221) dicendum est.

Hymnus Ambrosianus

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli et univérsæ Potestátes,

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * maiestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis número rus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia:

Patrem * imménsæ maiestátis;

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Iudex créderis * esse ventúrus.

Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Dicto Te Deum aut ultimo responsorio, quando Matutinum a Laudibus separatur, dicitur:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Hic versus Dóminus vobíscum non dicitur in recitatione divini Officii *a solo*, neque ab iis qui in ordine diaconatus non sunt constituti; sed eius loco dicitur, etiam ad alias Horas, nisi iam præcedat:

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus.

Et dicitur oratio ut ad Laudes.

Post orationem additur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Vel:

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace.
℟. Amen.

Ante Laudes dicitur versiculus, prouti Officium occurrens requirit.

AD LAUDES

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia, vel Laus tibi, Dómine.

Deinde, sub una vel quinque antíphonis, ut suo loco notatur, dicuntur psalmi et canticum, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita vero post ultimum psalmum antiphona, dicuntur capitulum, hymnus et versiculus, prouti Officium occurrens exigit.

¶ In fine omnium capitulorum respondetur Deo grátias.

Post versiculum dicitur cum antiphona convenienti sequens

Canticum Zachariæ
Lucæ 1

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * quia visitávit et fecit redemptiónem plebis suæ,

Et eréxit cornu salútis nobis * in domo David púeri sui,

Sicut locútus est per os sanctórum, * qui a sæculo sunt, prophetárum eius:

Salútem ex inimícis nostris, * et de manu ómnium qui odérunt nos,

Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris, * et memorári testaménti sui sancti:

Iusiurándum, quod iurávit ad Abraham patrem nostrum, * datúrum se nobis,

Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi

In sanctitáte et iustítia coram ipso * ómnibus diébus nostris.

Et tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias eius,

Ad dandam sciéntiam salútis plebi eius * in remissiónem peccatórum eórum

Per víscera misericórdiæ Dei nostri, * in quibus visitávit nos Oriens ex alto,

Illumináre his, qui in ténebris et in umbra mortis sedent, * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.

Glória Patri et Fílio * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Repetita post canticum antiphona, si preces non fuerint dicendæ, statim subiungitur Dóminus vobíscum cum oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

MODUS DICENDI PRECES

In Officio feriali extra tempus natalicium et tempus paschale, repetita post canticum antiphona, subiungitur:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Finitis precibus, vel, si preces dicendæ non fuerint, repetita post canticum antiphona, subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Et dicitur oratio conveniens.

Finita oratione et responso Amen, si memoriæ fuerint faciendæ, fiunt per antiphonam, versiculum et orationem absque Dóminus vobíscum, præmisso Orémus.

Singulæ orationes terminantur prout dictum est supra, XXVIII.

Finita oratione vel finitis orationibus (si plures dicendæ occurrerint), subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Responso Deo grátias terminantur Laudes ut infra, nisi statim dicendum fuerit Pretiosa.

Responso Deo grátias dicitur:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Quod semper dicendum est post quamlibet Horam et post Missam conventualem, quando non sequitur Hora dicenda, nisi in die Cenæ et deinceps usque ad Missam vigiliæ paschalis inclusive et nisi post Missam vel Officium defunctorum (in cuius fine dicendum est Requiéscant in pace. ℟. Amen.)

Quando vero plures Horæ simul sunt dicendæ vel Missa conventualis cum Hora, tunc solum in fine ultimæ Horæ vel Missæ dicitur Fidélium, nisi (ut dictum est) post Missam vel Officium defunctorum.

Pretiosa dicitur post Laudes vel post Primam.

AD PRETIOSA

Finitis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, et responso Deo grátias, subiungitur:

℣. Pretiósa est in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum eius.

Oratio absque Orémus

Sancta María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut mereámur adiuvári ab eo, qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde dicitur ter:

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína.

Postea subiungitur:

Glória Patri. Sicut erat. Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice, Dómine, in servos tuos et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: et opus mánuum nostrárum dírige.

Oratio absque Orémus

Dirígere et sanctificáre dignéris, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hódie corda et córpora nostra in lege tua et in opéribus mandatórum tuórum; ut hic et in ætérnum, te auxiliánte, semper salvi esse mereámur: Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Postea, dicto Iube, domne, benedícere, si de Evangelio legendum fuerit, datur benedictio:

Divínum auxílium máneat semper nobíscum. ℟. Amen.

Si vero de Regula legendum fuerit, datur benedictio:

Regulláribus disciplínis ínstruat nos Magíster cæléstis. ℟. Amen.

Data benedictione, sequitur lectio de Evangelio vel de Regula. Et in fine dicitur:

Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

De Evangelio occurrente legendum est in omnibus dominicis et festis, infra octavas et in Officio de beata Maria in sabbato; pariter in vigilia Nativitatis Domini, feria IV cinerum, feria V in Cena Domini et in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum.

Fratres qui extra chorum vel capitulum sunt, si Evangelium proprium in promptu non habuerint, dicunt:

Secúndum Ioánnem

Cap. 1

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

Ceteris vero diebus legendum est de Regula beati Augustini Episcopi, præmisso semper:

Séquitur in Régula beáti Augustíni Epíscopi

Feria II Lectio

Hæc ígitur sunt: quæ ut observétis præcípimus in monastério constitúti. Primum, propter quod in unum estis congregáti, ut unánimes habitétis in domo: et sit vobis ánima una et cor unum in Deo. Tu autem.

Feria III Lectio

Et non dicátis áliquid próprium: sed sint vobis ómnia commúnia. Et distribuátur unicuíque vestrum a præpósito vestro victus et teguméntum; non æquáliter ómnibus, quia non æquáliter valétis omnes: sed pótius unicuíque, prout cuíque opus fúerit.

Feria IV Lectio

Oratiónibus instáte horis et tempóribus constitútis. In oratório nemo áliquid agat, nisi ad quod factum est, unde et nomen accépit; ut si forte áliqui, étiam præter horas constitútas (si eis vacat) oráre volúerint, non eis sint impediménto qui ibi áliquid agéndum putáverint. Psalmis et hymnis cum orátis Deum: hoc versétur in corde, quod profértur in ore.

Feria V Lectio

Lites, aut nullas habeátis, aut quam celérrime finiátis; ne ira crescat in ódium, et trabem fáciat de festúca et ánimam fáciat homicídam. Sic enim légitis. Qui odit fratrem suum: homicída est.

Feria VI Lectio

Carnem vestram domáte ieiúniis et abstinéntia escæ et potus: quantum valetúdo permíttit. Quanto autem áliquis non potest ieiunáre; non tamen extra horam prándii áliquid alimentórum sumat: nisi cum ægrótat.

Sabbato Lectio

Donet Dóminus ut observétis hæc ómnia, tamquam spirituális pulchritúdinis amatóres; et bono Christi odóre de bona vestra conversatióne fragántes: non sicut servi sub lege, sed sicut líberi sub grátia constitúti.

Finita lectione de Evangelio vel de Regula sequitur:

Commemorátio Fratrum, Sorórum, Familiárium, Benefactórum defunctórum Ordinis nostri.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli,

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri et Fílio... Sicut erat...

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da nobis.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo præveni et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur: Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Si non sequitur aliqua Hora, dicitur

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Si recitatus fuerit obitus alicujus Magistri Generalis, immediate post Fidélium ánimæ vel post ℣. Adiutórium nostrum, si statim sequitur aliqua Hora, dicitur pro eius anima psalmus 129 De profúndis 702, cum versu Réquiem ætérnam, et in fine

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum pontificáli (vel sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio: Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus Magistris oratio sic dicitur:

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulos tuos sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio: Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Post orationem dicitur: Requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si recitatum fuerit anniversarium, dicto ps. De profúndis, ℣. A porta ínferi, Dóminus vobíscum, Orémus, ut supra, sequitur oratio:

Deus indulgentiárum, Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem:

Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si eadem die anniversarium et obitus inciderint, sub una conclusione dicitur utraque oratio, deinde: Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM

℣. Deus, in adiutórium. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia vel Laus tibi, Dómine.

Hymnus Iam lucis orto síderi, ut in Psalterio.

Expleto hymno, dicuntur antiphona et tres psalmi Officio diei congruentes.

Repetita post ultimum psalmum antiphona, conveniens dicitur capitulum, nimirum:

In omnibus dominicis et festis, infra octavas et in Officio de beata Maria in sabbato:

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Ferialibus vero diebus:

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

Dicto capitulo subiungitur responsorium, in quo semper dicitur ℣. Qui sedes, nisi alius ℣. sit notatus.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Repetitur totum Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére nobis. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Iesu Christe, etc.

Hoc modo semper dicuntur responsoria Horarum, nisi illa de quibus aliter est notatum.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

¶ ℟. Iesu Christe semper dicitur, nisi quando a dominica I in Passione ad dominicam in Albis de tempore agitur, et nisi in die Animarum.

¶ ℣. Exsúrge semper dicitur, nisi in die Cenæ et deinceps usque ad dominicam in Albis, et nisi in die Animarum.

Deinde subditur a Prælato:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis, Fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicit:

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua: líberet te ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam.

Respondet Prælatus: Amen.

Postea chorus replicat:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi, Pater: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor te oráre pro me.

Quo finito, Prælatus subiungit:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra: líberet vos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

¶ Quando non præest sacerdos, semel tantum ac simul ab omnibus sic dicitur:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Quo finito, qui præest dicit:

Misereátur nostri omnípotens Deus, et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra: líberet nos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Respondet chorus: Amen.

¶ Quando autem Frater solus dicit Primam, dicat sic:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Misereátur mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea: líberet me ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. Amen.

Facta confessione sequitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Si dictum fuerit capitulum Regi sæculórum, et ultimis quatuor diebus hebdomadæ Paschæ dicitur

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Si vero dictum fuerit capitulum Pacem et veritátem, dicitur

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Finita oratione et responso Amen, subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD TERTIAM SEXTAM ET NONAM

℣. Deus, in adiutórium.
Glória Patri. Sicut erat.
Allelúia vel Laus tibi, Dómine.

Hymnus ut in Psalterio.

Expleto hymno dicuntur antiphona et tres psalmi, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita post ultimum psalmum antiphona, dicuntur capitulum, responsorium et versiculus, prouti Officium occurrens requirit.

MODUS DICENDI PRECES

In Officio feriali extra tempus natalicium et tempus paschale post versiculum subiungitur:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Finitis precibus, vel, si preces dicendæ non fuerint, finito versiculo, sequitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur oratio conveniens.

Finita oratione et responso Amen, subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD VESPERAS

℣. Deus, in adiutórium.
Glória Patri. Sicut erat.
Allelúia vel Laus tibi, Dómine.

Deinde, sub una vel quinque antiphonis, dicuntur quinque psalmi, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita vero post ultimum psalmum antiphona, dicuntur capitulum, (responsorium), hymnus et versiculus, prouti Officium occurrens exigit.

In primis Vesperis cuiusvis festi post capitulum dicendum est responsorium; pari-

ter in primis Vesperis dominicæ, quando historia dominicalis in sua prima dominica inchoatur.

Post versiculum dicitur cum antiphona convenienti sequens

Canticum beatæ Mariæ Virginis

Lucæ 1

Magníficat * ánima mea Dóminum;
Et exsultávit spíritus meus * in Deo, salutári meo,
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
Quia fecit mihi magna qui potens est, * et sanctum nomen eius,
Et misericórdia eius a progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo, * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltávit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis, * et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israël, púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ,
Sicut locútus est ad patres nostros, * Abraham et sémini eius in sæcula.
Glória Patri et Fílio * et Spirítui Sancto.
Sicut erat in princípio et nunc et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

Repetita post canticum antiphona, si preces non fuerint dicendæ, statim subiungitur Dóminus vobíscum cum oratione et reliquis omnibus usque ad finem Horæ, ut infra.

MODUS DICENDI PRECES

In Officio feriali extra tempus natalicium et tempus paschale, repetita post canticum antiphona, subiungitur:

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Finitis precibus, vel, si preces dicendæ non fuerint, repetita post canticum antiphona, subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Et dicitur oratio conveniens.

Finita oratione et responso Amen, si memoriæ fuerint faciendæ, fiunt per antiphonam, versículum et orationem absque Dóminus vobíscum, præmisso Orémus.

Singulæ orationes terminantur prout dictum est supra, XXVIII.

Finita oratione vel finitis orationibus (si plures dicendæ occurrerint), subiungitur:

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

AD COMPLETORIUM

Iube, domne, benedícere.
Benedictio: Noctem quiétam et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.
℟. Amen.

Lectio 1 Petri 5

Fratres: Sóbrii estóte et vigiláte, quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.
℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.
Pater noster secreto.

Cum Completorium dicitur tamquam ultima precatio in fine diei, Pater noster hoc loco dicendum omittitur, et eius loco, *in choro* et *in communi*, fit examen conscientiæ per rationabile tempus protractum: quod convenienter servatur etiam in recitatione *a solo*.

Post Pater noster, vel post examen conscientiæ, subditur a Prælato:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et vobis, Fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor vos oráre pro me.

Chorus autem dicit:

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua: líberet te ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam.

Respondet Prælatus: Amen.
Postea chorus replicat:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis, et tibi, Pater: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor te oráre pro me.

Quo finito, Prælatus subiungit:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et dimíttat vobis ómnia peccáta vestra: líberet vos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat vos ad vitam ætérnam. ℟. Amen.

¶ Quando non præest sacerdos, semel tantum ac simul ab omnibus sic dicitur:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum

Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Quo finito, qui præest dicit:

Misereátur nostri omnípotens Deus, et dimíttat nobis ómnia peccáta nostra: líberet nos ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Respondet chorus: Amen.

¶ Quando autem Frater solus dicit Completorium, dicat sic:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ semper Vírgini, et beáto Domínico Patri nostro, et ómnibus Sanctis: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne, mea culpa: precor beátam Maríam semper Vírginem, et beátum Domínicum Patrem nostrum, et omnes Sanctos oráre pro me.

Misereátur mei omnípotens Deus, et dimíttat mihi ómnia peccáta mea: líberet me ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat me ad vitam ætérnam. Amen.

Facta confessione sequitur:

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia vel Laus tibi, Dómine.

Deinde dicuntur antiphona et tres psalmi, prouti Officium occurrens requirit.

Repetita post ultimum psalmum antiphona, sequitur:

Capitulum Ier. 14

Tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. In manus tuas, Dómine, * Comménd spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória. In manus.

Hymnus

Te lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus
Ut sólita cleméntia
Sis præsul ad custódiam.
Procul recédant sómnia
Et nóctium phantásmata:
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.
Præsta, Pater omnípotens,
Per Iesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum Sancto Spíritu. Amen.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes: ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Canticum Simeonis
Lucæ 2

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace,

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium * et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes: ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: et Angeli tui sancti habitántes in ea nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Deinde detur benedictio hoc modo, si Prælatus benedicit:

Benedíctio Dei omnipoténtis Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

¶ Si sit alius, omisso super vos, dicat: super nos.

Postea dicitur:

Ant. Salve, Regína, mater misericórdiæ: vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte. Et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María. T. P. Allelúia.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. T. P. Allelúia. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos. T. P. Allelúia.

Orémus Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna

pérfrui lætítia. Per Christum Dóminum nostrum.

Poterit deinde addi antiphona, ℣. et oratio de S. P. N. Dominico, ubi, pro more provinciæ vel conventus, de alio Sancto non fit memoria:

Ant. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ, nos iunge beátis. T. P. Allelúia.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni... T. P. Allelúia.

Orémus Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per Christum Dóminum nostrum.

Deinde subiungitur:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

A DOMINICA I IN QUADRAGESIMA AD DOMINICAM I IN PASSIONE

In Officio dominicali et in festis loco ℟. In manus dicitur ℟. In pace. Ceteris autem diebus dicitur ℟. In manus.

℟. In pace in idípsum * Dórmiam et requiéscam.

Non repetitur ℟., sed immediate sequitur

℣. Si dédero somnum óculis meis et pálpebris meis dormitatiónem. Dórmiam. Glória. ℟. In pace.

Hymnus

Christe, qui lux es et dies,
Noctis tenébras détegis,
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prædicans.

Precámur, sancte Dómine,
Defénde nos in hac nocte:
Sit nobis in te réquies,
Quiétam noctem tríbue.

Ne gravis somnus írruat,
Nec hostis nos subrípiat,
Nec caro illi conséntiens
Nos tibi reos státuat.

Oculi somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet:
Déxtera tua prótegat
Fámulos qui te díligunt.

Defénsor noster, áspice,
Insidiántes réprime,
Gubérna tuos fámulos,
Quos sánguine mercátus es.

Meménto nostri, Dómine,
In gravi isto córpore:
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis, Dómine.

Præsta, Pater omnípotens,
Per Iesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum Sancto Spíritu.
Amen.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Sequens antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie usque ad dominicam III in Quadragesima exclusive, exceptis festis beatæ Virginis.

Ant. Evígila super nos, ætérne Salvátor, ne nos apprehéndat cállidus tentátor: quia tu factus es nobis sempitérnus adiútor.

Sequens vero antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie a dominica III in Quadragesima usque ad dominicam I in Passione exclusive, exceptis festis beatæ Virginis.

Ante canticum dicitur sine versu et resumptione, post autem canticum cum versu et resumptione.

Ant. Média vita in morte sumus: quem quærimus adiutórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proícias nos in témpore senectútis; cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. Sancte Deus.

A DOMINICA I IN PASSIONE AD CENAM DOMINI

Omisso ℟. In pace, dicitur ℟. In manus sine Glória Patri, quando de tempore agitur.

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Et loco Glória Patri, repetitur ℟. In manus.

¶ In festis tamen Sanctorum dicitur ℟. In manus cum Glória Patri, more solito.

Hymnus Christe, qui lux es et ℣. Custódi nos, ut supra.

Sequens antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie, exceptis festis beatæ Virginis.

Ant. O Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis et tamen ineffábilis: tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Deus noster: ut in die iudícii nos collocáre dignéris inter sanctos et eléctos tuos, Rex benedícte.

A DOMINICA IN ALBIS AD TRINITATEM

Super psalmos ant. Allelúia, allelúia, allelúia, (nisi dicatur Completorium de beata Virgine).

Capitulum Ier. 14

Tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Allelúia, allelúia. Glória. In manus.

Hymnus

Iesu, nostra redémptio,
Amor et desidérium,
Deus Creátor ómnium,
Homo in fine témporum:
Quæ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos a morte tólleres?
Inférni claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triúmpho nóbili
Ad dextram Patris résidens:
Ipsa te cogat pietas
Ut mala nostra súperes
Parcéndo, et voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.

Duæ ultimæ strophæ ab octava Paschæ usque ad Ascensionem:

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Duæ ultimæ strophæ ab Ascensione usque ad Pentecosten:

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prǽmium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.
Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Duæ ultimæ strophæ in festo Pentecostes et per octavam:

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.
Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus.
Amen.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi, allelúia.
℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos, allelúia.

Sequentes antiphonæ dicantur quotidie suis temporibus ad Nunc dimittis, etiam in festis Sanctorum, nisi de beata Virgine dicatur Completorium.

Tempore Resurrectionis:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia: sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

Tempore Ascensionis:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.

In festo et per octavam Pentecostes:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Spíritus Paráclitus, allelúia, docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.

PSALTERIUM

DOMINICA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

Per annum

Invit. Veníte, exsultémus Dómino: * Iubilémus Deo, salutári nostro.

Quo dicto sequitur:

℣. Præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Deinde repetitur:

Veníte, exsultémus Dómino: Iubilémus Deo, salutári nostro.

℣. Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.
Iubilémus Deo, salutári nostro.

℣. Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius.
Veníte, exsultémus Dómino: Iubilémus Deo, salutári nostro.

℣. Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.
Iubilémus Deo, salutári nostro.

℣. Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas:

quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Veníte, exsultémus Dómino: Iubilémus Deo, salutári nostro.

℣. Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio et nunc et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Iubilémus Deo, salutári nostro.

Veníte, exsultémus Dómino: Iubilémus Deo, salutári nostro.

Tempore Adventus

Hymnus

Verbum supérnum pródiens,
A Patre olim éxiens,
Qui natus orbi súbvenis
Cursu declívi témporis:
Illúmina nunc péctora,
Tuóque amóre cóncrema,
Audíto ut præcónio
Sint pulsa tandem lúbrica.
Iudéxque cum post áderis
Rimári facta péctoris,
Reddens vicem pro ábditis,
Iustísque regnum pro bonis:
Non demum arctémur malis
Pro qualitáte críminis,
Sed cum beátis cómpotes
Simus perénnes cælibes.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.
Ut pio Regi páriter caneántes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.
Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

Tempore Quadragesimæ

Hymnus

Summi largítor prǽmii,
Spes qui es única mundi,
Preces inténde servórum
Ad te devóte clamántium.
Nostra te consciéntia
Grave offendísse monstrat:
Quam emúndes, supplicámus,
Ab ómnibus piáculis.

Si rénuis, quis tríbuet?
Indúlge, quia potens es:
Te corde rogáre mundo
Fac nos, precámur, Dómine.

Ergo nunc accépta nostrum,
Qui sacrásti ieiúnium:
Quo mýstice paschália
Capiámus sacraménta.

Summa nobis hoc cónferat
In Deitáte Trínitas,
In qua gloriátur unus
Per cuncta sæcula Deus.
Amen.

Tempore Passionis

Hymnus

Pange, lingua, gloriósi
Prœlium certáminis,
Et super Crucis trophæum
Dic triúmphum nóbilem,
Quáliter Redémptor orbis
Immolátus vícerit.

De paréntis protoplásti
Fraude Factor cóndolens,
Quando pomi noxiális
Morsu in mortem córruit,
Ipse lignum tunc notávit
Damna ligni ut sólveret.

Hoc opus nostræ salútis
Ordo depopóscerat,
Multifórmis proditóris
Ars ut artem fálleret,
Et medélam ferret inde
Hostis unde læserat.

Quando venit ergo sacri
Plenitúdo témporis,
Missus est ab arce Patris
Natus orbis Cónditor,
Ac de ventre virgináli
Caro factus pródiit.

Vagit infans inter arcta
Cónditus præsépia:
Membra pannis involúta
Virgo mater álligat,
Et manus, pedésque et crura
Stricta cingit fáscia.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque
Inclito Paráclito:
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

Tempore Resurrectionis

Hymnus

Auróra lucis rútilat,
Cælum láudibus íntonat,
Mundus exsúltans iúbilat,
Gemens inférnus úlulat:

Cum Rex ille fortíssimus,
Mortis confráctis víribus,
Pede concúlcans tártara,
Solvit a pœna míseros.

Ille, qui clausus lápide
Custodítur sub mílite,
Triúmphans pompa nóbili
Victor surgit de fúnere.

Solútis iam gemítibus
Et inférni dolóribus,
Quia surréxit Dóminus
Respléndens clamat Angelus.

Tristes erant Apóstoli
De nece sui Dómini
Quem pœna mortis crudéli
Servi damnárant ímpii.

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

In Adventu: Ant. 1 Véniet ecce Rex excélsus cum potestáte magna ad salvándas gentes, allelúia.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. 1 Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur.

Tempore Resurrectionis:

Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

Tempore Ascensionis:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Tempore paschali sub una tantum antiphona dicuntur tres psalmi, etiam in feriis.

Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus viam iustórum: * et iter impiórum períbit.

Glória Patri et Fílio * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio et nunc et semper, * et in sæcula sæculórum. Amen.

¶ Hic versus Glória Patri semper dicitur in fine omnium psalmorum et canticorum, nisi aliter notetur.

In Adventu: Ant. Véniet ecce Rex excélsus cum potestáte magna ad salvándas gentes, allelúia.

Ant. 2 Confortáte manus dissolútas: confortámini, dícite: Ecce Deus noster véniet, et salvábit nos, allelúia.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Beátus vir, qui in lege Dómini meditátur.

Ant. 2 Servíte Dómino in timóre: et exsultáte ei cum tremóre.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confríges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

In Adventu: Ant. Confortáte manus dissolútas: confortámini, dícite: Ecce Deus noster véniet, et salvábit nos, allelúia.

Ant. 3 Gaudéte omnes et lætámini: ecce quia véniet Dóminus ultiónis, addúcet retributiónem: ipse véniet, et salvábit nos.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Servíte Dómino in timóre: et exsultáte ei cum tremóre.

Ant. 3 Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Psalmus 3

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem, Dómine, susceptor meus es, * glória mea, et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

In Adventu: Ant. Gaudéte omnes et lætámini: ecce quia véniet Dóminus ultiónis, addúcet retributiónem: ipse véniet, et salvábit nos.

Ant. 4 Gaude et lætáre, fília Ierúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi: Sion, noli timére, quia cito véniet salus tua.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Ant. 4 Quam admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra!

Tempore Resurrectionis: Ant. Surréxit Christus et illúxit pópulo suo, quem redémit sánguine suo, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

Tempore Ascensionis: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua, * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ȩ glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli, et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

In Adventu: Ant. Gaude et lætáre, fília Ierúsalem: ecce Rex tuus véniet tibi: Sion, noli timére, quia cito véniet salus tua.

Ant. 5 Rex noster advéniet Christus, quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Quam admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra!

Ant. 5 Sedísti super thronum, qui iúdicas iustítiam.

Psalmus 9, i

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * narrábo ómnia mirabília tua.

Lætábor et exsultábo in te: * psallam nómini tuo, Altíssime,

In converténdo inimícum meum retrórsum: * infirmabúntur, et períbunt a fácie tua.

Quóniam fecísti iudícium meum et causam meam: * sedísti super thronum, qui iúdicas iustítiam.

Increpásti gentes, et períit ímpius: * nomen eórum delésti in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Inimíci defecérunt frámeæ in finem: * et civitátes eórum destruxísti.

Périit memória eórum cum sónitu: * et Dóminus in ætérnum pérmanet.

Parávit in iudício thronum suum: ȩ et ipse iudicábit orbem terræ in æquitáte, * iudicábit pópulos in iustítia.

Et factus est Dóminus refúgium páuperi: * adiútor in opportunitátibus, in tribulatióne.

Et sperent in te qui novérunt nomen tuum: * quóniam non dereliquísti quæréntes te, Dómine.

In Adventu: Ant. Rex noster advéniet Christus, quem Ioánnes prædicávit Agnum esse ventúrum.

Ant. 6 Ecce vénio cito, et merces mea mecum est, dicit Dóminus: dare unicuíque secúndum ópera sua.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Sedísti super thronum, qui iúdicas iustítiam.

Ant. 6 Exsúrge, Dómine, non præváleat homo.

Psalmus 9, ii

Psállite Dómino, qui hábitat in Sion: * annuntiáte inter gentes stúdia eius:

Quóniam requírens sánguinem eórum recordátus est: * non est oblítus clamórem páuperum.

Miserére mei, Dómine: * vide humilitátem meam de inimícis meis.

Qui exáltas me de portis mortis, * ut annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

Exsultábo in salutári tuo: * infíxæ sunt gentes in intéritu, quem fecérunt.

In láqueo isto, quem abscondérunt, * comprehénsus est pes eórum.

Cognoscétur Dóminus iudícia fáciens: * in opéribus mánuum suárum comprehénsus est peccátor.

Convertántur peccatóres in inférnum, * omnes gentes quæ obliviscúntur Deum.

Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: * patiéntia páuperum non períbit in finem.

Exsúrge, Dómine, non confortétur homo: * iudicéntur gentes in conspéctu tuo.

Constítue, Dómine, legislatórem super eos: * ut sciant gentes quóniam hómines sunt.

In Adventu: Ant. Ecce vénio cito, et merces mea mecum est, dicit Dóminus: dare unicuíque secúndum ópera sua.

Ant. 7 Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens: Ave, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu inter muliéres.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Exsúrge, Dómine, non præváleat homo.

Ant. 7 Ut quid, Dómine, recessísti longe? †

¶ Et non repetitur in psalmo; quod semper fit, quando psalmus vel canticum incipit per eadem verba quibus constat antiphona. Et psalmus vel canticum tunc inchoatur ab eo verbo ante quod desinit antiphona, dummodo post antiphonam non sit addendum Allelúia.

Psalmus 9, iii

Ut quid, Dómine, recessísti longe, * † déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne?

Dum supérbit ímpius, incénditur pauper: * comprehendúntur in consíliis quibus cógitant.

Quóniam laudátur peccátor in desidériis ánimæ suæ: * et iníquus benedícitur.

Exacerbávit Dóminum peccátor, * secúndum multitúdinem iræ suæ non quæret.

Non est Deus in conspéctu eius: * inquinátæ sunt viæ illíus in omni témpore.

Auferúntur iudícia tua a fácie eius: * ómnium inimicórum suórum dominábitur.

Dixit enim in corde suo: * Non movébor a generatióne in generatiónem sine malo.

Cuius maledictióne os plenum est, et amarítudine, et dolo: * sub lingua eius labor et dolor.

Sedet in insídiis cum divítibus in occúltis, * ut interfíciat innocéntem.

Oculi eius in páuperem respíciunt: * insidiátur in abscóndito, quasi leo in spelúnca sua.

Insidiátur ut rápiat páuperem: * rápere páuperem, dum áttrahit eum.

In láqueo suo humiliábit eum: * inclinábit se, et cadet, cum dominátus fúerit páuperum.

Dixit enim in corde suo: Oblítus est Deus, * avértit fáciem suam ne vídeat in finem.

In Adventu: Ant. Gábriel Angelus locútus est Maríæ, dicens: Ave, grátia plena; Dóminus tecum: benedícta tu inter muliéres.

Ant. 8 María dixit: Putas qualis est ista salutátio, quia conturbáta est ánima mea, et quia paritúra sum Regem, qui claustrum virginitátis meæ non violábit?

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Ut quid, Dómine, recessísti longe?

Ant. 8 Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua. †

Psalmus 9, iv

Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: * † ne obliviscáris páuperum.

Propter quid irritávit ímpius Deum? * dixit enim in corde suo: Non requíret.

Vides quóniam tu labórem et dolórem consíderas: * ut tradas eos in manus tuas.

Tibi derelíctus est pauper: * órphano tu eris adiútor.

Cóntere bráchium peccatóris et malígni: * quærétur peccátum illíus, et non inveniétur.

Dóminus regnábit in ætérnum et in sæculum sæculi: * períbitis, gentes, de terra illíus.

Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: * præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Iudicáre pupíllo et húmili, * ut non appónat ultra magnificáre se homo super terram.

In Adventu: Ant. María dixit: Putas qualis est ista salutátio, quia conturbáta est ánima mea, et quia paritúra sum Regem, qui claustrum virginitátis meæ non violábit?

Ant. 9 In advéntu summi Regis mundéntur corda hóminum, ut digne ambulémus in occúrsum illíus: quia ecce véniet, et non tardábit.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Exsúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua.

Ant. 9 Iustus Dóminus, et iustítiam diléxit.

Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis, et sulphur, et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus, et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

In Adventu: Ant. In advéntu summi Regis mundéntur corda hóminum, ut digne ambulémus in occúrsum illíus: quia ecce véniet, et non tardábit.

℣. Ex Sion spécies decóris eius. ℟. Deus noster maniféste véniet.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Iustus Dóminus, et iustítiam diléxit.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo. ℟. Ut meditárer elóquia tua, Dómine.

Tempore Quadragesimæ:

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

Tempore Passionis:

℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

Post tertium ℟. in omnibus dominicis, præterquam in Adventu et a Septuagesima usque ad Pascha exclusive, quando fit Officium de dominica, dicitur

Hymnus Ambrosianus

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli et univérsæ Potestátes,

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * maiestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia:

Patrem * imménsæ maiestátis;

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium;

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Iudex créderis * esse ventúrus.

Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per síngulos dies * benedícimus te.

Et laudámus nomen tuum in sæculum, * et in sæculum sæculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Reliqua ut in Ordinario 553.

Versiculi ante Laudes I

in Officio dominicali

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum:

℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória eius.

Tempore Resurrectionis:
℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

Tempore Ascensionis:
℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In omnibus dominicis præterquam a Septuagesima usque ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

In Adventu: Antiphonæ de Laudibus dominicæ currentis, ut in Officio de Tempore.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Allelúia, Dóminus regnávit, decórem índuit, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sub qua sola antiphona Allelúia dicuntur omnes psalmi cum cantico.

1 Psalmus 92

Dóminus regnávit, decórem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmávit orbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * a sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina, Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * a vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes maris: * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo, Dómine, in longitúdinem diérum.

Ant. Allelúia, Dóminus regnávit, decórem índuit, allelúia, allelúia.

Ant. 2 Iubiláte Deo, omnis terra, allelúia.

2 Psalmus 99

Iubiláte Deo, omnis terra: * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu eius, * in exsultatióne.

Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus eius, et oves páscuæ eius: ℣ introíte portas eius in confessióne, * átria eius in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen eius: quóniam suávis est Dóminus, ℣ in ætérnum misericórdia eius, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas eius.

Ant. Iubiláte Deo, omnis terra, allelúia.

Ant. 3 Benedícam te in vita mea, Dómine: et in nómine tuo levábo manus meas, allelúia.

3 Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Benedícam te in vita mea, Dómine: et in nómine tuo levábo manus meas, allelúia.

Ant. 4 Tres púeri iussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes: Benedíctus Deus, allelúia.

4 Canticum trium Puerorum

Dan. 3, 57-88 et 56

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino: * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino: * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino: * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete et ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ iustórum, Dómino: * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Ananía, Azaría, Misaël, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

℣ Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Ant. Tres púeri iussu regis in fornácem missi sunt, non timéntes flammam ignis, dicéntes: Benedíctus Deus, allelúia.

Ant. 5 Allelúia, laudáte Dóminum de cælis, allelúia, allelúia.

5 Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius: * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna: * laudáte eum, omnes stellæ et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum: * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum eius:

Montes, et omnes colles: * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora: * serpéntes, et vólucres pennátæ:

Reges terræ, et omnes pópuli: * príncipes, et omnes iúdices terræ.

Iúvenes, et vírgines: senes cum iunióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Extra Adventum et tempus paschale: Ant. Allelúia, laudáte Dóminum de cælis, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Per annum

Capitulum Apoc. 7

Benedíctio et cláritas et sapiéntia et gratiárum áctio, honor, virtus et fortitúdo Deo nostro in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris, ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. Dóminus regnávit.
℟. Decórem índuit.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus

Sermóne blando Angelus
Prædíxit muliéribus:
In Galiléa Dóminus
Vidéndus est quantócius.

Illæ, dum pergunt cóncitæ
Apóstolis hoc dícere,
Vidéntes eum vívere,
Osculántur pedes Dómini.
Quo ágnito, discípuli
In Galilæam própere
Pergunt, vidére fáciem
Desiderátam Dómini.
Claro pascháli gáudio
Sol mundo nitet rádio,
Cum Christum iam Apóstoli
Visu cernunt corpóreo.
Osténsa sibi vúlnera,
In Christi carne fúlgida,
Resurrexísse Dóminum
Voce faténtur pública.
Rex Christe clementíssime,
Tu corda nostra pósside:
Ut tibi laudes débitas
Reddámus omni témpore.
Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.
Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 554.

¶ Psalmi cum cantico de dominica superius appositi dicuntur etiam, sub antiphonis Officio diei congruentibus, in vigilia, dominica infra octavam et die octavo Nativitatis Domini, infra octavas Nativitatis Domini, Paschatis et Pentecostes, in festis I et II classis, et in festis III classis antiphonis propriis ad Laudes gaudentibus.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Septuagesimæ:

℣. Excélsus super omnes gentes Dóminus. ℟. Et super cælos glória eius.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In dominicis a Septuagesima usque ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Antiphonæ de Laudibus dominicæ currentis, ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et víncas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

2 Psalmus 117

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicat nunc Israël quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicat nunc domus Aaron: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicant nunc qui timent Dóminum: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

De tribulatióne invocávi Dóminum: * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adiútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adiútor: * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine:

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, ℣ et exarsérunt sicut ignis in spinis: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem: * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus: * et factus est mihi in salútem.

Vox exsultatiónis, et salútis * in tabernáculis iustórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem: ℣ déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam: * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas iustítiæ, ℣ ingréssus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, iusti intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes: * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud: * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus: * exsultémus, et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

3 Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣ sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣ in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣ adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣ introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣ laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

4 Canticum trium Puerorum

Dan. 3, 52-57

Benedíctus es, Dómine, Deus Patrum nostrórum: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum: * et laudábile, et superexaltátum in ómnibus sæculis.

Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ: * et superlaudábilis, et supergloriósus in sæcula.

Benedíctus es in throno regni tui: * et superlaudábilis, et superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es, qui intuéris abýssos, et sedes super Chérubim: * et laudábilis, et superexaltátus in sæcula.

Benedíctus es in firmaménto cæli: * et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte, et superexaltáte eum in sæcula.

Glória Patri.

5 Psalmus 148

Laudáte Dóminum de cælis, * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum, omnes Angeli eius: * laudáte eum, omnes virtútes eius.

Laudáte eum, sol et luna: * laudáte eum, omnes stellæ, et lumen.

Laudáte eum, cæli cælórum: * et aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Státuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi: * præcéptum pósuit, et non præteríbit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracónes, et omnes abýssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum eius:

Montes, et omnes colles: * ligna fructífera, et omnes cedri.

Béstiæ, et univérsa pécora: * serpéntes, et vólucres pennátæ.

Reges terræ, et omnes pópuli: * príncipes, et omnes iúdices terræ.

Iúvenes, et vírgines: senes cum iunióribus laudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen eius solíus.

Conféssio eius super cælum, et terram: * et exaltávit cornu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis eius: * fíliis Israël, pópulo appropinquánti sibi.

Reliqua ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Finítis quæ de Martyrologio pronuntianda sunt, subiungitur:

℣. Pretiósa est in conspéctu Dómini. ℟. Mors Sanctórum eius.

Oratio absque Orémus

Sancta María et omnes Sancti intercédant pro nobis ad Dóminum: ut mereámur adiuvári ab eo, qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde dicitur ter:

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína.

Postea subiungitur:

Glória Patri. Sicut erat. Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réspice, Dómine, in servos tuos et in ópera tua, et dírige fílios eórum. ℟. Et sit splendor Dómini Dei nostri super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: et opus mánuum nostrárum dírige.

Oratio absque Orémus

Dirígere et sanctificáre dignéris, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hódie corda et córpora nostra in lege tua et in opéribus mandatórum tuórum; ut hic et in ætérnum, te auxiliánte,

semper salvi esse mereámur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Postea, dicto Iube, domne, benedícere, datur benedictio:

Divínum auxílium máneat semper nobíscum.

℟. Amen.

Data benedictione, sequitur lectio de Evangelio.

¶ Fratres qui extra chorum vel capitulum sunt, si Evangelium proprium in promptu non habuerint, dicunt:

Secúndum Ioánnem

Cap. 1

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil. Tu autem, Dómine, miserére nostri.

℟. Deo grátias.

Finita lectione de Evangelio dicitur:

Commemorátio Fratrum, Sorórum, Familiárium, Benefactórum defunctórum Ordinis nostri.

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli,

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri. Sicut erat.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo prævéni et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Si non sequitur aliqua Hora, dicitur:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Si recitatus fuerit obitus alicuius Magistri Generalis, immediate post Fidélium ánimæ vel post ℣. Adiutórium nostrum, si statim sequitur aliqua Hora, dicitur pro eius anima psalmus 129 De profúndis cum versu Réquiem ætérnam, et in fine

℣. A porta ínferi.

℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum pontificáli (vel sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Pro pluribus Magistris oratio sic dicitur:

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulos tuos sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

¶ Si recitatum fuerit anniversarium, dicto ps. De profúndis, ℣. A porta inferi. Dóminus vobíscum. Orémus, ut supra, sequitur oratio:

Deus indulgentiárum, Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

¶ Si eodem die anniversarium et obitus inciderint, sub una conclusione dicitur utraque oratio, deinde Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

In Adventu: Antiphona, etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam, e Laudibus dominicæ currentis, ut in Officio de Tempore.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, confitémini Dómino quóniam in sæculum misericórdia eius, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In festis Domini II classis in dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ aut Quinquagesimæ occurrentibus, antiphona, etiam ad Tertiam, Sextam et Nonam, e Laudibus festi.

Psalmus 117

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicat nunc Israël quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicat nunc domus Aaron: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicant nunc qui timent Dóminum: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

De tribulatióne invocávi Dóminum: * et exaudívit me in latitúdine Dóminus.

Dóminus mihi adiútor: * non timébo quid fáciat mihi homo.

Dóminus mihi adiútor: * et ego despíciam inimícos meos.

Bonum est confídere in Dómino, * quam confídere in hómine:

Bonum est speráre in Dómino, * quam speráre in princípibus.

Omnes gentes circuiérunt me: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdántes circumdedérunt me: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Circumdedérunt me sicut apes, ℣. et exarsérunt sicut ignis in spinis: * et in nómine Dómini quia ultus sum in eos.

Impúlsus evérsus sum ut cáderem: * et Dóminus suscépit me.

Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus: * et factus est mihi in salútem.

Vox exsultatiónis, et salútis * in tabernáculis iustórum.

Déxtera Dómini fecit virtútem: ℣. déxtera Dómini exaltávit me, * déxtera Dómini fecit virtútem.

Non móriar, sed vivam: * et narrábo ópera Dómini.

Castígans castigávit me Dóminus: * et morti non trádidit me.

Aperíte mihi portas iustítiæ, ℣. ingréssus in eas confitébor Dómino: * hæc porta Dómini, iusti intrábunt in eam.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * et factus es mihi in salútem.

Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes: * hic factus est in caput ánguli.

A Dómino factum est istud: * et est mirábile in óculis nostris.

Hæc est dies, quam fecit Dóminus: * exsultémus, et lætémur in ea.

O Dómine, salvum me fac, o Dómine, bene prosperáre: * benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Benedíximus vobis de domo Dómini: * Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Constitúite diem solémnem in condénsis, * usque ad cornu altáris.

Deus meus es tu, et confitébor tibi: * Deus meus es tu, et exaltábo te.

Confitébor tibi quóniam exaudísti me: * et factus es mihi in salútem.

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

In dominicis a Septuagesima usque ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive, in vigilia et die octavo Nativitatis Domini, in Triduo sacro, in festis I classis, diebus infra octavas Paschatis et Pentecostes, in dominica in albis, et in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam dicuntur psalmi de dominica sub antiphonis Officio diei congruentibus, nisi aliter suo loco notetur; sed ad Primam, loco psalmi 117 Confitémini, dicitur sequens

Psalmus 53

Deus, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua iúdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádiuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 118, i

Beáti immaculáti in via: * qui ámbulant in lege Dómini.

Beáti, qui scrutántur testimónia eius: * in toto corde exquírunt eum.

Non enim qui operántur iniquitátem, * in viis eius ambulavérunt.

Tu mandásti * mandáta tua custodíri nimis.

Utinam dirigántur viæ

meæ, * ad custodiéndas iustificatiónes tuas!

Tunc non confúndar, * cum perspéxero in ómnibus mandátis tuis.

Confitébor tibi in directióne cordis: * in eo quod dídici iudícia iustítiæ tuæ.

Iustificatiónes tuas custódiam: * non me derelínquas usquequáque.

In quo córrigit adolescéntior viam suam? * in custodiéndo sermónes tuos.

In toto corde meo exquisívi te: * ne repéllas me a mandátis tuis.

In corde meo abscóndi elóquia tua: * ut non peccem tibi.

Benedíctus es, Dómine: * doce me iustificatiónes tuas.

In lábiis meis, * pronuntiávi ómnia iudícia oris tui.

In via testimoniórum tuórum delectátus sum, * sicut in ómnibus divítiis.

In mandátis tuis exercébor: * et considerábo vias tuas.

In iustificatiónibus tuis meditábor: * non oblíviscar sermónes tuos.

Psalmus 118, ii

Retríbue servo tuo, vivífica me: * et custódiam sermónes tuos.

Revéla óculos meos: * et considerábo mirabília de lege tua.

Incola ego sum in terra: * non abscóndas a me mandáta tua.

Concupívit ánima mea desideráre iustificatiónes tuas, * in omni témpore.

Increpásti supérbos: * maledícti qui declínant a mandátis tuis.

Aufer a me oppróbrium, et contémptum: * quia testimónia tua exquisívi.

Etenim sedérunt príncipes, ℣ et advérsum me loquebántur: * servus autem tuus exercebátur in iustificatiónibus tuis.

Nam et testimónia tua meditátio mea est: * et consílium meum iustificatiónes tuæ.

Adhæsit paviménto ánima mea: * vivífica me secúndum verbum tuum.

Vias meas enuntiávi, et exaudísti me: * doce me iustificatiónes tuas.

Viam iustificatiónum tuárum ínstrue me: * et exercébor in mirabílibus tuis.

Dormitávit ánima mea præ tædio: * confírma me in verbis tuis.

Viam iniquitátis ámove a me: * et de lege tua miserére mei.

Viam veritátis elégi: * iudícia tua non sum oblítus.

Adhæsi testimóniis tuis, Dómine: * noli me confúndere.

Viam mandatórum tuórum cucúrri, * cum dilatásti cor meum.

In Adventu: Antiphona Laudum dominicæ occurrentis.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, confitémini Dómino quóniam in sæculum misericórdia eius, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sécula sæculórum. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére nobis. Glória Patri. Iesu Christe.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

¶ ℣. Qui sedes semper dicitur, nisi alius ℣. sit notatus.

Deinde dicitur Confíteor, ut in Ordinario.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

In festo Pentecostes et per totam octavam loco hymni sequentis dicitur hymnus Veni, Creátor Spíritus.

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Psalmus 118, iii

Legem pone mihi, Dómine, viam iustificatiónum tuárum: * et exquíram eam semper.

Da mihi intelléctum, et scrutábor legem tuam: * et custódiam illam in toto corde meo.

Deduc me in sémitam mandatórum tuórum: * quia ipsam vólui.

Inclína cor meum in testimónia tua: * et non in avarítiam.

Avérte óculos meos ne vídeant vanitátem: * in via tua vivífica me.

Státue servo tuo elóquium tuum, * in timóre tuo.

Amputa oppróbrium meum, quod suspicátus sum: * quia iudícia tua iucúnda.

Ecce concupívi mandáta tua: * in æquitáte tua vivífica me.

Et véniat super me misericórdia tua, Dómine: * salutáre tuum secúndum elóquium tuum.

Et respondébo exprobrántibus mihi verbum: * quia sperávi in sermónibus tuis.

Et ne áuferas de ore meo verbum veritátis usquequáque: * quia in iudíciis tuis supersperávi.

Et custódiam legem tuam semper: * in sæculum et in sæculum sæculi.

Et ambulábam in latitúdine: * quia mandáta tua exquisívi.

Et loquébar in testimóniis tuis in conspéctu regum: * et non confundébar.

Et meditábar in mandátis tuis, * quæ diléxi.

Et levávi manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi: * et exercébar in iustificatiónibus tuis.

Psalmus 118, iv

Memor esto verbi tui servo tuo, * in quo mihi spem dedísti.

Hæc me consoláta est in humilitáte mea: * quia elóquium tuum vivificávit me.

Supérbi iníque agébant usquequáque: * a lege autem tua non declinávi.

Memor fui iudiciórum tuórum a sæculo, Dómine: * et consolátus sum.

Deféctio ténuit me, * pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam.

Cantábiles mihi erant iustificatiónes tuæ, * in loco peregrinatiónis meæ.

Memor fui nocte nóminis tui, Dómine: * et custodívi legem tuam.

Hæc facta est mihi: * quia iustificatiónes tuas exquisívi.

Pórtio mea, Dómine, * dixi custodíre legem tuam.

Deprecátus sum fáciem tuam in toto corde meo: * miserére mei secúndum elóquium tuum.

Cogitávi vias meas: * et convérti pedes meos in testimónia tua.

Parátus sum, et non sum turbátus: * ut custódiam mandáta tua.

Funes peccatórum circumpléxi sunt me: * et legem tuam non sum oblítus.

Média nocte surgébam ad confiténdum tibi, * super iudícia iustificatiónis tuæ.

Párticeps ego sum ómnium timéntium te: * et custodiéntium mandáta tua.

Misericórdia tua, Dómine, plena est terra: * iustificatiónes tuas doce me.

Psalmus 118, v

Bonitátem fecísti cum servo tuo, Dómine, * secúndum verbum tuum.

Bonitátem, et disciplínam, et sciéntiam doce me: * quia mandátis tuis crédidi.

Priúsquam humiliárer ego delíqui: * proptérea elóquium tuum custodívi.

Bonus es tu: * et in bonitáte tua doce me iustificatiónes tuas.

Multiplicáta est super me iníquitas superbórum: * ego autem in toto corde meo scrutábor mandáta tua.

Coagulátum est sicut lac cor eórum: * ego vero legem tuam meditátus sum.

Bonum mihi quia humiliásti me: * ut discam iustificatiónes tuas.

Bonum mihi lex oris tui, * super míllia auri et argénti.

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me: * da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Qui timent te vidébunt me, et lætabúntur: * quia in verba tua supersperávi.

Cognóvi, Dómine, quia æquitas iudícia tua: * et in veritáte tua humiliásti me.

Fiat misericórdia tua ut consolétur me, * secúndum elóquium tuum servo tuo.

Véniant mihi miseratiónes tuæ, et vivam: * quia lex tua meditátio mea est.

Confundántur supérbi, quia iniúste iniquitátem fecérunt in me: * ego autem exercébor in mandátis tuis.

Convertántur mihi timéntes te: * et qui novérunt testimónia tua.

Fiat cor meum immaculátum in iustificatiónibus tuis, * ut non confúndar.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, deduc me, Dómine, in sémitam mandatórum tuórum, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Tempore Adventus

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

℟. Veni ad liberándum nos, * Dómine Deus virtútum. Veni. ℣. Osténde fáciem tuam, et salvi érimus. Dómine. Glória. Veni.

℣. Timébunt gentes nomen tuum, Dómine. ℟. Et omnes reges terræ glóriam tuam.

Per annum

Capitulum 1 Ioan. 4

Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo.

℟. Inclína cor meum, Deus, * In testimónia tua. Inclína. ℣. Avérte óculos meos, ne vídeant vanitátem: in via tua vivífica me. In testimónia tua. Glória. Inclína.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

A dominica in Septuagesima ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive capitulum, ℟. et ℣. ut in Officio de Tempore.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

℟. Resurréxit Dóminus, * Allelúia, allelúia. Resurréxit. ℣. Sicut dixit vobis. Allelúia. Glória. Resurréxit.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, tuus sum ego, salvum me fac, Dómine, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Psalmus 118, vi

Defécit in salutáre tuum ánima mea: * et in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, * dicéntes: Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: * iustificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui? * quando fácies de persequéntibus me iudícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: * sed non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: * iníque persecúti sunt me, ádiuva me.

Paulo minus consummavérunt me in terra: * ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica me: * et custódiam testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, * verbum tuum pérmanet in cælo.

In generatiónem et generatiónem véritas tua: * fundásti terram, et pérmanet.

Ordinatióne tua persevérat dies: * quóniam ómnia sérviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditátio mea est: * tunc forte periíssem in humilitáte mea.

In ætérnum non oblíviscar iustificatiónes tuas: * quia in ipsis vivificásti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: * quóniam iustificatiónes tuas exquisívi.

Me exspectavérunt peccatóres ut pérderent me: * testimónia tua intelléxi.

Omnis consummatiónis vidi finem: * latum mandátum tuum nimis.

Psalmus 118, vii

Quómodo diléxi legem tuam, Dómine? * tota die meditátio mea est.

Super inimícos meos prudéntem me fecísti mandáto tuo: * quia in ætérnum mihi est.

Super omnes docéntes me intelléxi: * quia testimónia tua meditátio mea est.

Super senes intelléxi: * quia mandáta tua quæsívi.

Ab omni via mala prohíbui pedes meos: * ut custódiam verba tua.

A iudíciis tuis non declinávi: * quia tu legem posuísti mihi.

Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, * super mel ori meo!

A mandátis tuis intelléxi: * proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, * et lumen sémitis meis.

Iurávi, et státui * custodíre iudícia iustítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: * vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine: * et iudícia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: * et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: * et de mandátis tuis non errávi.

Hereditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum: * quia exsultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas iustificatiónes tuas in ætérnum, * propter retributiónem.

Psalmus 118, viii

Iníquos ódio hábui: * et legem tuam diléxi.

Adiútor et suscéptor meus es tu: * et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me, malígni: * et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et vivam: * et non confúndas me ab exspectatióne mea.

Adiuva me, et salvus ero: * et meditábor in iustificatiónibus tuis semper.

Sprevísti omnes discedéntes a iudíciis tuis: * quia iniústa cogitátio eórum.

Prævaricántes reputávi omnes peccatóres terræ: * ídeo diléxi testimónia tua.

Confíge timóre tuo carnes meas: * a iudíciis enim tuis tímui.

Feci iudícium et iustítiam: * non tradas me calumniántibus me.

Súscipe servum tuum in bonum: * non calumniéntur me supérbi.

Oculi mei defecérunt in salutáre tuum: * et in elóquium iustítiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam: * et iustificatiónes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: * da mihi intelléctum, ut sciam testimónia tua.

Tempus faciéndi, Dómine: * dissipavérunt legem tuam.

Ideo diléxi mandáta tua, * super aurum et topázion.

Proptérea ad ómnia mandáta tua dirigébar: * omnem viam iníquam ódio hábui.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, tuus sum ego, salvum me fac, Dómine, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Tempore Adventus

Capitulum Ier. 23

In diébus illis salvábitur Iuda, et Israël habitábit confidénter: et hoc est nomen, quod vocábunt eum, Dóminus iustus noster.

℟. Osténde nobis, Dómine, * Misericórdiam tuam. Osténde. ℣. Et salutáre tuum da nobis. Misericórdiam tuam. Glória. Osténde.

℣. Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui. ℟. Vísita nos in salutári tuo.

Per annum

Capitulum 2 Cor. 13

Grátia Dómini nostri Iesu Christi et cáritas Dei et communicátio Sancti Spíritus sit semper cum ómnibus vobis. Amen.

℟. Deo grátias.

℟. In ætérnum, Dómine, * Pérmanet verbum tuum. In ætérnum. ℣. In cælo et in sæculum sæculi véritas tua. Pérmanet. Glória. In ætérnum.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

A dominica in Septuagesima ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive capitulum, ℟. et ℣. ut in Officio de Tempore.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Coloss. 3

Si consurrexístis cum Christo: quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram.

℟. Surréxit Dóminus vere, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Et appáruit Simóni. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, fáciem tuam, Dómine, illúmina super servum tuum, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Psalmus 118, ix

Mirabília testimónia tua: * ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: * et intelléctum dat párvulis.

Os meum apérui, et attráxi spíritum: * quia mandáta tua desiderábam.

Aspice in me, et miserére mei, * secúndum iudícium diligéntium nomen tuum.

Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum: * et non dominétur mei omnis iniustítia.

Rédime me a calúmniis hóminum: * ut custódiam mandáta tua.

Fáciem tuam illúmina super servum tuum: * et doce me iustificatiónes tuas.

Exitus aquárum deduxérunt óculi mei: * quia non custodiérunt legem tuam.

Iustus es, Dómine: * et rectum iudícium tuum.

Mandásti iustítiam testimónia tua: * et veritátem tuam nimis.

Tabéscere me fecit zelus meus: * quia oblíti sunt verba tua inimíci mei.

Ignítum elóquium tuum veheménter: * et servus tuus diléxit illud.

Adolescéntulus sum ego et contémptus: * iustificatiónes tuas non sum oblítus.

Iustítia tua, iustítia in ætérnum: * et lex tua véritas.

Tribulátio, et angústia invenérunt me: * mandáta tua meditátio mea est.

Æquitas testimónia tua in ætérnum: * intelléctum da mihi, et vivam.

Psalmus 118, x

Clamávi in toto corde meo, exáudi me, Dómine: * iustificatiónes tuas requíram.

Clamávi ad te, salvum me fac: * ut custódiam mandáta tua.

Prævéni in maturitáte, et clamávi: * quia in verba tua supersperávi.

Prævenérunt óculi mei ad te dilúculo: * ut meditárer elóquia tua.

Vocem meam audi secúndum misericórdiam tuam, Dómine: * et secúndum iudícium tuum vivífica me.

Appropinquavérunt persequéntes me iniquitáti: * a lege autem tua longe facti sunt.

Prope es tu, Dómine: * et omnes viæ tuæ véritas.

Inítio cognóvi de testimóniis tuis: * quia in ætérnum fundásti ea.

Vide humilitátem meam, et éripe me: * quia legem tuam non sum oblítus.

Iúdica iudícium meum, et rédime me: * propter elóquium tuum vivífica me.

Longe a peccatóribus salus: * quia iustificatiónes tuas non exquisiérunt.

Misericórdiæ tuæ multæ, Dómine: * secúndum iudícium tuum vivífica me.

Multi qui persequúntur me, et tríbulant me: * a testimóniis tuis non declinávi.

Vidi prævaricántes, et tabescébam: * quia elóquia tua non custodiérunt.

Vide quóniam mandáta tua diléxi, Dómine: * in misericórdia tua vivífica me.

Princípium verbórum tuórum véritas: * in ætérnum ómnia iudícia iustítiæ tuæ.

Psalmus 118, xi

Príncipes persecúti sunt me gratis: * et a verbis tuis formidávit cor meum.

Lætábor ego super elóquia tua: * sicut qui invénit spólia multa.

Iniquitátem ódio hábui, et abominátus sum: * legem autem tuam diléxi.

Sépties in die laudem dixi tibi, * super iudícia iustítiæ tuæ.

Pax multa diligéntibus legem tuam: * et non est illis scándalum.

Exspectábam salutáre tuum, Dómine: * et mandáta tua diléxi.

Custodívit ánima mea testimónia tua: * et diléxit ea veheménter.

Servávi mandáta tua, et testimónia tua: * quia omnes viæ meæ in conspéctu tuo.

Appropínquet deprecátio mea in conspéctu tuo, Dómine: * iuxta elóquium tuum da mihi intelléctum.

Intret postulátio mea in conspéctu tuo: * secúndum elóquium tuum éripe me.

Eructábunt lábia mea hymnum, * cum docúeris me iustificatiónes tuas.

Pronuntiábit lingua mea elóquium tuum: * quia ómnia mandáta tua æquitas.

Fiat manus tua ut salvet me: * quóniam mandáta tua elégi.

Concupívi salutáre tuum, Dómine: * et lex tua meditátio mea est.

Vivet ánima mea, et laudábit te: * et iudícia tua adiuvábunt me.

Errávi, sicut ovis, quæ périit: * quære servum tuum, quia mandáta tua non sum oblítus.

Per annum et tempore natalicio: Ant. Allelúia, fáciem tuam, Dómine, illúmina super servum tuum, allelúia, allelúia.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In reliquis dominicis et in festis, antiphona ut in Proprio.

Tempore Adventus

Capitulum Is. 2

Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.

℟. Super te, Ierúsalem, * Oriétur Dóminus. Super te. ℣. Et glória eius in te vidébitur. Oriétur. Glória. Super te.

℣. Dómine Deus virtútum, convérte nos. ℟. Et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Per annum

Capitulum 1 Ioan. 5

Tres sunt, qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt.

℟. Clamávi in toto corde, * Exáudi me, Dómine. Clamávi. ℣. Iustificatiónes tuas requíram. Exáudi me. Glória. Clamávi.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

A dominica in Septuagesima ad dominicam II in Passione seu in ramis palmarum inclusive capitulum, ℟. et ℣. ut in Officio de Tempore.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Coloss. 3

Cum autem Christus apparúerit, vita vestra: tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

℟. Surréxit Dóminus de sepúlcro, * Allelúia, allelúia. Surréxit. ℣. Qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúia. Glória. Surréxit.

℣. Gavísi sunt discípuli, allelúia. ℟. Viso Dómino, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD II VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis. †

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sub qua sola antiphona Allelúia dicuntur omnes psalmi.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

† Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus, et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Ant. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Ant. 2 Magna ópera Dómini: exquisíta in omnes voluntátes eius.

Psalmus 110

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * in consílio iustórum, et congregatióne.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntátes eius.

Conféssio et magnificéntia opus eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, ℣ miséricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Memor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiábit pópulo suo:

Ut det illis hereditátem géntium: * ópera mánuum eius véritas, et iudícium.

Fidélia ómnia mandáta eius: ℣ confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum, et terríbile nomen eius: * inítium sapiéntiæ timor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio eius manet in sæculum sæculi.

Ant. Magna ópera Dómini: exquisíta in omnes voluntátes eius.

Ant. 3 Qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis.

Psalmus 111

Beátus vir, qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória, et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor, et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit, et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Ant. Qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis.

Ant. 4 Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Ant. Sit nomen Dómini benedíctum in sæcula.

Ant. 5 Deus autem noster in cælo: ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Psalmus 113

In éxitu Israël de Ægýpto, * domus Iacob de pópulo bárbaro:

Facta est Iudæa sanctificátio eius, * Israël potéstas eius.

Mare vidit, et fugit: * Iordánis convérsus est retrórsum.

Montes exsultavérunt ut aríetes, * et colles sicut agni óvium.

Quid est tibi, mare, quod fugísti: * et tu, Iordánis, quia convérsus es retrórsum?

Montes, exsultástis sicut aríetes, * et colles, sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * a fácie Dei Iacob.

Qui convértit petram in stagna aquárum, * et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis: * sed nómini tuo da glóriam.

Super misericórdia tua, et veritáte tua: * nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum?

Deus autem noster in cælo: * ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: * nares habent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt: ℣. pedes habent, et non ambulábunt: * non clamábunt in gútture suo.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël sperávit in Dómino: * adiútor eórum et protéctor eórum est.

Domus Aaron sperávit in Dómino: * adiútor eórum et protéctor eórum est.

Qui timent Dóminum, speravérunt in Dómino: * adiútor eórum et protéctor eórum est.

Dóminus memor fuit nostri: * et benedíxit nobis:

Benedíxit dómui Israël: * benedíxit dómui Aaron.

Benedíxit ómnibus, qui timent Dóminum, * pusíllis cum maióribus.

Adíciat Dóminus super vos: * super vos, et super fílios vestros.

Benedícti vos a Dómino, * qui fecit cælum, et terram.

Cælum cæli Dómino: * terram autem dedit fíliis hóminum.

Non mórtui laudábunt te, Dómine: * neque omnes, qui descéndunt in inférnum.

Sed nos qui vívimus, benedícimus Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Extra tempus paschale:

Ant. Deus autem noster in cælo: ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Tempore Adventus

Capitulum Ier. 23

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus, et suscitábo David germen iustum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet iudícium et iustítiam in terra.

Hymnus

Cónditor alme síderum,
Ætérna lux credéntium,
Christe Redémptor ómnium,
Exáudi preces súpplicum.
Qui cóndolens intéritu
Mortis períre sæculum,
Salvásti mundum lánguidum,
Donans reis remédium.
Vergénte mundi véspere,
Uti sponsus de thálamo,
Egréssus honestíssima
Vírginis matris cláusula.
Cuius forti poténtiæ
Genu curvántur ómnia,
Cæléstia, terréstria,
Nutu faténtur súbdita.
Te deprecámur, ágie,
Ventúre iudex sæculi,
Consérva nos in témpore
Hostis a telo pérfidi.
Laus, honor, virtus, glória
Deo Patri, et Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Roráte cæli désuper, et nubes pluant iustum.
℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem:
Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpisílligat.
Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Tempore Quadragesimæ

Capitulum 2 Cor. 6

Hortámur vos ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adiúvi te.

Hymnus

Audi, benígne Cónditor,
Nostras preces cum flétibus
In hoc sacro ieiúnio
Fusas quadragenário.

Scrutátor alme córdium,
Infírma tu scis vírium:
Ad te revérsis éxhibe
Remissiónis grátiam.

Multum quidem peccávimus,
Sed parce confiténtibus:
Ad laudem tui nóminis,
Confer medélam lánguidis.

Sic corpus extra cónteri
Dona per abstinéntiam,
Ieiúnet ut mens sóbria
A labe prorsus críminum.

Præsta, beáta Trínitas,
Concéde, simplex Unitas,
Ut fructuósa sint tuis
Ieiuniórum múnera.
Amen.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

Tempore Passionis

Capitulum Ier. 11

Tu autem, Dómine Sábaoth, qui iúdicas iuste, et probas renes et corda, vídeam ultiónem tuam ex eis: tibi enim revelávi causam meam, Dómine Deus meus.

Hymnus

Vexílla Regis pródeunt,
Fulget Crucis mystérium,
Quo carne carnis Cónditor
Suspénsus est patíbulo.

Quo vulnerátus ínsuper
Mucróne diro lánceæ,
Ut nos laváret crímine,
Manávit unda et sánguine.

Impléta sunt quæ cóncinit
David fidéli cármine
Dicens: In natiónibus
Regnávit a ligno Deus.

Arbor decóra et fúlgida,
Ornáta Regis púrpura,
Elécta digno stípite
Tam sancta membra tángere.

Beáta, cuius bráchiis
Sæcli pepéndit prétium,
Statéra facta córporis,
Prædámque tulit tártari.

Hic genuflectitur usque ad Te, summa.

O Crux ave, spes única,
Hoc Passiónis témpore
Auge piis iustítiam,
Reísque dona véniam.

Te, summa Deus Trínitas,
Colláudet omnis spíritus:

Quos per Crucis mystérium
Salvas, rege per sæcula.
Amen.

℣. Eripe me, Dómine, ab hómine malo. ℟. A viro iníquo éripe me.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

Hymnus

Ad cenam Agni próvidi
Et stolis albis cándidi,
Post tránsitum Maris rubri,
Christo canámus príncipi.

Cuius corpus sanctíssimum,
In ara crucis tórridum:
Cruóre eius róseo
Gustándo vívimus Deo.

Protécti Paschæ véspere
A devastánte Angelo,
Erépti de duríssimo
Pharaónis império.

Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolátus Agnus est:
Sinceritátis ázyma
Caro eius oblàta est.

O vere digna hóstia,
Per quam fracta sunt tártara,
Redémpta plebs captiváta,
Réddita vitæ prǽmia!

Consúrgit Christus túmulo,
Victor redit de bárathro,
Tyránnum trudens vínculo,
Et réserans Paradísum.

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc paschàli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Iube, domne, benedícere.

Benedictio: Noctem quiétam et finem perféctum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Lectio 1 Petri 5

Fratres: Sóbrii estóte et vigiláte, quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide. Tu autem, Dómine, miserére nostri. ℟. Deo grátias.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Examen conscientiæ vel Pater noster secreto.

Deinde dicitur Confíteor, ut in Ordinario 563.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia, vel Laus tibi, Dómine.

Extra tempus paschale:
Ant. Miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Antiphona Allelúia dicitur in omnibus Officiis, a sabbato in albis usque ad feriam VI infra octavam Pentecostes inclusive, nisi aliter notetur.

Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus iustítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium iustítiæ, ℣ et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Psalmus 90

Qui hábitat in adiutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu et refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * et sub pennis eius sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas eius: * non timébis a timóre noctúrno.

A sagítta volánte in die, ℣ a negótio perambulánte in ténebris, * ab incúrsu, et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, ℣ et decem míllia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te, * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis: * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum: ℣ cum ipso sum in tribulatióne: * erípiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * et osténdam illi salutáre meum.

Psalmus 133

Ecce nunc benedícite Dóminum, * omnes servi Dómini:

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

In nóctibus extóllite manus vestras in sancta, * et benedícite Dóminum.

Benedícat te Dóminus ex Sion, * qui fecit cælum et terram.

Extra tempus paschale:
Ant. Miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica superius appositi dicuntur ad Completorium etiam Triduo sacro atque in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum; itemque dicuntur, adhibita simul antiphona iuxta diversitatem temporis assignata, toto tempore natalicio, infra octavas Paschatis et Pentecostes atque in festis I et II classis.

Capitulum Ier. 14

Tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Comméndo. Glória. In manus.

Hymnus

Te lucis ante términum,
Rerum Creátor, póscimus
Ut sólita cleméntia
Sis præsul ad custódiam.

Procul recédant sómnia
Et nóctium phantásmata:
Hostémque nostrum cómprime,
Ne polluántur córpora.

Præsta, Pater omnípotens,
Per Iesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum Sancto Spíritu. Amen.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes: ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Canticum Simeonis

Lucæ 2

Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, * secúndum verbum tuum in pace,

Quia vidérunt óculi mei * salutáre tuum,

Quod parásti * ante fáciem ómnium populórum,

Lumen ad revelatiónem géntium * et glóriam plebis tuæ Israël.

Ant. Salva nos, Dómine, vigilántes, custódi nos dormiéntes: ut vigilémus cum Christo, et requiescámus in pace.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Oratio

Vísita, quæsumus, Dómine, habitatiónem istam, et omnes insídias inimíci ab ea longe repélle: et Angeli tui sancti habitántes in ea nos in pace custódiant, et benedíctio tua sit super nos semper. Per Dóminum.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Deinde detur benedictio hoc modo, si Prælatus benedicit:

Benedíctio Dei omnipoténtis Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

¶ Si sit alius, omisso super vos, dicat: super nos.

Data benedictione ut supra, dicitur:

Ant. Salve, Regína, mater misericórdiæ: vita, dulcédo et spes nostra, salve. Ad te clamámus éxsules fílii Hevæ. Ad te suspirámus geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. Eia ergo, advocáta nostra, illos tuos misericórdes óculos ad nos convérte; et Iesum, benedíctum fructum ventris tui, nobis post hoc exsílium osténde. O clemens, o pia, o dulcis Virgo María. T. P. Allelúia.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta. T. P. Allelúia. ℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos. T. P. Allelúia.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Ant. O lumen Ecclésiæ, doctor veritátis, rosa patiéntiæ, ebur castitátis, aquam sapiéntiæ propinásti gratis: prædicátor grátiæ, nos iunge beátis. T. P. Allelúia.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni... T. P. Allelúia.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur. Per.

Deinde dicitur Fidélium. ℟. Amen.

A dominica I in Quadragesima ad dominicam I in Passione

In Officio dominicali et in festis loco ℟. In manus dicitur ℟. In pace.

Ceteris autem diebus dicitur ℟. In manus.

℟. In pace in idípsum * Dórmiam et requiéscam.

Non repetitur ℟., sed immediate dicitur

℣. Si dédero somnum óculis meis, et pálpebris meis dormitatiónem. Dórmiam. Glória. ℟. In pace.

Hymnus

Christe, qui lux es et dies,
Noctis tenébras détegis,
Lucísque lumen créderis,
Lumen beátum prædicans.

Precámur, sancte Dómine,
Defénde nos in hac nocte:
Sit nobis in te réquies,
Quiétam noctem tríbue.

Ne gravis somnus írruat,
Nec hostis nos subrípiat,
Nec caro illi conséntiens
Nos tibi reos státuat.

Oculi somnum cápiant,
Cor ad te semper vígilet:
Déxtera tua prótegat
Fámulos qui te díligunt.

Defénsor noster, áspice,
Insidiántes réprime,
Gubérna tuos fámulos,
Quos sánguine mercátus es.

Meménto nostri, Dómine,
In gravi isto córpore:
Qui es defénsor ánimæ,
Adésto nobis, Dómine.

Præsta, Pater omnípotens,
Per Iesum Christum Dóminum,
Qui tecum in perpétuum
Regnat cum Sancto Spíritu. Amen.

℣. Custódi nos, Dómine, ut pupíllam óculi. ℟. Sub umbra alárum tuárum prótege nos.

Sequens antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie usque ad dominicam III in Quadragesima exclusive, exceptis festis beatæ Virginis.

Ant. Evígila super nos, ætérne Salvátor, ne nos apprehéndat cállidus tentátor: quia tu factus es nobis sempitérnus adiútor.

Sequens vero antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie a dominica III in Quadragesima usque ad dominicam I in Passione exclusive, exceptis festis beatæ Virginis.

Ante canticum dicitur sine versu et resumptione, post autem canticum cum versu et resumptione.

Ant. Média vita in morte sumus: quem quærimus adiutórem nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proícias nos in témpore senectútis: cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. Sancte Deus.

Cetera non mutantur.

A dominica I in Passione ad Cenam Domini

Omisso ℟. In pace, dicitur sequens:

℟. In manus tuas, Dómine, * Comméndo spíritum meum. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Comméndo.

Et omisso Glória Patri, reincípitur ℟. In manus. (In festis tamen Sanctorum dicitur ℟. In manus cum Glória Patri).

Hymnus Christe, qui lux es, et ℣. Custódi nos, 613.

Sequens antiphona dicitur ad Nunc dimittis quotidie, exceptis festis beatæ Virginis.

Ant. O Rex glorióse inter sanctos tuos, qui semper es laudábilis et tamen ineffábilis: tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Deus noster: ut in die iudícii nos collocáre dignéris inter sanctos et eléctos tuos, Rex benedícte.

A dominica in albis ad Trinitatem

Super psalmos ant. Allelúia, allelúia, allelúia (nisi dicitur Completorium de beata Virgine).

Capitulum Ier. 14

Tu in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine, Deus noster.

℟. In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum, * Allelúia, allelúia. In manus. ℣. Redemísti me, Dómine, Deus veritátis. Allelúia, allelúia. Glória. In manus.

Hymnus

Iesu, nostra redémptio,
Amor et desidérium,
Deus Creátor ómnium,
Homo in fine témporum:

Quæ te vicit cleméntia,
Ut ferres nostra crímina,
Crudélem mortem pátiens,
Ut nos a morte tólleres?

Inférni claustra pénetrans,
Tuos captívos rédimens,
Victor triúmpho nóbili
Ad dextram Patris résidens:

Ipsa te cogat píetas
Ut mala nostra súperes
Parcéndo, et voti cómpotes
Nos tuo vultu sáties.

Duæ ultimæ strophæ ab octava Paschæ usque ad Ascensionem:

Quæsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

Duæ ultimæ strophæ ab Ascensione usque ad Pentecosten:

Tu esto nostrum gáudium,
Qui es futúrus prémium:
Sit nostra in te glória
Per cuncta semper sæcula.

Glória tibi, Dómine,
Qui scandis supra sídera,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

Duæ ultimæ strophæ in festo Pentecostes et per octavam:

Dudum sacráta péctora
Tua replésti grátia:
Dimítte nunc peccámina,
Et da quiéta témpora.

Sit laus Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito:
Nobísque mittat Fílius
Charísma Sancti Spíritus. Amen.

℣. Custódi nos..., Allelúia. ℟. Sub umbra..., Allelúia.

Sequentes antiphonæ dicuntur quotidie suis temporibus ad Nunc dimittis, etiam in festis Sanctorum, nisi de beata Virgine dicitur Completorium.

Tempore Resurrectionis:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Resurréxit Dóminus, allelúia, sicut dixit vobis, allelúia, allelúia.

Tempore Ascensionis:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Ascéndens Christus in altum, allelúia, captívam duxit captivitátem, allelúia, allelúia.

In festo et per octavam Pentecostes:

Ad Nunc dimittis ant. Allelúia. Spíritus Paráclitus, allelúia, docébit vos ómnia, allelúia, allelúia.

Cetera non mutantur.

FERIA SECUNDA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur feria II per annum, tempore Septuagesimæ et Quadragesimæ.

Invit. Veníte, * Exsultémus Dómino.

In primo psalmi versu non dicitur: Veníte, exsultémus Dómino, sed post invitatorium statim subiungitur:

Iubilémus Deo, salutári nostro: præoccupémus fáciem eius in confessióne, et in psalmis iubilémus ei.

Rep. integrum invitatorium.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam: quia in manu eius sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

Rep. altera pars invitatorii.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus eius: veníte, adorémus, et procidámus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster; nos autem pópulus eius et oves páscuæ eius.

Rep. integrum invitatorium.

Hódie, si vocem eius audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in desérto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt et vidérunt ópera mea.

Rep. altera pars invitatorii.

Quadragínta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognovérunt vias meas: quibus iurávi in ira mea: Si introíbunt in réquiem meam.

Rep. integrum invitatorium.

Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio et nunc et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

Rep. altera pars invitatorii.

Denique repetitur integrum invitatorium.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sub una tantum antiphona Allelúia, in hac et aliis feriis, dicuntur tres psalmi secundum ordinem hebdomadarum, a feria II post dominicam in albis usque ad vigiliam Pentecostes, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

Psalmus 13

Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.
Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in stúdiis suis: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.
Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum, * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.
Omnes declinavérunt, ℣ simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.
Sepúlcrum patens est guttur eórum: ℣ linguis suis dolóse agébant, * venénum áspidum sub lábiis eórum.
Quorum os maledictióne et amaritúdine plenum est: * velóces pedes eórum ad effundéndum sánguinem.
Contrítio et infelícitas in viis eórum, ℣ et viam pacis non cognovérunt: * non est timor Dei ante óculos eórum.

Nonne cognóscent omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam sicut escam panis?

Dóminum non invocavérunt, * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Dóminus in generatióne iusta est, consílium ínopis confudístis: * quóniam Dóminus spes eius est.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Iacob, et lætábitur Israël.

Ant. Dóminus de cælo prospéxit super fílios hóminum.

Ant. 2 Qui operátur iustítiam, requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Qui operátur iustítiam, requiéscet in monte sancto tuo, Dómine.

Ant. 3 Inclína, Dómine, aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Psalmus 16

Exáudi, Dómine, iustítiam meam: * inténde deprecatiónem meam.

Auribus pércipe oratiónem meam, * non in lábiis dolósis.

De vultu tuo iudícium meum pródeat: * óculi tui vídeant æquitátes.

Probásti cor meum, et visitásti nocte: * igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Ut non loquátur os meum ópera hóminum: * propter verba labiórum tuórum ego custodívi vias duras.

Pérfice gressus meos in sémitis tuis: * ut non moveántur vestígia mea.

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: * inclína aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Mirífica misericórdias tuas, * qui salvos facis speránte in te.

A resisténtibus déxteræ tuæ custódi me, * ut pupíllam óculi.

Sub umbra alárum tuárum prótege me: * a fácie impiórum qui me afflixérunt.

Inimíci mei ánimam meam circumdedérunt, ℣ ádipem suum conclusérunt: * os eórum locútum est supérbiam.

Proiciéntes me nunc circumdedérunt me: * óculos suos statuérunt declináre in terram.

Suscepérunt me sicut leo parátus ad prædam: * et sicut cátulus leónis hábitans in ábditis.

Exsúrge, Dómine, prævéni eum, et supplánta eum: * éripe ánimam meam ab ímpio, frámeam tuam ab inimícis manus tuæ.

Dómine, a paucis de terra dívide eos in vita eórum: * de abscónditis tuis adimplétus est venter eórum.

Saturáti sunt fíliis: * et dimisérunt relíquias suas párvulis suis.

Ego autem in iustítia apparébo conspéctui tuo: * satiábor cum apparúerit glória tua.

Ant. Inclína, Dómine, aurem tuam mihi, et exáudi verba mea.

Ant. 4 Díligam te, Dómine, virtus mea.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 17, i

Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: * Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus.

Deus meus adiútor meus, * et sperábo in eum.

Protéctor meus, et cornu salútis meæ, * et susceptor meus.

Laudans invocábo Dóminum: * et ab inimícis meis salvus ero.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * et torrénte iniquitátis conturbavérunt me.

Dolóres inférni circumdedérunt me: * præoccupavérunt me láquei mortis.

In tribulatióne mea invocávi Dóminum, * et ad Deum meum clamávi.

Et exaudívit de templo sancto suo vocem meam: * et clamor meus in conspéctu eius, introívit in aures eius.

Commóta est, et contrémuit terra: ℣. fundaménta móntium conturbáta sunt, et commóta sunt, * quóniam irátus est eis.

Ascéndit fumus in ira eius: ℣. et ignis a fácie eius exársit: * carbónes succénsi sunt ab eo.

Inclinávit cælos, et descéndit: * et calígo sub pédibus eius.

Et ascéndit super Chérubim, et volávit: * volávit super pennas ventórum.

Et pósuit ténebras latíbulum suum, in circúitu eius tabernáculum eius: * tenebrósa aqua in núbibus áëris.

Præ fulgóre in conspéctu eius nubes transiérunt, * grando et carbónes ignis.

Et intónuit de cælo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: * grando et carbónes ignis.

Et misit sagíttas suas, et dissipávit eos: * fúlgura multiplicávit, et conturbávit eos.

Et apparuérunt fontes aquárum, * et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum:

Ab increpatióne tua, Dómine, * ab inspiratióne spíritus iræ tuæ.

Ant. Díligam te, Dómine, virtus mea.

Ant. 5 Retríbuet mihi Dóminus secúndum iustítiam meam.

Psalmus 17, ii

Misit de summo, et accépit me: * et assúmpsit me de aquis multis.

Erípuit me de inimícis meis fortíssimis, et ab his qui odérunt me: * quóniam confortáti sunt super me.

Prævenérunt me in die afflictiónis meæ: * et factus est Dóminus protéctor meus.

Et edúxit me in latitúdinem: * salvum me fecit, quóniam vóluit me.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum iustítiam meam, * et secúndum puritátem mánuum meárum retríbuet mihi:

Quia custodívi vias Dómini, * nec ímpie gessi a Deo meo.

Quóniam ómnia iudícia eius in conspéctu meo: * et iustítias eius non répuli a me.

Et ero immaculátus cum eo: * et observábo me ab iniquitáte mea.

Et retríbuet mihi Dóminus secúndum iustítiam meam: * et secúndum puritátem mánuum meárum in conspéctu oculórum eius.

Cum sancto sanctus eris, * et cum viro innocénte innocens eris:

Et cum elécto eléctus eris: * et cum pervérso pervertéris.

Quóniam tu pópulum húmilem salvum fácies: * et óculos superbórum humiliábis.

Quóniam tu illúminas lucérnam meam, Dómine: * Deus meus, illúmina ténebras meas.

Quóniam in te erípiar a tentatióne, * et in Deo meo transgrédiar murum.

Deus meus, impollúta via eius: ℣. elóquia Dómini igne examináta: * protéctor est ómnium sperántium in se.

Quóniam quis Deus præter Dóminum? * aut quis Deus præter Deum nostrum?

Deus, qui præcínxit me virtúte: * et pósuit immaculátam viam meam.

Qui perfécit pedes meos tamquam cervórum, * et super excélsa státuens me.

Qui docet manus meas ad prœlium: * et posuísti, ut arcum æreum, bráchia mea.

Ant. Retríbuet mihi Dóminus secúndum iustítiam meam.

Ant. 6 Vivit Dóminus, et benedíctus Deus salútis meæ.

Psalmus 17, iii

Et dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: * et déxtera tua suscépit me:

Et disciplína tua corréxit me in finem: * et disciplína tua ipsa me docébit.

Dilatásti gressus meos subtus me: * et non sunt infirmáta vestígia mea:

Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos: * et non convértar, donec defíciant.

Confríngam illos, nec póterunt stare: * cadent subtus pedes meos.

Et præcinxísti me virtúte ad bellum: * et supplantásti insurgéntes in me subtus me.

Et inimícos meos dedísti mihi dorsum, * et odiéntes me disperdidísti.

Clamavérunt, nec erat qui salvos fáceret, ad Dóminum: * nec exaudívit eos.

Et commínuam eos, ut púlverem ante fáciem venti: * ut lutum plateárum delébo eos.

Erípies me de contradictiónibus pópuli: * constítues me in caput géntium.

Pópulus, quem non cognóvi, servívit mihi: * in audítu auris obedívit mihi.

Fílii aliéni mentíti sunt mihi: ℣. fílii aliéni inveteráti sunt, * et claudicavérunt a sémitis suis.

Vivit Dóminus, et benedíctus Deus meus, * et exaltétur Deus salútis meæ.

Deus, qui das vindíctas mihi, ℣ et subdis pópulos sub me, * liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: * a viro iníquo erípies me.

Proptérea confitébor tibi in natiónibus, Dómine: * et nómini tuo psalmum dicam.

Magníficans salútes Regis eius, ℣ et fáciens misericórdiam Christo suo David, * et sémini eius usque in sæculum.

Ant. Vivit Dóminus, et benedíctus Deus salútis meæ.

Ant. 7 Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis. †

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 19

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * † prótegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ eius.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini, Dei nostri, invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis.

Ant. 8 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex. †

Psalmus 20

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * † et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis eius tribuísti ei: * et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória eius in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes, qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Dómine, in virtúte tua lætábitur rex.

Ant. 9 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. †

Psalmus 29

Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: * † nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine, Deus meus, clamávi ad te, * et sanásti me.

Dómine, eduxísti ab inférno ánimam meam: * salvásti me a descendéntibus in lacum.

Psállite Dómino, sancti eius: * et confitémini memóriæ sanctitátis eius.

Quóniam ira in indignatióne eius: * et vita in voluntáte eius.

Ad vésperum demorábitur fletus: * et ad matutínum lætítia.

Ego autem dixi in abundántia mea: * Non movébor in ætérnum.

Dómine, in voluntáte tua, * præstitísti decóri meo virtútem.

Avertísti fáciem tuam a me, * et factus sum conturbátus.

Ad te, Dómine, clamábo: * et ad Deum meum deprecábor.

Quæ utílitas in sánguine meo, * dum descéndo in corruptiónem?

Numquid confitébitur tibi pulvis, * aut annuntiábit veritátem tuam?

Audívit Dóminus, et misértus est mei: * Dóminus factus est adiútor meus.

Convertísti planctum meum in gáudium mihi: * conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia:

Ut cantet tibi glória mea, et non compúngar: * Dómine, Deus meus, in ætérnum confitébor tibi.

Extra tempus paschale:

Ant. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me.

In Officio feriali per annum et tempore Septuagesimæ, necnon in festis extra tempus paschale:

℣. Psállite Dómino, sancti eius. ℟. Et confitémini memóriæ sanctitátis eius.

In Officio feriali tempore Adventus:

℣. Ex Sion spécies decóris eius. ℟. Deus noster maniféste véniet.

In Officio feriali tempore Nativitatis:

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

In Officio feriali tempore Epiphaniæ:

℣. Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum et Saba dona addúcent.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ:

℣. Dicet Dómino: Susceptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

In Officio feriali tempore Passionis:

℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Resurrectionis:

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Ascensionis:

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculi ante Laudes I

in Officio feriali

Tempore Nativitatis:

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

Tempore Epiphaniæ:

℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Resurrectionis:

℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In feriis per annum, extra vigilias occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, atque in festis quolibet anni tempore celebrandis.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sub qua sola antiphona Allelúia, in hac et aliis feriis, dicuntur omnes psalmi et canticum, a feria II post dominicam in albis usque ad vigíliam Pentecostes, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

Psalmus 46

Omnes gentes, pláudite mánibus: * iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis, * rex magnus super omnem terram.

Subiécit pópulos nobis * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam: * spéciem Iacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in iúbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite regi nostro, psáilite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham, * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Ant. 2 Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus.

Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus et Deus meus.

Ant. 3 Deus maiestátis intónuit: afférte glóriam nómini eius.

Psalmus 28

Afférte Dómino, fílii Dei: * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, ℣ afférte Dómino glóriam nómini eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Vox Dómini super aquas, ℣ Deus maiestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * et confrínget Dóminus cedros Líbani:

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani: * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: ℣ vox Dómini concutiéntis desértum: * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, ℣ et revelábit condénsa: * et in templo eius omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Deus maiestátis intónuit: afférte glóriam nómini eius.

Ant. 4 Laudámus nomen tuum ínclitum, Deus noster.

Canticum David

1 Par. 29, 10-13

Benedíctus es, Dómine, Deus Israël patris nostri, * ab ætérno in ætérnum.

Tua est, Dómine, magnificéntia, et poténtia, * et glória, atque victória:

Et tibi laus: * cuncta enim quæ in cælo sunt, et in terra, tua sunt:

Tuum, Dómine, regnum, * et tu es super omnes príncipes.

Tuæ divítiæ, et tua est glória: * tu domináris ómnium.

In manu tua virtus et poténtia: * in manu tua magnitúdo, et impérium ómnium.

Nunc ígitur, Deus noster, confitémur tibi, * et laudámus nomen tuum ínclitum.

Ant. Laudámus nomen tuum ínclitum, Deus noster.

Ant. 5 Laudáte Dóminum, omnes gentes. †

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * † laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Extra tempus paschale: Ant. Laudáte Dóminum, omnes gentes.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. Benedíctus Dóminus, Deus Israël, quia visitávit et liberávit nos.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 555.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In feriis Adventus, et a feria II post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam II Hebdomadæ sanctæ inclusive, necnon in vigíliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam. †

Feria II ante vigíliam Nativitatis Domini ac feria II Hebdomadæ sanctæ, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

† Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam.

Ant. 2 Deduc me in iustítia tua, Dómine.

2 Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * perdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣ linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes, qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Deduc me in iustítia tua, Dómine.

Ant. 3 Dóminus dabit virtútem et benedícet pópulo suo in pace.

3 Psalmus 28

Afférte Dómino, fílii Dei: * afférte Dómino fílios aríetum.

Afférte Dómino glóriam et honórem, ℣ afférte Dómino glóriam nómini eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Vox Dómini super aquas, ℣ Deus maiestátis intónuit: * Dóminus super aquas multas.

Vox Dómini in virtúte: * vox Dómini in magnificéntia.

Vox Dómini confringéntis cedros: * et confrínget Dóminus cedros Líbani:

Et commínuet eas tamquam vítulum Líbani: * et diléctus quemádmodum fílius unicórnium.

Vox Dómini intercidéntis flammam ignis: ℣ vox Dómini concutiéntis desértum: * et commovébit Dóminus desértum Cades.

Vox Dómini præparántis cervos, ℣ et revelábit condénsa: * et in templo eius omnes dicent glóriam.

Dóminus dilúvium inhabitáre facit: * et sedébit Dóminus Rex in ætérnum.

Dóminus virtútem pópulo suo dabit: * Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Ant. Dóminus dabit virtútem et benedícet pópulo suo in pace.

Ant. 4 Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

4 Canticum Isaiæ

Is. 12, 1-6

Confitébor tibi, Dómine, quóniam irátus es mihi: * convérsus est furor tuus, et consolátus es me.

Ecce Deus salvátor meus, * fiduciáliter agam, et non timébo:

Quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem.

Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris: * et dicétis in die illa: Confitémini Dómino, et invocáte nomen eius:

Notas fácite in pópulis adinventiónes eius: * mementóte quóniam excélsum est nomen eius.

Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit: * annuntiáte hoc in univérsa terra.

Exsúlta, et lauda, habitátio Sion: * quia magnus in médio tui Sanctus Israël.

Ant. Convérsus est furor tuus, Dómine, et consolátus es me.

Ant. 5 Laudáte Dóminum, quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius.

5 Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ant. Laudáte Dóminum, quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius.

Per annum capitulum, hymnus, versiculus et antiphona ad Benedictus ut in priori Laudum schemate 627.

Tempore Septuagesimæ capitulum, hymnus et versiculus ut in priori Laudum schemate 627; antiphona ad Benedictus ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.
Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.
Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.
Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale:
Ant. Innocens mánibus et mundo corde ascéndet in montem Dómini.

Antiphonæ dicendæ extra tempus paschale adhíbentur etiam in festis, quæ tempore Adventus, Quadragesimæ et Passionis celebrantur.

In Officio autem feriali tempore Adventus, Quadragesimæ a feria II post dominicam I, ac Passionis usque ad feriam IV Hebdomadæ sanctæ inclusive, ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam dicuntur antiphonæ ut in Psalterio hic et alibi apponuntur.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Antiphona Allelúia, in hac et aliis feriis, dicitur ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, a feria II post dominicam in albis usque ad vigíliam Pentecostes, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Psalmus 18, i

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Psalmus 18, ii

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus, * et redémptor meus.

Extra tempus paschale: Ant. Innocens mánibus et mundo corde ascéndet in montem Dómini.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes

ad déxteram Patris. Miserére nobis. Glória. Iesu Christe, Fili Dei vivi, miserére nobis.

℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra.

Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Illuminátio mea et salus mea Dóminus.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 26, i

Dóminus illuminátio mea et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum approp̀iant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ:

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum eius.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo eius hóstiam vociferatiónis: * cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Psalmus 26, ii

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: * miserére mei, et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ℣. exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adiútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus, et mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua: * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age: * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Psalmus 27

Ad te, Dómine, clamábo, ℣. Deus meus, ne síleas a me: * nequándo táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum.

Exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ dum oro ad te: * dum extóllo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatóribus: * et cum operántibus iniquitátem ne perdas me.

Qui loquúntur pacem cum próximo suo, * mala autem in córdibus eórum.

Da illis secúndum ópera eórum, * et secúndum nequítiam adinventiónum ipsórum.

Secúndum ópera mánuum eórum tríbue illis: * redde retributiónem eórum ipsis.

Quóniam non intellexérunt ópera Dómini, * et in ópera mánuum eius déstrues illos, et non ædificábis eos.

Benedíctus Dóminus: * quóniam exaudívit vocem deprecatiónis meæ.

Dóminus adiútor meus, et protéctor meus: * in ipso sperávit cor meum, et adiútus sum.

Et reflóruit caro mea: * et ex voluntáte mea confitébor ei.

Dóminus fortitúdo plebis suæ: * et protéctor salvatiónum Christi sui est.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, ℣. et bénedic hereditáti tuæ: * et rege eos, et extólle illos usque in ætérnum.

Extra tempus paschale: Ant. Illuminátio mea et salus mea Dóminus.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. In tua iustítia líbera me, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 30, i

In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in iustítia tua líbera me.

Inclína ad me aurem tuam, * accélera ut éruas me.

Esto mihi in Deum protectórem, ℣. et in domum refúgii: * ut salvum me fácias.

Quóniam fortitúdo mea, et refúgium meum es tu: * et propter nomen tuum dedúces me, et enútries me.

Edúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi: * quóniam tu es protéctor meus.

In manus tuas comméndo spíritum meum: * redemísti me, Dómine, Deus veritátis.

Odísti observántes vanitátes, * supervácue.

Ego autem in Dómino sperávi: * exsultábo, et lætábor in misericórdia tua.

Quóniam respexísti humilitátem meam, * salvásti de necessitátibus ánimam meam.

Nec conclusísti me in mánibus inimíci: * statuísti in loco spatióso pedes meos.

Psalmus 30, ii

Miserére mei, Dómine, quóniam tríbulor: * conturbátus est in ira óculus meus, ánima mea, et venter meus:

Quóniam defécit in dolóre vita mea: * et anni mei in gemítibus.

Infirmáta est in paupertáte virtus mea: * et ossa mea conturbáta sunt.

Super omnes inimícos meos factus sum oppróbrium et vicínis meis valde: * et timor notis meis.

Qui vidébant me, foras fugérunt a me: * oblivióni datus sum, tamquam mórtuus a corde.

Factus sum tamquam vas pérditum: * quóniam audívi vituperatiónem multórum commorántium in circúitu.

In eo dum convenírent simul advérsum me, * accípere ánimam meam consiliáti sunt.

Ego autem in te sperávi, Dómine: * dixi: Deus meus es tu: in mánibus tuis sortes meæ.

Eripe me de manu inimicórum meórum, * et a persequéntibus me.

Illústra fáciem tuam super servum tuum, ℣. salvum me fac in misericórdia tua: * Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Erubéscant ímpii, et deducántur in infernum: * muta fiant lábia dolósa.

Quæ loquúntur advérsus iustum iniquitátem, * in supérbia, et in abusióne.

Psalmus 30, iii

Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, * quam abscondísti timéntibus te.

Perfecísti eis, qui sperant in te, * in conspéctu filiórum hóminum.

Abscóndes eos in abscóndito faciéi tuæ * a conturbatióne hóminum.

Próteges eos in tabernáculo tuo * a contradictióne linguárum.

Benedíctus Dóminus: * quóniam mirificávit misericórdiam suam mihi in civitáte munita.

Ego autem dixi in excéssu mentis meæ: * Proiéctus sum a fácie oculórum tuórum.

Ideo exaudísti vocem oratiónis meæ, * dum clamárem ad te.

Dilígite Dóminum, omnes sancti eius: * quóniam veritátem requíret Dóminus, et retríbuet abundánter faciéntibus supérbiam.

Viríliter ágite, et confortétur cor vestrum,* omnes, qui sperátis in Dómino.

Extra tempus paschale: Ant. In tua iustítia líbera me, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alteríus ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Exsultáte, iusti, et gloriámini, omnes recti corde.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 31

Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes: * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu eius dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * et iniustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me iniustítiam meam Dómino: * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exsultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, ℣. et ínstruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus; * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, * et gloriámini, omnes recti corde.

Psalmus 32, i

Exsultáte, iusti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera eius in fide.

Díligit misericórdiam et iudícium: * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt: * et spíritu oris eius omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abýssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus díssipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum, et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis eius in generatióne et generatiónem.

Psalmus 32, ii

Beáta gens, cuius est Dóminus, Deus eius: * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes, qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem: * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum: * et in eis, qui sperant super misericórdia eius:

Ut éruat a morte ánimas eórum: * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum: * quóniam adiútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum: * et in nómine sancto eius sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos: * quemádmodum sperávimus in te.

Extra tempus paschale: Ant. Exsultáte, iusti, et gloriámini, omnes recti corde.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Sub qua sola antiphona Allelúia, in hac et aliis feriis, dicuntur omnes psalmi, a feria II post dominicam in albis usque ad feriam VI ante vigiliam Pentecostes, in Officio tam de Tempore quam de Sanctis.

Psalmus 114

Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi: * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni: * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * miséricors Dóminus, et iustus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum, et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam: * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Inclinávit Dóminus aurem suam mihi.

Ant. 2 Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Ant. Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius.

Ant. 3 Clamávi, et Dóminus exaudívit me.

Psalmus 119

Ad Dóminum cum tribulárer clamávi: * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi, aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ, * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his, qui odérunt pacem, eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Clamávi, et Dóminus exaudívit me.

Ant. 4 Auxílium meum a Dómino, qui fecit cælum et terram.

Psalmus 120

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum, et éxitum tuum: * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Ant. Auxílium meum a Dómino, qui fecit cælum et terram.

Ant. 5 Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi. †

Psalmus 121

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * † In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri, * in átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cuius participátio eius in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem: * et abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos, et próximos meos, * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini, Dei nostri, * quæsívi bona tibi.

Extra tempus paschale: Ant. Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem:

Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpisílligat.

Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Per annum

Ad Magnif. ant. Magnificat ánima mea Dóminum, quia respéxit Deus humilitátem meam.

Tempore Septuagesimæ antiphona ad Magnificat ut in Officio de Tempore.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Salvum me fac, Dómine, propter misericórdiam tuam.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Antiphona Allelúia, in hac et aliis feriis, dicitur a sabbato in albis usque ad feriam VI ante vigiliam Pentecostes.

Psalmus 6

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, ℣ lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Psalmus 7, i

Dómine, Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me, et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine, Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis iánis.

Persequátur inimícus ánimam meam et comprehéndat, ℣ et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine, Deus meus, in præcépto quod mandásti: * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus iúdicat pópulos.

Iúdica me, Dómine, secúndum iustítiam meam, * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges iustum, * scrutans corda et renes, Deus.

Psalmus 7, ii

Iustum adiutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis et pátiens: * numquid irascitur per síngulos dies?
Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit, et parávit illum.
Et in eo parávit vasa mortis: * sagíttas suas ardéntibus effécit.
Ecce partúriit iniustítiam: * concépit dolórem, et péperit iniquitátem.
Lacum apéruit, et effódit eum: * et incidit in fóveam quam fecit.
Convertétur dolor eius in caput eius: * et in vérticem ipsíus iníquitas eius descéndet.
Confitébor Dómino secúndum iustítiam eius: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Extra tempus paschale: Ant. Salvum me fac, Dómine, propter misericórdiam tuam.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

FERIA TERTIA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur feria III per annum, tempore Septuagesimæ et Quadragesimæ.

Invit. Iubilémus Deo, * Salutári nostro.

Ps. 94 Veníte 549.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale: Ant. 1 Expúgna, Dómine, impugnántes me.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 34, i

Iúdica, Dómine, nocéntes me, * expúgna impugnántes me.
Apprehénde arma et scutum: * et exsúrge in adiutórium mihi.
Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me: * dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.
Confundántur et revereántur, * quæréntes ánimam meam.
Avertántur retrórsum, et confundántur * cogitántes mihi mala.
Fiant tamquam pulvis ante fáciem venti: * et Angelus Dómini coárctans eos.
Fiat via illórum ténebræ et lúbricum: * et Angelus Dómini pérsequens eos.
Quóniam gratis abscondérunt mihi intéritum láquei sui: * supervácue exprobravérunt ánimam meam.
Véniat illi láqueus, quem ignórat: ℣ et cáptio, quam abscóndit, apprehéndat eum: * et in láqueum cadat in ipsum.
Anima autem mea exsultábit in Dómino: * et delectábitur super salutári suo.
Omnia ossa mea dicent: * Dómine, quis símilis tibi?
Erípiens ínopem de manu fortiórum eius: * egénum et páuperem a diripiéntibus eum.

Ant. Expúgna, Dómine, impugnántes me.

Ant. 2 Restítue ánimam meam a malefáctis eórum, Dómine.

Psalmus 34, ii

Surgéntes testes iníqui, * quæ ignorábam interrogábant me.
Retribuébant mihi mala pro bonis: * sterilitátem ánimæ meæ.
Ego autem cum mihi molésti essent, * induébar cilício.
Humiliábam in ieiúnio ánimam meam: * et orátio mea in sinu meo convertétur.
Quasi próximum, et quasi fratrem nostrum, sic complacébam: * quasi lugens et contristátus, sic humiliábar.
Et advérsum me lætáti sunt, et convenérunt: * congregáta sunt super me flagélla, et ignorávi.

Dissipáti sunt, nec compúncti, ℣ tentavérunt me, subsannavérunt me subsannatióne: * frenduérunt super me déntibus suis.

Dómine, quando respícies? * restítue ánimam meam a malignitáte eórum, a leónibus únicam meam.

Ant. Restítue ánimam meam a malefáctis eórum, Dómine.

Ant. 3 Exsúrge, Dómine, et inténde iudício meo.

Psalmus 34, iii

Confitébor tibi in eccléSia magna, * in pópulo gravi laudábo te.

Non supergáudeant mihi qui adversántur mihi iníque: * qui odérunt me gratis et ánnuunt óculis.

Quóniam mihi quidem pacífice loquebántur: * et in iracúndia terræ loquéntes, dolos cogitábant.

Et dilatavérunt super me os suum: * dixérunt: Euge, euge, vidérunt óculi nostri.

Vidísti, Dómine, ne síleas: * Dómine, ne discédas a me.

Exsúrge et inténde iudício meo: * Deus meus, et Dóminus meus in causam meam.

Iúdica me secúndum iustítiam tuam, Dómine, Deus meus, * et non supergáudeant mihi.

Non dicant in córdibus suis: Euge, euge, ánimæ nostræ: * nec dicant: Devorávimus eum.

Erubéscant et revereántur simul, * qui gratulántur malis meis.

Induántur confusióne et reveréntia * qui magna loquúntur super me.

Exsúltent et læténtur qui volunt iustítiam meam: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui volunt pacem servi eius.

Et lingua mea meditábitur iustítiam tuam, * tota die laudem tuam.

Ant. Exsúrge, Dómine, et inténde iudício meo.

Ant. 4 Noli æmulári in eo qui prosperátur et facit iniquitátem.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 36, i

Noli æmulári in malignántibus: * neque zeláveris faciéntes iniquitátem.

Quóniam tamquam fenum velóciter aréscent: * et quemádmodum ólera herbárum cito décident.

Spera in Dómino, et fac bonitátem: * et inhábita terram, et pascéris in divítiis eius.

Delectáre in Dómino: * et dabit tibi petitiónes cordis tui.

Revéla Dómino viam tuam, et spera in eo: * et ipse fáciet.

Et edúcet quasi lumen iustítiam tuam: ℣ et iudícium tuum tamquam merídiem: * súbditus esto Dómino, et ora eum.

Noli æmulári in eo qui prosperátur in via sua: * in hómine faciénte iniustítias.

Désine ab ira, et derelínque furórem: * noli æmulári ut malignéris.

Quóniam qui malignántur, exterminabúntur: * sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

Et adhuc pusíllum, et non erit peccátor: * et quæres locum eius, et non invénies.

Mansuéti autem hereditábunt terram: * et delectabúntur in multitúdine pacis.

Observábit peccátor iustum: * et stridébit super eum déntibus suis.

Dóminus autem irridébit eum: * quóniam próspicit quod véniet dies eius.

Gládium evaginavérunt peccatóres: * intendérunt arcum suum,

Ut deíciant páuperem et ínopem: * ut trucident rectos corde.

Gládius eórum intret in corda ipsórum: * et arcus eórum confringátur.

Ant. Noli æmulári in eo qui prosperátur et facit iniquitátem.

Ant. 5 Bráchia peccatórum conteréntur: confírmat autem iustos Dóminus.

Psalmus 36, ii

Mélius est módicum iusto, * super divítias peccatórum multas.

Quóniam bráchia peccatórum conteréntur: * confírmat autem iustos Dóminus.

Novit Dóminus dies immaculatórum: * et heréditas eórum in ætérnum erit.

Non confundéntur in témpore malo, ℣ et in diébus famis saturabúntur: * quia peccatóres períbunt.

Inimíci vero Dómini mox ut honorificáti fúerint et exaltáti: * deficiéntes, quemádmodum fumus deficient.

Mutuábitur peccátor, et non solvet: * iustus autem miserétur et tríbuet.

Quia benedicéntes ei hereditábunt terram: * maledicéntes autem ei disperíbunt.

Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur: * et viam eius volet.

Cum cecíderit, non collidétur: * quia Dóminus suppónit manum suam.

Iúnior fui, étenim sénui: * et non vidi iustum derelíctum, nec semen eius quærens panem.

Tota die miserétur et cómmodat: * et semen illíus in benedictióne erit.

Declína a malo, et fac bonum: * et inhábita in sæculum sæculi.

Quia Dóminus amat iudícium, ℣ et non derelínquet sanctos suos: * in ætérnum conservabúntur.

Iniústi puniéntur: * et semen impiórum períbit.

Iusti autem hereditábunt terram: * et inhabitábunt in sæculum sæculi super eam.

Ant. Bráchia peccatórum conteréntur: confírmat autem iustos Dóminus.

Ant. 6 Custódi innocéntiam, et vide æquitátem.

Psalmus 36, iii

Os iusti meditábitur sapiéntiam, * et lingua eius loquétur iudícium.

Lex Dei eius in corde ipsíus: * et non supplantabúntur gressus eius.

Considerat peccátor iustum, * et quærit mortificáre eum.

Dóminus autem non derelínquet eum in mánibus eius: * nec damnábit eum, cum iudicábitur illi.

Exspécta Dóminum, et custódi viam eius: ℣ et exaltábit te ut hereditáte cápias terram: * cum perírerint peccatóres vidébis.

Vidi ímpium superexaltátum, * et elevátum sicut cedros Líbani.

Et transívi, et ecce non erat: * et quæsívi eum, et non est invéntus locus eius.

Custódi innocéntiam, et vide æquitátem: * quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Iniústi autem disperíbunt simul: * relíquiæ impiórum interíbunt.

Salus autem iustórum a Dómino: * et protéctor eórum in témpore tribulatiónis.

Et adiuvábit eos Dóminus et liberábit eos: ℣ et éruet eos a peccatóribus, * et salvábit eos: quia speravérunt in eo.

Ant. Custódi innocéntiam, et vide æquitátem.

Ant. 7 Ne in ira tua corrípias me, Dómine.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 37, i

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ, * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum, et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impleti sunt illusiónibus: * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum, et humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * et lumen oculórum meórum, et ipsum non est mecum.

Ant. Ne in ira tua corrípias me, Dómine.

Ant. 8 Inténde in adiutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus 37, ii

Amíci mei, et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt, et stetérunt.

Et qui iuxta me erant, de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine, Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * et dum commovéntur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt, et confirmáti sunt super me: * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adiutórium meum, * Dómine, Deus salútis meæ.

Ant. Inténde in adiutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ.

Ant. 9 Amove, Dómine, a me plagas tuas.

Psalmus 38

Dixi: Custódiam vias meas: * ut non delínquam in lingua mea.

Pósui ori meo custódiam, * cum consísteret peccátor advérsum me.

Obmútui, et humiliátus sum, et sílui a bonis: * et dolor meus renovátus est.

Concáluit cor meum intra me: * et in meditatióne mea exardéscet ignis.

Locútus sum in lingua mea: * Notum fac mihi, Dómine, finem meum,

Et númerum diérum meórum quis est: * ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurábiles posuísti dies meos: * et substántia mea tamquam níhilum ante te.

Verúmtamen univérsa vánitas, * omnis homo vivens.

Verúmtamen in imágine pertránsit homo: * sed et frustra conturbátur.

Thesaurízat: * et ignórat cui congregábit ea.

Et nunc quæ est exspectátio mea? Nonne Dóminus? * Et substántia mea apud te est.

Ab ómnibus iniquitátibus meis érue me: * oppróbrium insipiénti dedísti me.

Obmútui, et non apérui os meum, quóniam tu fecísti: * ámove a me plagas tuas.

A fortitúdine manus tuæ ego deféci in increpatiónibus: * propter iniquitátem corripuísti hóminem.

Et tabéscere fecísti sicut aráneam ánimam eius: * verúmtamen vane conturbátur omnis homo.

Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam: * áuribus pércipe lácrimas meas.

Ne síleas: quóniam ádvena ego sum apud te et peregrínus, * sicut omnes patres mei.

Remítte mihi, ut refrígerer priúsquam ábeam, * et ámplius non ero.

Extra tempus paschale:

Ant. Amove, Dómine, a me plagas tuas.

In Officio feriali per annum et tempore Septuagesimæ, necnon in festis extra tempus paschale:

℣. Deus, ne síleas a me, remítte mihi. ℟. Quóniam íncola ego sum apud te, et peregrínus.

In Officio feriali tempore Adventus:

℣. Egrediétur virga de radíce Iesse. ℟. Et flos de radíce eius ascéndet.

In Officio feriali tempore Nativitatis:

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

In Officio feriali tempore Epiphaniæ:

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ:

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

In Officio feriali tempore Passionis:

℣. De ore leónis líbera me, Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Ascensionis:

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculi ante Laudes I

in Officio feriali

Tempore Nativitatis:

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

Tempore Epiphaniæ:

℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Resurrectionis:

℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra lætántur, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In feriis per annum, extra vigilias occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, atque in festis quolibet anni tempore celebrandis.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Cantáte Dómino, et benedícite nómini eius.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino, et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio, et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias, et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli, et exsúltet terra: ℣ commoveátur mare, et plenitúdo eius: * gaudébunt campi, et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte, * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Cantáte Dómino, et benedícite nómini eius.

Ant. 2 Salutáre vultus mei Deus meus.

Psalmus 42

Iúdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Salutáre vultus mei Deus meus.

Ant. 3 Illúmina, Dómine, vultum tuum super nos.

Psalmus 66

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes: ℣ quóniam iúdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, ℣ confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus: * et métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Illúmina, Dómine, vultum tuum super nos.

Ant. 4 Exaltáte Regem sæculórum in opéribus vestris.

Canticum Tobiæ
Tob. 13, 1-10

Magnus es, Dómine, in ætérnum, * et in ómnia sæcula regnum tuum:

Quóniam tu flagéllas, et salvas: ℣ dedúcis ad ínferos, et redúcis: * et non est qui effúgiat manum tuam.

Confitémini Dómino, fílii Israël, * et in conspéctu géntium laudáte eum:

Quóniam ídeo dispérsit vos inter gentes, quæ ignórant eum, * ut vos enarrétis mirabília eius,

Et faciátis scire eos, * quia non est álius Deus omnípotens præter eum.

Ipse castigávit nos propter iniquitátes nostras: * et ipse salvábit nos propter misericórdiam suam.

Aspícite ergo quæ fecit nobíscum, ℣ et cum timóre et tremóre confitémini illi: * Regémque sæculórum exaltáte in opéribus vestris.

Ego autem in terra captivitátis meæ confitébor illi: * quóniam osténdit maiestátem suam in gentem peccatrícem.

Convertímini ítaque, peccatóres, ℣ et fácite iustítiam coram Deo, * credéntes quod fáciat vobíscum misericórdiam suam:

Ego autem, et ánima mea * in eo lætábimur.

Benedícite Dóminum, omnes elécti eius: * ágite dies lætítiæ, et confitémini illi.

Ant. Exaltáte Regem sæculórum in opéribus vestris.

Ant. 5 Laudáte nomen Dómini, qui statis in domo Dómini.

Psalmus 134

Laudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus: * psállite nómini eius, quóniam suáve.

Quóniam Iacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus, * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abýssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ: * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægýpti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui, Ægýpte: * in Pharaónem, et in omnes servos eius.

Qui percússit gentes multas: * et occídit reges fortes:

Sehon, regem Amorrhæórum, ℣ et Og, regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël, pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia iudicábit Dóminus pópulum suum: * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Ierúsalem.

Extra tempus paschale: Ant. Laudáte nomen Dómini, qui statis in domo Dómini.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. Eréxit nobis Dóminus cornu salútis in domo David, púeri sui.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 555.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In feriis Adventus, et a feria III post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam III Hebdomadæ sanctæ inclusive, necnon in vigiliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Dele iniquitátem meam, Dómine, secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum.

Feria III ante vigiliam Nativitatis Domini ac feria III Hebdomadæ sanctæ, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Dele iniquitátem meam, Dómine, secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum.

Ant. 2 Discérne causam meam, Deus, de gente non sancta.

2 Psalmus 42

Iúdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta, * ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: * quare me repulísti? et quare tristis incédo, dum afflígit me inimícus?

Emítte lucem tuam et veritátem tuam: * ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

Et introíbo ad altáre Dei: * ad Deum, qui lætíficat iuventútem meam.

Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Ant. Discérne causam meam, Deus, de gente non sancta.

Ant. 3 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis. †

3 Psalmus 66

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: * † illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam, * in ómnibus géntibus salutáre tuum.

Confiteántur tibi pópuli, Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Læténtur et exsúltent gentes: ℣ quóniam iúdicas pópulos in æquitáte, * et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli, Deus, ℣ confiteántur tibi pópuli omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, ℣ benedícat nos Deus: * et métuant eum omnes fines terræ.

Ant. Deus misereátur nostri, et benedícat nobis.

Ant. 4 Corrípies me, Dómine, et vivificábis me.

4 Canticum Ezechiæ
Is. 38, 10-20

Ego dixi: In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra * et habitatórem quiétis.

Generátio mea abláta est, et convolúta est a me, * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte, vita mea: ℣ dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea:

De mane usque ad vésperam fínies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba:

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum:

Dómine, vim pátior, ℣ respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, ℣ corrípies me, et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima:

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret: * proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, ℣ neque mors laudábit te: * non exspectábunt qui descéndunt in lacum, veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. Corrípies me, Dómine, et vivificábis me.

Ant. 5 Laudáte Dóminum, quia benígnus est, et in servis suis deprecábitur.

5 Psalmus 134

Laudáte nomen Dómini, * laudáte, servi, Dóminum.

Qui statis in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri.

Laudáte Dóminum, quia bonus Dóminus: * psállite nómini eius, quóniam suáve.

Quóniam Iacob elégit sibi Dóminus, * Israël in possessiónem sibi.

Quia ego cognóvi quod magnus est Dóminus: * et Deus noster præ ómnibus diis.

Omnia quæcúmque vóluit, Dóminus fecit in cælo, et in terra, * in mari, et in ómnibus abýssis.

Edúcens nubes ab extrémo terræ: * fúlgura in plúviam fecit.

Qui prodúcit ventos de thesáuris suis: * qui percússit primogénita Ægýpti ab hómine usque ad pecus.

Et misit signa, et prodígia in médio tui, Ægýpte: * in Pharaónem, et in omnes servos eius.

Qui percússit gentes multas: * et occídit reges fortes:

Sehon, regem Amorrhæórum, ℣ et Og, regem Basan, * et ómnia regna Chánaan.

Et dedit terram eórum hereditátem, * hereditátem Israël pópulo suo.

Dómine, nomen tuum in ætérnum: * Dómine, memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Quia iudicábit Dóminus pópulum suum: * et in servis suis deprecábitur.

Simulácra géntium argéntum, et aurum, * ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquéntur: * óculos habent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient: * neque enim est spíritus in ore ipsórum.

Símiles illis fiant qui fáciunt ea: * et omnes qui confídunt in eis.

Domus Israël, benedícite Dómino: * domus Aaron, benedícite Dómino.

Domus Levi, benedícite Dómino: * qui timétis Dóminum, benedícite Dómino.

Benedíctus Dóminus ex Sion, * qui hábitat in Ierúsalem.

Ant. Laudáte Dóminum, quia benígnus est, et in servis suis deprecábitur.

Per annum capitulum, hymnus, versiculus et antiphona ad Benedictus ut in priori Laudum schemate 657.

Tempore Septuagesimæ capitulum, hymnus et versiculus ut in priori Laudum schemate 657; antiphona ad Benedictus ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.
Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 24, i

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi, qui sústinent te, non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua, et doce me: * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta iuventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dómine.

Psalmus 24, ii

Dulcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in iudício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum eius et testimónia eius.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima eius in bonis demorábitur: * et semen eius hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Psalmus 24, iii

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me, et miserére mei: * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam, et labórem meum: * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam, et érue me: * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël, * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Extra tempus paschale: Ant. Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére. Glória. Iesu Christe. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra.

Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur: Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale:

Ant. Respéxit me, et exaudívit deprecatiónem meam Dóminus.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 39, i

Exspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * et edúxit me de lacu misériæ, et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi, et timébunt: * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir, cuius est nomen Dómini spes eius: * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine, Deus meus, mirabília tua: * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super número.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Psalmus 39, ii

Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei: * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adiuvándum me réspice.

Psalmus 39, iii

Confundántur et revereántur simul, qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum, et revereántur, * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adiútor meus, et protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Extra tempus paschale:

Ant. Respéxit me, et exaudívit deprecatiónem meam Dóminus.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Suscepísti me, Dómine: et confirmásti me in conspéctu tuo.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 40

Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem; * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, ℣. et beátum fáciat eum in terra: * et non tradat eum in ánimam inimicórum eius.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris eius: * univérsum stratum eius versásti in infirmitáte eius.

Ego dixi: Dómine, miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur, et períbit nomen eius?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor eius congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me: * Numquid qui dormit non adíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei et resúscita me: * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum: * fiat, fiat.

Psalmus 41, i

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam, et appárebo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum, et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis, et confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Psalmus 41, ii

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * propterea memor ero tui de terra Iordánis, et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua, et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam: * et nocte cánticum eius.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei, et Deus meus.

Extra tempus paschale: Ant. Suscepísti me, Dómine: et confirmásti me in conspéctu tuo.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Salvásti nos, Dómine: et in nómine tuo confitébimur in sæcula.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus

nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 43, i

Deus, áuribus nostris audívimus: * patres nostri annuntiavérunt nobis

Opus, quod operátus es in diébus eórum, * et in diébus antíquis.

Manus tua gentes dispérdidit, et plantásti eos: * afflixísti pópulos, et expulísti eos.

Nec enim in gládio suo possedérunt terram, * et bráchium eórum non salvávit eos:

Sed déxtera tua, et bráchium tuum, et illuminátio vultus tui: * quóniam complacuísti in eis.

Tu es ipse Rex meus et Deus meus: * qui mandas salútes Iacob.

In te inimícos nostros ventilábimus cornu: * et in nómine tuo spernémus insurgéntes in nobis.

Non enim in arcu meo sperábo: * et gládius meus non salvábit me.

Salvásti enim nos de affligéntibus nos: * et odiéntes nos confudísti.

In Deo laudábimur tota die: * et in nómine tuo confitébimur in sæculum.

Psalmus 43, ii

Nunc autem repulísti et confudísti nos: * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris.

Avertísti nos retrórsum post inimícos nostros: * et qui odérunt nos, diripiébant sibi.

Dedísti nos tamquam oves escárum: * et in géntibus dispersísti nos.

Vendidísti pópulum tuum sine prétio: * et non fuit multitúdo in commutatiónibus eórum.

Posuísti nos oppróbrium vicínis nostris, * subsannatiónem et derísum his, qui sunt in circúitu nostro.

Posuísti nos in similitúdinem géntibus: * commotiónem cápitis in pópulis.

Tota die verecúndia mea contra me est, * et confúsio faciéi meæ coopéruit me.

A voce exprobrántis, et obloquéntis: * a fácie inimíci, et persequéntis.

Hæc ómnia venérunt super nos, nec oblíti sumus te: * et iníque non égimus in testaménto tuo.

Et non recéssit retro cor nostrum: * et declinásti sémitas nostras a via tua:

Quóniam humiliásti nos in loco afflictiónis, * et coopéruit nos umbra mortis.

Psalmus 43, iii

Si oblíti sumus nomen Dei nostri, * et si expándimus manus nostras ad deum aliénum:

Nonne Deus requíret ista? * ipse enim novit abscóndita cordis.

Quóniam propter te mortificámur tota die: * æstimáti sumus sicut oves occisiónis.

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? * exsúrge, et ne repéllas in finem.

Quare fáciem tuam avértis, * oblivísceris inópiæ nostræ, et tribulatiónis nostræ?

Quóniam humiliáta est in púlvere ánima nostra: * conglutinátus est in terra venter noster.

Exsúrge, Dómine, ádiuva nos: * et rédime nos propter nomen tuum.

Extra tempus paschale: Ant. Salvásti nos, Dómine: et in nómine tuo confitébimur in sæcula.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in eclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 122

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum * in mánibus dominórum suórum,

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum, Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne:

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Ant. Qui hábitas in cælis, miserére nobis.

Ant. 2 Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Psalmus 123

Nisi quia Dóminus erat in nobis, dicat nunc Israël: * nisi quia Dóminus erat in nobis,

Cum exsúrgerent hómines in nos, * forte vivos deglutíssent nos:

Cum irascerétur furor eórum in nos, * fórsitan aqua absorbuísset nos.

Torréntem pertransívit ánima nostra: * fórsitan pertransísset ánima nostra aquam intolerábilem.

Benedíctus Dóminus * qui non dedit nos in captiónem déntibus eórum.

Anima nostra sicut passer erépta est * de láqueo venántium:

Láqueus contrítus est, * et nos liberáti sumus.

Adiutórium nostrum in nómine Dómini, * qui fecit cælum et terram.

Ant. Adiutórium nostrum in nómine Dómini.

Ant. 3 In circúitu pópuli sui Dóminus, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Psalmus 124

Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: * non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Ierúsalem.

Montes in circúitu eius: * et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Quia non relínquet Dóminus virgam peccatórum super sortem iustórum: * ut non exténdant iusti ad iniquitátem manus suas.

Bénefac, Dómine, bonis, * et rectis corde.

Declinántes autem in obligatiónes addúcet Dóminus cum operántibus iniquitátem: * pax super Israël.

Ant. In circúitu pópuli sui Dóminus, ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. 4 Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: facti sumus lætántes.

Psalmus 125

In converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: facti sumus lætántes.

Ant. 5 Dóminus ædíficet nobis domum, et custódiat civitátem.

Psalmus 126

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces, fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Extra tempus paschale: Ant. Dóminus ædíficet nobis domum, et custódiat civitátem.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem:

Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.

Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Per annum

Ad Magnif. ant. Exsultávit spíritus meus in Deo, salutári meo.

Tempore Septuagesimæ antiphona ad Magnificat ut in Officio de Tempore.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos in ætérnum.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 11

Salvum me fac, Dómine, quóniam defécit sanctus, * quóniam diminútæ sunt veritátes a fíliis hóminum.

Vana locúti sunt unusquísque ad próximum suum: * lábia dolósa, in corde et corde locúti sunt.

Dispérdat Dóminus univérsa lábia dolósa * et linguam magníloquam.

Qui dixérunt: Linguam nostram magnificábimus, * lábia nostra a nobis sunt, * quis noster Dóminus est?

Propter misériam ínopum et gémitum páuperum, * nunc exsúrgam, dicit Dóminus.

Ponam in salutári: * fiduciáliter agam in eo.

Elóquia Dómini, elóquia casta: * argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos * a generatióne hac in ætérnum.

In circúitu ímpii ámbulant: * secúndum altitúdinem tuam multiplicásti fílios hóminum.

Psalmus 12

Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem? * úsquequo avértis fáciem tuam a me?

Quámdiu ponam consília in ánima mea, * dolórem in corde meo per diem?

Usquequo exaltábitur inimícus meus super me? * réspice, et exáudi me, Dómine Deus meus.

Illúmina óculos meos ne umquam obdórmiam in morte: * nequándo dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Qui tríbulant me, exsultábunt si motus fúero: * ego autem in misericórdia tua sperávi.

Exsultábit cor meum in salutári tuo: ℣ cantábo Dómino qui bona tríbuit mihi: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Psalmus 15

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Extra tempus paschale: Ant. Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos in ætérnum.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

FERIA QUARTA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur feria IV per annum, tempore Septuagesimæ et Quadragesimæ.

Invit. Deum magnum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte 549.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale: Ant. 1 Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 44, 1

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea Regi.

Lingua mea cálamus scribæ, * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem, et mansuetúdinem, et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam, et odísti iniquitátem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha, et gutta, et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Ant. Speciósus forma præ fíliis hóminum, diffúsa est grátia in lábiis tuis.

Ant. 2 Confitebúntur tibi pópuli, Deus, in ætérnum.

Psalmus 44, ii

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui.

Et concupíscet Rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus, Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus * vultum tuum deprecabúntur: omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ Regis ab intus, * in fímbriis áureis circumamícta varietátibus.

Adducéntur Regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum Regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui: * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum: * et in sæculum sæculi.

Ant. Confitebúntur tibi pópuli, Deus, in ætérnum.

Ant. 3 Adiútor in tribulatiónibus Deus noster.

Psalmus 45

Deus noster refúgium, et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt, et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes, et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret, et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus, et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Adiútor in tribulatiónibus Deus noster.

Ant. 4 Magnus Dóminus et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri. †

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 47

Magnus Dóminus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, † in monte sancto eius.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus eius cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam, * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * iustítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion, et exsúltent fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion, et complectímini eam: * narráte in túrribus eius.

Pónite corda vestra in virtúte eius: * et distribúite domos eius, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum, et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Magnus Dóminus et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri.

Ant. 5 Os meum loquétur sapiéntiam: et meditátio cordis mei prudéntiam.

Psalmus 48, i

Audíte hæc, omnes gentes: * áuribus percípite omnes, qui habitátis orbem:

Quique terrígenæ, et fílii hóminum: * simul in unum dives et pauper.

Os meum loquétur sapiéntiam: * et meditátio cordis mei prudéntiam.

Inclinábo in parábolam aurem meam: * apériam in psaltério propositiónem meam.

Cur timébo in die mala? * iníquitas calcánei mei circúmdabit me:

Qui confídunt in virtúte sua: * et in multitúdine divitiárum suárum gloriántur.

Frater non rédimit, ꝛ rédimet homo: * non dabit Deo placatiónem suam.

Et prétium redemptiónis ánimæ suæ: * et laborábit in ætérnum, et vivet adhuc in finem.

Non vidébit intéritum, cum víderit sapiéntes moriéntes: * simul insípiens, et stultus períbunt.

Et relínquent aliénis divítias suas: * et sepúlcra eórum domus illórum in ætérnum.

Tabernácula eórum in progénie et progénie: * vocavérunt nómina sua in terris suis.

Et homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est iuméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Os meum loquétur sapiéntiam: et meditátio cordis mei prudéntiam.

Ant. 6 Ne timúeris: cum dívite non descéndet in sepúlcrum glória eius.

Psalmus 48, ii

Hæc via illórum scándalum ipsis: * et póstea in ore suo complacébunt.

Sicut oves in inférno pósiti sunt: * mors depáscet eos.

Et dominabúntur eórum iusti in matutíno: * et auxílium eórum veterásceat in inférno a glória eórum.

Verúmtamen Deus rédimet ánimam meam de manu ínferi, * cum accéperit me.

Ne timúeris, cum dives factus fúerit homo: * et cum multiplicáta fúerit glória domus eius.

Quóniam cum interíerit, non sumet ómnia: * neque descéndet cum eo glória eius.

Quia ánima eius in vita ipsíus benedicétur: * confitébitur tibi cum benefeceris ei.

Introíbit usque in progénies patrum suórum: * et usque in ætérnum non vidébit lumen.

Homo, cum in honóre esset, non intelléxit: * comparátus est iuméntis insipiéntibus, et símilis factus est illis.

Ant. Ne timúeris: cum dívite non descéndet in sepúlcrum glória eius.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

1

In feriis per annum, extra vigilias et Quatuor Tempora septembris occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, in vigiliis Nativitatis Domini et Ascensionis, et in festis quolibet anni tempore celebrandis, cum ad Laudes non dicitur psalmus 50 Miserére.

Extra tempus paschale:

Ant. 7 Deus deórum, Dóminus locútus est. †

Tempore paschali:

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 49, i

Deus deórum, Dóminus locútus est: * † et vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris eius.

Deus maniféste véniet: * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu eius exardéscet: * et in circúitu eius tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum: * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos eius: * qui órdinant testaméntum eius super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli iustítiam eius: * quóniam Deus iudex est.

Audi, pópulus meus, et loquar: ꝛ Israël, et testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos: * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * iuménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli: * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo eius.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, et honorificábis me.

Ant. Deus deórum, Dóminus locútus est.

Ant. 8 Intellígite, qui obliviscímini Deum.

Psalmus 49, ii

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu enárras iustítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam: * et proiecísti sermónes meos retrórsum:

Si vidébas furem, currébas cum eo: * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia: * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, ℣. et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti, iníque, quod ero tui símilis: * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum: * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Intellígite, qui obliviscímini Deum.

Ant. 9 Acceptábis sacrifícium iustítiæ super altáre tuum, Dómine.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta

sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Extra tempus paschale:

Ant. Acceptábis sacrifícium iustítiæ super altáre tuum, Dómine.

In Officio feriali per annum, necnon in festis extra tempus paschale:

℣. Audítui meo dabis gáudium et lætítiam. ℟. Et exsultábunt ossa humiliáta.

In Officio feriali tempore Nativitatis:

℣. Ipse invocábit me. ℟. Pater meus es tu.

In Officio feriali tempore Epiphaniæ:

℣. Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi. ℟. Psalmum dicat nómini tuo.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Ascensionis:

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. ℟. Captívam duxit captivitátem, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

2

In feriis Adventus, et a feria IV post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam IV Hebdomadæ sanctæ inclusive, necnon in Quatuor Temporibus septembris et vigíliis II et III classis extra tempus paschale, cum ad Laudes dicitur psalmus 50 Miserére.

Ant. 7 Deus deórum, Dóminus locútus est. †

Psalmus 49, i

Deus deórum, Dóminus locútus est: * † et vocávit terram.

A solis ortu usque ad occásum: * ex Sion spécies decóris eius.

Deus maniféste véniet: * Deus noster et non silébit.

Ignis in conspéctu eius exardéscet: * et in circúitu eius tempéstas válida.

Advocábit cælum desúrsum: * et terram discérnere pópulum suum.

Congregáte illi sanctos eius: * qui órdinant testaméntum eius super sacrifícia.

Et annuntiábunt cæli iustítiam eius: * quóniam Deus iudex est.

Ant. Deus deórum, Dóminus locútus est.

Ant. 8 Immola Deo sacrifícium laudis.

Psalmus 49, ii

Audi, pópulus meus, et loquar: ℣ Israël, et testificábor tibi: * Deus, Deus tuus ego sum.

Non in sacrifíciis tuis árguam te: * holocáusta autem tua in conspéctu meo sunt semper.

Non accípiam de domo tua vítulos: * neque de grégibus tuis hircos.

Quóniam meæ sunt omnes feræ silvárum, * iuménta in móntibus et boves.

Cognóvi ómnia volatília cæli: * et pulchritúdo agri mecum est.

Si esuríero, non dicam tibi: * meus est enim orbis terræ, et plenitúdo eius.

Numquid manducábo carnes taurórum? * aut sánguinem hircórum potábo?

Immola Deo sacrifícium laudis: * et redde Altíssimo vota tua.

Et ínvoca me in die tribulatiónis: * éruam te, et honorificábis me.

Ant. Immola Deo sacrifícium laudis.

Ant. 9 Intellígite, qui obliviscímini Deum.

Psalmus 49, iii

Peccatóri autem dixit Deus: * Quare tu nárras iustítias meas, et assúmis testaméntum meum per os tuum?

Tu vero odísti disciplínam: * et proiecísti sermónes meos retrórsum:

Si vidébas furem, currébas cum eo: * et cum adúlteris portiónem tuam ponébas.

Os tuum abundávit malítia: * et lingua tua concinnábat dolos.

Sedens advérsus fratrem tuum loquebáris, ℣ et advérsus fílium matris tuæ ponébas scándalum: * hæc fecísti, et tácui.

Existimásti, iníque, quod ero tui símilis: * árguam te, et státuam contra fáciem tuam.

Intellígite hæc, qui obliviscímini Deum: * nequándo rápiat, et non sit qui erípiat.

Sacrifícium laudis honorificábit me: * et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Ant. Intellígite, qui obliviscímini Deum.

In Officio feriali:

Tempore Adventus:

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Sacrifícium laudis honorificábit me. ℟. Et illic iter, quo osténdam illi salutáre Dei.

Tempore Quadragesimæ:

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

Tempore Passionis:

℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculi ante Laudes I in Officio feriali

Tempore Nativitatis:

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

Tempore Epiphaniæ:

℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Resurrectionis:

℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In feriis per annum, extra vigilias et Quatuor Tempora septembris occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, in vigilia Ascensionis atque in festis quolibet anni tempore celebrandis.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Dóminus regnávit, exsúltet terra. †

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * † læténtur ínsulæ multæ.

Nubes, et calígo in circúitu eius: * iustítia, et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit, et commóta est terra.

Montes, sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes, qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit, et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Dóminus regnávit, exsúltet terra.

Ant. 2 Te decet hymnus, Deus, in Sion. †

Psalmus 64

Te decet hymnus, Deus, in Sion: * † et tibi reddétur votum in Ierúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum eius.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis: * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio eius.

Rivos eius inébria, multíplica genímina eius: * in stillicídiis eius lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, ℣ et valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Te decet hymnus, Deus, in Sion.

Ant. 3 Tibi, Dómine, psallam, et intélligam in via immaculáta.

Psalmus 100

Misericórdiam, et iudícium * cantábo tibi, Dómine:

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem iniústam: * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ: * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem. [Gl.]

Ant. Tibi, Dómine, psallam, et intélligam in via immaculáta.

Ant. 4 Dómine, magnus es tu et præclárus in virtúte tua.

Canticum Iudith
Iudith 16, 15-21

Hymnum cantémus Dómino, * hymnum novum cantémus Deo nostro.

Adonái, Dómine, magnus es tu, et præclárus in virtúte tua, * et quem superáre nemo potest.

Tibi sérviat omnis creatúra tua: * quia dixísti, et facta sunt:

Misísti spíritum tuum, et creáta sunt, * et non est qui resístat voci tuæ.

Montes a fundaméntis movebúntur cum aquis: * petræ, sicut cera, liquéscent ante fáciem tuam.

Qui autem timent te, * magni erunt apud te per ómnia.

Væ genti insurgénti super genus meum: ℣ Dóminus enim omnípotens vindicábit in eis, * in die iudícii visitábit illos.

Dabit enim ignem, et vermes in carnes eórum, * ut urántur, et séntiant usque in sempitérnum.

Ant. Dómine, magnus es tu et præclárus in virtúte tua.

Ant. 5 Laudábo Deum meum in vita mea.

Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum, ℣ laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus eius, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cuius Deus Iacob adiútor eius, ℣ spes eius in Dómino, Deo ipsíus: * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, ℣ facit iudícium iniúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit iustos.

Dóminus custódit ádvenas, ℣ pupíllum et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, ℣ Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Extra tempus paschale: Ant. Laudábo Deum meum in vita mea.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. De manu ómnium qui odérunt nos liberávit nos Dóminus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 555.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In feriis Adventus, et a feria IV post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam IV Hebdomadæ sanctæ inclusive, necnon in Quatuor Temporibus septembris et vigiliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Amplius lava me, Dómine, ab iniustítia mea.

Feria IV ante vigiliam Nativitatis Domini ac feria IV Hebdomadæ sanctæ, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Amplius lava me, Dómine, ab iniustítia mea.

Ant. 2 Impietátibus nostris tu propitiáberis, Deus.

2 Psalmus 64

Te decet hymnus, Deus, in Sion: * et tibi reddétur votum in Ierúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus, quem elegísti, et assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ, et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum eius.

Turbabúntur gentes, et timébunt qui hábitant términos a signis tuis: * éxitus matutíni, et véspere delectábis.

Visitásti terram, et inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio eius.

Rivos eius inébria, multíplica genímina eius: * in stillicídiis eius lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, * et valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Impietátibus nostris tu propitiáberis, Deus.

Ant. 3 In innocéntia cordis mei perambulábo, Dómine.

3 Psalmus 100

Misericórdiam, et iudícium * cantábo tibi, Dómine:

Psallam, et intélligam in via immaculáta, * quando vénies ad me.

Perambulábam in innocéntia cordis mei, * in médio domus meæ.

Non proponébam ante óculos meos rem iniústam: * faciéntes prævaricatiónes odívi.

Non adhæsit mihi cor pravum: * declinántem a me malígnum non cognoscébam.

Detrahéntem secréto próximo suo, * hunc persequébar.

Supérbo óculo, et insatiábili corde, * cum hoc non edébam.

Oculi mei ad fidéles terræ ut sédeant mecum: * ámbulans in via immaculáta, hic mihi ministrábat.

Non habitábit in médio domus meæ qui facit supérbiam: * qui lóquitur iníqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.
In matutíno interficiébam omnes peccatóres terræ: * ut dispérderem de civitáte Dómini omnes operántes iniquitátem.

Ant. In innocéntia cordis mei perambulábo, Dómine.

Ant. 4 Exsultávit cor meum in Dómino, qui humíliat et súblevat.

4 Canticum Annæ
1 Reg. 2, 1-10

Exsultávit cor meum in Dómino, * et exaltátum est cornu meum in Deo meo.
Dilatátum est os meum super inimícos meos: * quia lætáta sum in salutári tuo.
Non est sanctus, ut est Dóminus: ℣ neque enim est álius extra te, * et non est fortis sicut Deus noster.
Nolíte multiplicáre loqui sublímia, * gloriántes:
Recédant vétera de ore vestro: ℣ quia Deus scientiárum, Dóminus est, * et ipsi præparántur cogitatiónes.
Arcus fórtium superátus est, * et infírmi accíncti sunt róbore.
Repléti prius, pro pánibus se locavérunt: * et famélici saturáti sunt.
Donec stérilis péperit plúrimos: * et quæ multos habébat fílios, infirmáta est.
Dóminus mortíficat et vivíficat, * dedúcit ad ínferos et redúcit.
Dóminus páuperem facit et ditat, * humíliat et súblevat.
Súscitat de púlvere egénum, * et de stércore élevat páuperem:
Ut sédeat cum princípibus, * et sólium glóriæ téneat.
Dómini enim sunt cárdines terræ, * et pósuit super eos orbem.
Pedes sanctórum suórum servábit, ℣ et ímpii in ténebris conticéscent: * quia non in fortitúdine sua roborábitur vir.
Dóminum formidábunt adversárii eius: * et super ipsos in cælis tonábit:
Dóminus iudicábit fines terræ, ℣ et dabit impérium regi suo, * et sublimábit cornu Christi sui.

Ant. Exsultávit cor meum in Dómino, qui humíliat et súblevat.

Ant. 5 Lauda, ánima mea, Dóminum, qui érigit elísos et díligit iustos.

5 Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum, ℣ laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.
Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.
Exíbit spíritus eius, et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.
Beátus, cuius Deus Iacob adiútor eius, ℣ spes eius in Dómino, Deo ipsíus: * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.
Qui custódit veritátem in sæculum, ℣ facit iudícium iniúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.
Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.
Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit iustos.
Dóminus custódit ádvenas, ℣ pupíllam et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.
Regnábit Dóminus in sæcula, ℣ Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Ant. Lauda, ánima mea, Dóminum, qui érigit elísos et díligit iustos.

Per annum capitulum, hymnus, versículus et antiphona ad Benedictus ut in priori Laudum schemate 687.

Tempore Septuagesimæ capitulum, hymnus et versículus ut in priori Laudum schemate 687; antiphona ad Benedictus ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale:
Ant. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos: et complácui in veritáte tua.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 25

Iúdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum: * et in Dómino sperans non infirmábor.

Proba me, Dómine, et tenta me: * ure renes meos et cor meum.

Quóniam misericórdia tua ante óculos meos est: * et complácui in veritáte tua.

Non sedi cum concílio vanitátis: * et cum iníqua geréntibus non introíbo.

Odívi ecclésiam malignántium: * et cum ímpiis non sedébo.

Lavábo inter innocéntes manus meas: * et circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, * et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ, * et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, * et cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt: * déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: * rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: * in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Psalmus 51

Quid gloriáris in malítia, * qui potens es in iniquitáte?

Tota die iniustítiam cogitávit lingua tua: * sicut novácula acúta fecísti dolum.

Dilexísti malítiam super benignitátem: * iniquitátem magis quam loqui æquitátem.

Dilexísti ómnia verba præcipitatiónis, * lingua dolósa.

Proptérea Deus déstruet te in finem, ℣ evéllet te, et emigrábit te de tabernáculo tuo: * et radícem tuam de terra vivéntium.

Vidébunt iusti, et timébunt, ℣ et super eum ridébunt, et dicent: * Ecce homo, qui non pósuit Deum adiutórem suum:

Sed sperávit in multitúdine divitiárum suárum: * et præváluit in vanitáte sua.

Ego autem, sicut olíva fructífera in domo Dei, * sperávi in misericórdia Dei in ætérnum: et in sæculum sæculi.

Confitébor tibi in sæculum, quia fecísti: * et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est in conspéctu sanctórum tuórum.

Psalmus 52

Dixit insípiens in corde suo: * Non est Deus.

Corrúpti sunt, et abominábiles facti sunt in iniquitátibus: * non est qui fáciat bonum.

Deus de cælo prospéxit super fílios hóminum: * ut vídeat si est intélligens, aut requírens Deum.

Omnes declinavérunt, ℣ simul inútiles facti sunt: * non est qui fáciat bonum, non est usque ad unum.

Nonne scient omnes qui operántur iniquitátem, * qui dévorant plebem meam ut cibum panis?

Deum non invocavérunt: * illic trepidavérunt timóre, ubi non erat timor.

Quóniam Deus dissipávit ossa eórum qui homínibus placent: * confúsi sunt, quóniam Deus sprevit eos.

Quis dabit ex Sion salutáre Israël? * cum convérterit Deus captivitátem plebis suæ, exsultábit Iacob, et lætábitur Israël.

Extra tempus paschale: Ant. Misericórdia tua, Dómine, ante óculos meos: et complácui in veritáte tua.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére. Glória. Iesu Christe. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra. Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus ingeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Deus ádiuvat me: et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 53

Deus, in nómine tuo salvum me fac: * et in virtúte tua iúdica me.

Deus, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe verba oris mei.

Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me, et fortes quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum.

Ecce enim Deus ádiuvat me: * et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Avérte mala inimícis meis: * et in veritáte tua dispérde illos.

Voluntárie sacrificábo tibi, * et confitébor nómini tuo, Dómine: quóniam bonum est:

Quóniam ex omni tribulatióne eripuísti me: * et super inimícos meos despéxit óculus meus.

Psalmus 54, i

Exáudi, Deus, oratiónem meam, ℣. et ne despéxeris deprecatiónem meam: * inténde mihi, et exáudi me.

Contristátus sum in exercitatióne mea: * et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris.

Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: * et in ira molésti erant mihi.

Cor meum conturbátum est in me: * et formído mortis cécidit super me.

Timor et tremor venérunt super me: * et contexérunt me ténebræ.

Et dixi: ℣. Quis dabit mihi pennas sicut colúmbæ, * et volábo, et requiéscam?

Ecce elongávi fúgiens: * et mansi in solitúdine.

Exspectábam eum, qui salvum me fecit * a pusillanimitáte spíritus et tempestáte.

Præcípita, Dómine, dívide linguas eórum: * quóniam vidi iniquitátem, et contradictiónem in civitáte.

Die ac nocte circúmdabit eam super muros eius iníquitas: * et labor in médio eius, et iniustítia.

Et non defécit de platéis eius * usúra, et dolus.

Quóniam si inimícus meus maledixísset mihi, * sustinuíssem útique.

Et si is, qui óderat me, super me magna locútus fuísset, * abscondíssem me fórsitan ab eo.

Tu vero, homo unánimis: * dux meus, et notus meus:

Qui simul mecum dulces capiébas cibos: * in domo Dei ambulávimus cum consénsu.

Véniat mors super illos: * et descéndant in inférnum vivéntes:

Quóniam nequítiæ in habitáculis eórum: * in médio eórum.

Psalmus 54, ii

Ego autem ad Deum clamávi: * et Dóminus salvábit me.

Véspere, et mane, et merídie narrábo et annuntiábo: * et exáudiet vocem meam.

Rédimet in pace ánimam meam ab his, qui appropínquant mihi: * quóniam inter multos erant mecum.

Exáudiet Deus, et humiliábit illos, * qui est ante sæcula.

Non enim est illis commutátio, ℣ et non timuérunt Deum: * exténdit manum suam in retribuéndo.

Contaminavérunt testaméntum eius, ℣ divísi sunt ab ira vultus eius: * et appropinquávit cor illíus.

Molliti sunt sermónes eius super óleum: * et ipsi sunt iácula.

Iacta super Dóminum curam tuam, ℣ et ipse te enútriet: * non dabit in ætérnum fluctuatiónem iusto.

Tu vero, Deus, dedúces eos, * in púteum intéritus.

Viri sánguinum, et dolósi non dimidiábunt dies suos: * ego autem sperábo in te, Dómine.

Extra tempus paschale: Ant. Deus ádiuvat me: et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:
Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. In Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 55

Miserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: * tota die impúgnans tribulávit me.

Conculcavérunt me inimíci mei tota die: * quóniam multi bellántes advérsum me.

Ab altitúdine diéi timébo: * ego vero in te sperábo.

In Deo laudábo sermónes meos, in Deo sperávi: * non timébo quid fáciat mihi caro.

Tota die verba mea exsecrabántur: * advérsum me omnes cogitatiónes eórum in malum.

Inhabitábunt et abscóndent: * ipsi calcáneum meum observábunt.

Sicut sustinuérunt ánimam meam, ℣ pro níhilo salvos fácies illos: * in ira pópulos confrínges.

Deus, vitam meam annuntiávi tibi: * posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo,

Sicut et in promissióne tua: * tunc converténtur inimíci mei retrórsum:

In quacúmque die invocávero te: * ecce cognóvi quóniam Deus meus es.

In Deo laudábo verbum, ℣ in Dómino laudábo sermónem: * in Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

In me sunt, Deus, vota tua, * quæ reddam, laudatiónes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut pláceam coram Deo in lúmine vivéntium.

Psalmus 56

Miserére mei, Deus, miserére mei: * quóniam in te confídit ánima mea.

Et in umbra alárum tuárum sperábo, * donec tránseat iníquitas.

Clamábo ad Deum altíssimum: * Deum qui benefécit mihi.

Misit de cælo, et liberávit me: * dedit in oppróbrium conculcántes me.

Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam, ℣. et erípuit ánimam meam de médio catulórum leónum: * dormívi conturbátus.

Fílii hóminum dentes eórum arma et sagíttæ: * et lingua eórum gládius acútus.

Exaltáre super cælos, Deus, * et in omnem terram glória tua.

Láqueum paravérunt pédibus meis: * et incurvavérunt ánimam meam.

Fodérunt ante fáciem meam fóveam: * et incidérunt in eam.

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo, et psalmum dicam.

Exsúrge, glória mea, ℣. exsúrge, psaltérium et cíthara: * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: * et psalmum dicam tibi in géntibus:

Quóniam magnificáta est usque ad cælos misericórdia tua, * et usque ad nubes véritas tua.

Exaltáre super cælos, Deus: * et super omnem terram glória tua.

Psalmus 57

Si vere útique iustítiam loquímini: * recta iudicáte, fílii hóminum.

Etenim in corde iniquitátes operámini: * in terra iniustítias manus vestræ concínnant.

Alienáti sunt peccatóres a vulva, ℣. erravérunt ab útero: * locúti sunt falsa.

Furor illis secúndum similitúdinem serpéntis: * sicut áspidis surdæ, et obturántis aures suas,

Quæ non exáudiet vocem incantántium: * et venéfici incantántis sapiénter.

Deus cónteret dentes eórum in ore ipsórum: * molas leónum confrínget Dóminus.

Ad níhilum devénient tamquam aqua decúrrens: * inténdit arcum suum donec infirméntur.

Sicut cera, quæ fluit, auferéntur: * supercécidit ignis, et non vidérunt solem.

Priúsquam intellígerent spinæ vestræ rhamnum: * sicut vivéntes, sic in ira absórbet eos.

Lætábitur iustus cum víderit vindíctam: * manus suas lavábit in sánguine peccatóris.

Et dicet homo: ℣. Si útique est fructus iusto: * útique est Deus iúdicans eos in terra.

Extra tempus paschale: Ant. In Deo sperávi, non timébo quid fáciat mihi homo.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et níhil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successíbus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prémium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Deus meus, misericórdia tua prævéniet me.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 58, i

Eripe me de inimícis meis, Deus meus: * et ab insurgéntibus in me líbera me.

Eripe me de operántibus iniquitátem: * et de viris sánguinum salva me.

Quia ecce cepérunt ánimam meam: * irruérunt in me fortes.

Neque iníquitas mea, neque peccátum meum, Dómine: * sine iniquitáte cucúrri, et diréxi.

Exsúrge in occúrsum meum, et vide: * et tu, Dómine, Deus virtútum, Deus Israël,

Inténde ad visitándas omnes gentes: * non misereáris ómnibus, qui operántur iniquitátem.

Converténtur ad vésperam: ℣ et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ecce loquéntur in ore suo, ℣ et gládius in lábiis eórum: * quóniam quis audívit?

Et tu, Dómine, deridébis eos: * ad níhilum dedúces omnes gentes.

Fortitúdinem meam ad te custódiam, ℣ quia, Deus, suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia eius prævéniet me.

Psalmus 58, ii

Deus osténdet mihi super inimícos meos, ne occídas eos: * nequándo obliviscántur pópuli mei.

Dispérge illos in virtúte tua: * et depóne eos, protéctor meus, Dómine:

Delíctum oris eórum, sermónem labiórum ipsórum: * et comprehendántur in supérbia sua.

Et de exsecratióne et mendácio annuntiabúntur in consummatióne: * in ira consummatiónis, et non erunt.

Et scient quia Deus dominábitur Iacob: * et fínium terræ.

Converténtur ad vésperam: ℣ et famem patiéntur ut canes, * et circuíbunt civitátem.

Ipsi dispergéntur ad manducándum: * si vero non fúerint saturáti, et murmurábunt.

Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: * et exsultábo mane misericórdiam tuam.

Quia factus es suscéptor meus, * et refúgium meum, in die tribulatiónis meæ.

Adiútor meus, tibi psallam, ℣ quia, Deus, suscéptor meus es: * Deus meus, misericórdia mea.

Psalmus 59

Deus, repulísti nos, et destruxísti nos: * irátus es, et misértus es nobis.

Commovísti terram, et conturbásti eam: * sana contritiónes eius, quia commóta est.

Ostendísti pópulo tuo dura: * potásti nos vino compunctiónis.

Dedísti metuéntibus te significatiónem: * ut fúgiant a fácie arcus:

Ut liberéntur dilécti tui: * salvum fac déxtera tua, et exáudi me.

Deus locútus est in sancto suo: * Lætábor, et partíbor Síchimam: et convállem tabernaculórum metíbor.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: * et Ephraim fortitúdo cápitis mei.

Iuda rex meus: * Moab olla spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ súbditi sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * et non egrediéris, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne: * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * et ipse ad níhilum dedúcet tribulántes nos.

Extra tempus paschale: Ant. Deus meus, misericórdia tua prævéniet me.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Beáti omnes qui timent Dóminum. †

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 127

Beáti omnes qui timent Dóminum, * † qui ámbulant in viis eius.

Labóres mánuum tuárum quia manducábis: * beátus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abúndans, * in latéribus domus tuæ.

Fílii tui sicut novéllæ olivárum, * in circúitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicétur homo, * qui timet Dóminum.

Benedícat tibi Dóminus ex Sion: * et vídeas bona Ierúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ.

Et vídeas fílios filiórum tuórum, * pacem super Israël.

Ant. Beáti omnes qui timent Dóminum.

Ant. 2 Confundántur omnes qui odérunt Sion.

Psalmus 128

Sæpe expugnavérunt me a iuventúte mea, * dicat nunc Israël:

Sæpe expugnavérunt me a iuventúte mea: * étenim non potuérunt mihi.

Supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres: * prolongavérunt iniquitátem suam.

Dóminus iustus concídit cervíces peccatórum: * confundántur et convertántur retrórsum omnes qui odérunt Sion.

Fiant sicut fenum tectórum: * quod priúsquam evellátur, exáruit:

De quo non implévit manum suam qui metit, * et sinum suum qui manípulos cólligit.

Et non dixérunt qui præteríbant: Benedíctio Dómini super vos: * benedíximus vobis in nómine Dómini.

Ant. Confundántur omnes qui odérunt Sion.

Ant. 3 De profúndis clamávi ad te, Dómine. †

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * † Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Ant. De profúndis clamávi ad te, Dómine.

Ant. 4 Dómine, non est exaltátum cor meum. †

Psalmus 130

Dómine, non est exaltátum cor meum: * † neque eláti sunt óculi mei.

Neque ambulávi in magnis: * neque in mirabílibus super me.

Si non humíliter sentiébam: * sed exaltávi ánimam meam:

Sicut ablactátus est super matre sua, * ita retribútio in ánima mea.

Speret Israël in Dómino, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Dómine, non est exaltátum cor meum.

Ant. 5 Elégit Dóminus Sion in habitatiónem sibi.

Psalmus 131

Meménto, Dómine, David, * et omnis mansuetúdinis eius:

Sicut iurávit Dómino, * votum vovit Deo Iacob:

Si introíero in tabernáculum domus meæ, * si ascéndero in lectum strati mei:

Si dédero somnum óculis meis, * et pálpebris meis dormitatiónem:

Et réquiem tempóribus meis: donec invéniam locum Dómino, * tabernáculum Deo Iacob.

Ecce audívimus eam in Ephrata: * invénimus eam in campis silvæ.

Introíbimus in tabernáculum eius: * adorábimus in loco, ubi stetérunt pedes eius.

Surge, Dómine, in réquiem tuam, * tu et arca sanctificatiónis tuæ.

Sacerdótes tui induántur iustítiam: * et sancti tui exsúltent.

Propter David, servum tuum, * non avértas fáciem Christi tui.

Iurávit Dóminus David veritátem, et non frustrábitur eam: * De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodíerint fílii tui testaméntum meum, * et testimónia mea hæc, quæ docébo eos:

Et fílii eórum usque in sæculum, * sedébunt super sedem tuam.

Quóniam elégit Dóminus Sion: * elégit eam in habitatiónem sibi.

Hæc réquies mea in sæculum sæculi: * hic habitábo quóniam elégi eam.

Víduam eius benedícens benedícam: * páuperes eius saturábo pánibus.

Sacerdótes eius índuam salutári: * et sancti eius exsultatióne exsultábunt.

Illuc prodúcam cornu David, * parávi lucérnam Christo meo.

Inimícos eius índuam confusióne: * super ipsum autem efflorébit sanctificátio mea.

Extra tempus paschale: Ant. Elégit Dóminus Sion in habitatiónem sibi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans orìginem:
Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.

Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Per annum

Ad Magnif. ant. Respéxit Dóminus humilitátem meam, et fecit in me magna qui potens est.

Tempore Septuagesimæ antiphona ad Magníficat ut in Officio de Tempore.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 33, i

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus eius in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti, et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen eius in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illumináminí: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, * et erípiet eos.

Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti eius: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Psalmus 33, ii

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo, et fac bonum: * inquíre pacem, et perséquere eam.

Oculi Dómini super iustos: * et aures eius in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Iuxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes iustórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt iustum, delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Psalmus 60

Exáudi, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam: * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adícies: * annos eius usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam et veritátem eius quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Extra tempus paschale:

Ant. Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

FERIA QUINTA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur feria V per annum, tempore Septuagesimæ et Quadragesimæ.

Invit. Regem magnum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte 549.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale:

Ant. 1 In Deo salutáre meum et glória mea: et spes mea in Deo est.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 61

Nonne Deo subiécta erit ánima mea? * ab ipso enim salutáre meum.

Nam et ipse Deus meus, et salutáris meus: * suscéptor meus, non movébor ámplius.

Quoúsque irrúitis in hóminem? ℣ interfícitis univérsi vos: * tamquam paríeti inclináto et macériæ depúlsæ?

Verúmtamen prétium meum cogitavérunt repéllere, ℣ cucúrri in siti: * ore suo benedicébant, et corde suo maledicébant.

Verúmtamen Deo subiécta esto, ánima mea: * quóniam ab ipso patiéntia mea.

Quia ipse Deus meus, et salvátor meus: * adiútor meus, non emigrábo.

In Deo salutáre meum et glória mea: * Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est.

Speráte in eo, omnis congregátio pópuli, ℣ effúndite coram illo corda vestra: * Deus adiútor noster in ætérnum.

Verúmtamen vani fílii hóminum, ℣ mendáces fílii hóminum in statéris: * ut decípiant ipsi de vanitáte in idípsum.

Nolíte speráre in iniquitáte, ℣ et rapínas nolíte concupíscere: * divítiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

Semel locútus est Deus, duo hæc audívi, ℣ quia potéstas Dei est, et tibi, Dómine, misericórdia: * quia tu reddes unicuíque iuxta ópera sua.

Ant. In Deo salutáre meum et glória mea: et spes mea in Deo est.

Ant. 2 Vidéte ópera Dómini, et audítam fácite vocem laudis eius.

Psalmus 65, 1

Iubiláte Deo, omnis terra, ℣ psalmum dícite nómini eius: * date glóriam laudi eius.

Dícite Deo: Quam terribília sunt ópera tua, Dómine! * in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui.

Omnis terra adóret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nómini tuo.

Veníte, et vidéte ópera Dei: * terríbilis in consíliis super fílios hóminum.

Qui convértit mare in áridam, ℣. in flúmine pertransíbunt pede: * ibi lætábimur in ipso.

Qui dominátur in virtúte sua in ætérnum, ℣. óculi eius super gentes respíciunt: * qui exásperant non exalténtur in semetípsis.

Benedícite, gentes, Deum nostrum: * et auditam fácite vocem laudis eius,

Qui pósuit ánimam meam ad vitam: * et non dedit in commotiónem pedes meos.

Quóniam probásti nos, Deus: * igne nos examinásti, sicut examinátur argéntum.

Induxísti nos in láqueum, ℣. posuísti tribulatiónes in dorso nostro: * imposuísti hómines super cápita nostra.

Transívimus per ignem et aquam: * et eduxísti nos in refrigérium.

Ant. Vidéte ópera Dómini, et auditam fácite vocem laudis eius.

Ant. 3 Audíte, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Psalmus 65, ii

Introíbo in domum tuam in holocáustis: * reddam tibi vota mea, quæ distinxérunt lábia mea.

Et locútum est os meum, * in tribulatióne mea.

Holocáusta medulláta ófferam tibi cum incénso aríetum: * ófferam tibi boves cum hircis.

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, * quanta fecit ánimæ meæ.

Ad ipsum ore meo clamávi, * et exaltávi sub lingua mea.

Iniquitátem si aspéxi in corde meo, * non exáudiet Dóminus.

Proptérea exaudívit Deus, * et atténdit voci deprecatiónis meæ.

Benedíctus Deus, * qui non amóvit oratiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Ant. Audíte, omnes qui timétis Deum, quanta fecit ánimæ meæ.

Ant. 4 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius. †

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 67, i

Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius, * † et fúgiant qui odérunt eum, a fácie eius.

Sicut déficit fumus, defíciant: * sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei.

Et iusti epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: * et delecténtur in lætítia.

Cantáte Deo, psalmum dícite nómini eius: ℣. iter fácite ei, qui ascéndit super occásum: * Dóminus nomen illi.

Exsultáte in conspéctu eius: * turbabúntur a fácie eius, patris orphanórum, et iúdicis viduárum.

Deus in loco sancto suo: * Deus qui inhabitáre facit uníus moris in domo:

Qui edúcit vinctos in fortitúdine, * simíliter eos, qui exásperant, qui hábitant in sepúlcris.

Deus, cum egrederéris in conspéctu pópuli tui, * cum pertransíres in desérto:

Terra mota est, étenim cæli distillavérunt a fácie Dei Sinai, * a fácie Dei Israël.

Plúviam voluntáriam segregábis, Deus, hereditáti tuæ: et infirmáta est, * tu vero perfecísti eam.

Animália tua habitábunt in ea: * parásti in dulcédine tua páuperi, Deus.

Ant. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius.

Ant. 5 Deus noster, Deus salvos faciéndi: et Dómini sunt éxitus mortis.

Psalmus 67, ii

Dóminus dabit verbum evangelizántibus, * virtúte multa.

Rex virtútum dilécti dilécti: * et speciéi domus divídere spólia.

Si dormiátis inter médios cleros, pennæ colúmbæ deargentátæ, * et posterióra dorsi eius in pallóre auri.

Dum discérnit cæléstis reges super eam, nive dealbabúntur in Selmon: * mons Dei, mons pinguis.

Mons coagulátus, mons pinguis: * ut quid suspicámini montes coagulátos?

Mons, in quo beneplácitum est Deo habitáre in eo: * étenim Dóminus habitábit in finem.

Currus Dei decem míllibus múltiplex, míllia lætántium: * Dóminus in eis in Sina in sancto.

Ascendísti in altum, ℣. cepísti captivitátem: * accepísti dona in homínibus:

Etenim non credéntes, * inhabitáre Dóminum Deum.

Benedíctus Dóminus die quotídie: * prósperum iter fáciet nobis Deus salutárium nostrórum.

Deus noster, Deus salvos faciéndi: * et Dómini Dómini éxitus mortis.

Verúmtamen Deus confrínget cápita inimicórum suórum: * vérticem capílli perambulántium in delíctis suis.

Dixit Dóminus: Ex Basan convértam, * convértam in profúndum maris:

Ut intingátur pes tuus in sánguine: * lingua canum tuórum ex inimícis, ab ipso.

Ant. Deus noster, Deus salvos faciéndi: et Dómini sunt éxitus mortis.

Ant. 6 In ecclésiis benedícite Dómino Deo.

Psalmus 67, iii

Vidérunt ingréssus tuos, Deus, * ingréssus Dei mei: regis mei qui est in sancto.

Prævenérunt príncipes coniúncti psalléntibus, * in médio iuvenculárum tympanistriárum.

In ecclésiis benedícite Deo Dómino, * de fóntibus Israël.

Ibi Béniamin adolescéntulus, * in mentis excéssu.

Príncipes Iuda, duces eórum: * príncipes Zábulon, príncipes Néphthali.

Manda, Deus, virtúti tuæ: * confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis.

A templo tuo in Ierúsalem, * tibi ófferent reges múnera.

Increpa feras arúndinis, ℣ congregátio taurórum in vaccis populórum: * ut exclúdant eos, qui probáti sunt argénto.

Díssipa gentes, quæ bella volunt: ℣ vénient legáti ex Ægýpto: * Æthiópia prævéniet manus eius Deo.

Regna terræ, cantáte Deo: * psállite Dómino.

Psállite Deo, qui ascéndit super cælum cæli, * ad Oriéntem.

Ecce dabit voci suæ vocem virtútis, ℣ date glóriam Deo super Israël, * magnificéntia eius, et virtus eius in núbibus.

Mirábilis Deus in sanctis suis, ℣ Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ, * benedíctus Deus.

Ant. In ecclésiis benedícite Dómino Deo.

Ant. 7 Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam. †

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 68, i

Salvum me fac, Deus: * quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

† Infíxus sum in limo profúndi: * et non est substántia.

Veni in altitúdinem maris: * et tempéstas demérsit me.

Laborávi clamans, ℣ raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecérunt óculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicáti sunt super capíllos cápitis mei, * qui odérunt me gratis.

Confortáti sunt qui persecúti sunt me inimíci mei iniúste: * quæ non rápui, tunc exsolvébam.

Deus, tu scis insipiéntiam meam: * et delícta mea a te non sunt abscóndita.

Non erubéscant in me qui exspéctant te, Dómine, * Dómine virtútum.

Non confundántur super me * qui quærunt te, Deus Israël.

Quóniam propter te sustínui oppróbrium: * opéruit confúsio fáciem meam.

Extráneus factus sum frátribus meis, * et peregrínus fíliis matris meæ.

Quóniam zelus domus tuæ comédit me: * et oppróbria exprobrántium tibi cecidérunt super me.

Et opérui in ieiúnio ánimam meam: * et factum est in oppróbrium mihi.

Et pósui vestiméntum meum cilícium: * et factus sum illis in parábolam.

Advérsum me loquebántur, qui sedébant in porta: * et in me psallébant qui bibébant vinum.

Ego vero oratiónem meam ad te, Dómine: * tempus benepláciti, Deus.

Ant. Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

Ant. 8 Propter inimícos meos éripe me, Dómine.

Psalmus 68, ii

In multitúdine misericórdiæ tuæ exáudi me, * in veritáte salútis tuæ:

Eripe me de luto, ut non infígar: * líbera me ab iis, qui odérunt me, et de profúndis aquárum.

Non me demérgat tempéstas aquæ, ℣ neque absórbeat me profúndum: * neque úrgeat super me púteus os suum.

Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: * secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me.

Et ne avértas fáciem tuam a púero tuo: * quóniam tríbulor, velóciter exáudi me.

Inténde ánimæ meæ, et líbera eam: * propter inimícos meos éripe me.

Tu scis impropérium meum, et confusiónem meam, * et reveréntiam meam.

In conspéctu tuo sunt omnes qui tríbulant me, * impropérium exspectávit cor meum, et misériam.

Et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit: * et qui consolarétur, et non invéni.

Et dedérunt in escam meam fel: * et in siti mea potavérunt me acéto.

Fiat mensa eórum coram ipsis in láqueum, * et in retributiónes, et in scándalum.

Obscuréntur óculi eórum ne vídeant: * et dorsum eórum semper incúrva.

Effúnde super eos iram tuam: * et furor iræ tuæ comprehéndat eos.

Fiat habitátio eórum desérta: * et in tabernáculis eórum non sit qui inhábitet.

Quóniam quem tu percussísti, persecúti sunt: * et super dolórem vúlnerum meórum addidérunt.

Appóne iniquitátem super iniquitátem eórum: * et non intrent in iustítiam tuam.

Deleántur de libro viventium: * et cum iustis non scribántur.

Ant. Propter inimícos meos éripe me, Dómine.

Ant. 9 Quærite Dóminum, et vivet ánima vestra.

Psalmus 68, iii

Ego sum pauper et dolens: * salus tua, Deus, suscépit me.

Laudábo nomen Dei cum cántico: * et magnificábo eum in laude:

Et placébit Deo super vítulum novéllum: * córnua producéntem et úngulas.

Vídeant páuperes et læténtur: * quærite Deum, et vivet ánima vestra.

Quóniam exaudívit páuperes Dóminus: * et vinctos suos non despéxit.

Laudent illum cæli et terra, * mare, et ómnia reptília in eis.

Quóniam Deus salvam fáciet Sion: * et ædificabúntur civitátes Iuda.

Et inhabitábunt ibi, * et hereditáte acquírent eam.

Et semen servórum eius possidébit eam, * et qui díligunt nomen eius, habitábunt in ea.

Extra tempus paschale:

Ant. Quærite Dóminum, et vivet ánima vestra.

In Officio feriali per annum et tempore Septuagesimæ, necnon in festis extra tempus paschale:

℣. Laudábo nomen Dei cum cántico. ℟. Et magnificábo eum in laude.

In Officio feriali tempore Adventus:

℣. Ex Sion spécies decóris eius. ℟. Deus noster maniféste véniet.

In Officio feriali tempore Nativitatis:

℣. Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

In Officio feriali tempore Epiphaniæ:

℣. Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent. ℟. Reges Arabum, et Saba dona addúcent.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ:

℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu. ℟. Et refúgium meum, Deus meus.

In Officio feriali tempore Passionis:

℣. Erue a frámea, Deus, ánimam meam. ℟. Et de manu canis únicam meam.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Resurrectionis:

℣. Resurréxit Dóminus, allelúia. ℟. Sicut dixit vobis, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Ascensionis:

℣. Eleváta est magnificéntia tua, allelúia. ℟. Super cælos, Deus, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculi ante Laudes I in Officio feriali

Tempore Nativitatis:

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

Tempore Epiphaniæ:

℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Resurrectionis:

℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In feriis per annum, extra vigilias occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, atque in festis quolibet anni tempore celebrandis.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Iubiláte in conspéctu regis Dómini.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius: * et bráchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ, * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra: * cantáte, et exsultáte, et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus, et voce tubæ córneæ.

Iubiláte in conspéctu regis Dómini: ℣ moveátur mare, et plenitúdo eius: * orbis terrárum, et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terrárum in iustítia, * et pópulos in æquitáte.

Ant. Iubiláte in conspéctu regis Dómini.

Ant. 2 Dómine, refúgium factus es nobis. †

Psalmus 89

Dómine, refúgium factus es nobis: * † a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis: * a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem: * et dixísti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, ℣ mane flóreat, et tránseat: * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni: * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo: * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ: * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac: * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua: * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua: * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Dómine, refúgium factus es nobis.

Ant. 3 Dómine, in cælo misericórdia tua.

Psalmus 35

Dixit iníustus ut delínquat in semetípso: * non est timor Dei ante óculos eius.

Quóniam dolóse egit in conspéctu eius: * ut inveniátur iníquitas eius ad ódium.

Verba oris eius iníquitas, et dolus: * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: ℣ ástitit omni viæ non bonæ, * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cælo misericórdia tua: * et véritas tua usque ad nubes.

Iustítia tua sicut montes Dei: * iudícia tua abýssus multa.

Hómines, et iuménta salvábis, Dómine: * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ: * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Præténde misericórdiam tuam sciéntibus te, * et iustítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes superbiæ: * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem: * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Dómine, in cælo misericórdia tua.

Ant. 4 Pópulus meus, ait Dóminus, bonis meis adimplébitur.

Canticum Ieremiæ
Ier. 31, 10-14

Audíte verbum Dómini, gentes, * et annuntiáte in ínsulis, quæ procul sunt,

Et dícite: Qui dispérsit Israël, congregábit eum: * et custódiet eum sicut pastor gregem suum.

Redémit enim Dóminus Iacob, * et liberávit eum de manu potentióris.

Et vénient, et laudábunt in monte Sion: * et cónfluent ad bona Dómini,

Super fruménto, et vino, et óleo, * et fetu pécorum et armentórum:

Erítque ánima eórum quasi hortus irríguus, * et ultra non esúrient.

Tunc lætábitur virgo in choro, * iúvenes et senes simul:

Et convértam luctum eórum in gáudium, * et consolábor eos, et lætificábo a dolóre suo.

Et inebriábo ánimam sacerdótum pinguédine: * et pópulus meus bonis meis adimplébitur.

Ant. Pópulus meus, ait Dóminus, bonis meis adimplébitur.

Ant. 5 Deo nostro iucúnda sit laudátio.

Psalmus 146

Laudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit iucúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Ierúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus eius: * et sapiéntiæ eius non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum: * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat iuméntis escam ipsórum: * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * et in eis, qui sperant super misericórdia eius.

Extra tempus paschale:
Ant. Deo nostro iucúnda sit laudátio.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. In sanctitáte serviámus Dómino, et liberábit nos ab inimícis nostris.

Dicuntur preces.
Reliqua ut in Ordinario 555.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In feriis Adventus, et a feria V post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam V post dominicam I in Passione inclusive, necnon in vigiliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Tibi soli peccávi, Dómine: miserére mei.

Feria V ante vigiliam Nativitatis Domini, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocásta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Tibi soli peccávi, Dómine: miserére mei.

Ant. 2 Convértere, Dómine, et deprecábilis esto super servos tuos.

2 Psalmus 89

Dómine, refúgium factus es nobis: * a generatióne in generatiónem.

Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis: * a sæculo et usque in sæculum tu es, Deus.

Ne avértas hóminem in humilitátem: * et dixísti: Convertímini, fílii hóminum.

Quóniam mille anni ante óculos tuos, * tamquam dies hestérna, quæ prætériit,

Et custódia in nocte, * quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

Mane sicut herba tránseat, ℣ mane flóreat, et tránseat: * véspere décidat, indúret et aréscat.

Quia defécimus in ira tua, * et in furóre tuo turbáti sumus.

Posuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: * sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

Quóniam omnes dies nostri defecérunt: * et in ira tua defécimus.

Anni nostri sicut aránea meditabúntur: * dies annórum nostrórum in ipsis, septuagínta anni.

Si autem in potentátibus, octogínta anni: * et ámplius eórum, labor et dolor.

Quóniam supervénit mansuetúdo: * et corripiémur.

Quis novit potestátem iræ tuæ: * et præ timóre tuo iram tuam dinumeráre?

Déxteram tuam sic notam fac: * et erudítos corde in sapiéntia.

Convértere, Dómine, úsquequo? * et deprecábilis esto super servos tuos.

Repléti sumus mane misericórdia tua: * et exsultávimus, et delectáti sumus ómnibus diébus nostris.

Lætáti sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: * annis, quibus vídimus mala.

Réspice in servos tuos, et in ópera tua: * et dírige fílios eórum.

Et sit splendor Dómini, Dei nostri, super nos, et ópera mánuum nostrárum dírige super nos: * et opus mánuum nostrárum dírige.

Ant. Convértere, Dómine, et deprecábilis esto super servos tuos.

Ant. 3 Multiplicásti, Deus, misericórdiam tuam.

3 Psalmus 35

Dixit iníustus ut delínquat in semetípso: * non est timor Dei ante óculos eius.

Quóniam dolóse egit in conspéctu eius: * ut inveniátur iníquitas eius ad ódium.

Verba oris eius iníquitas, et dolus: * nóluit intellígere ut bene ágeret.

Iniquitátem meditátus est in cubíli suo: ℣. ástitit omni viæ non bonæ, * malítiam autem non odívit.

Dómine, in cælo misericórdia tua: * et véritas tua usque ad nubes.

Iustítia tua sicut montes Dei: * iudícia tua abýssus multa.

Hómines, et iuménta salvábis, Dómine: * quemádmodum multiplicásti misericórdiam tuam, Deus.

Fílii autem hóminum, * in tégmine alárum tuárum sperábunt.

Inebriabúntur ab ubertáte domus tuæ: * et torrénte voluptátis tuæ potábis eos.

Quóniam apud te est fons vitæ: * et in lúmine tuo vidébimus lumen.

Prætende misericórdiam tuam sciéntibus te, * et iustítiam tuam his, qui recto sunt corde.

Non véniat mihi pes supérbiæ: * et manus peccatóris non móveat me.

Ibi cecidérunt qui operántur iniquitátem: * expúlsi sunt, nec potuérunt stare.

Ant. Multiplicásti, Deus, misericórdiam tuam.

Ant. 4 Fortitúdo mea et laus mea Dóminus: et factus est mihi in salútem.

4 Canticum Moysis

Exod. 15, 1-19

Cantémus Dómino: glorióse enim magnificátus est, * equum et ascensórem deiécit in mare.

Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, * et factus est mihi in salútem:

Iste Deus meus, et glorificábo eum: * Deus patris mei, et exaltábo eum.

Dóminus quasi vir pugnátor, Omnípotens nomen eius. * Currus Pharaónis et exércitum eius proiécit in mare.

Elécti príncipes eius submérsi sunt in Mari Rubro: ℣. abýssi operuérunt eos, * descendérunt in profúndum quasi lapis.

Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: ℣. déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. * Et in multitúdine glóriæ tuæ deposuísti adversários tuos:

Misísti iram tuam, quæ devorávit eos sicut stípulam. * Et in spíritu furóris tui congregátæ sunt aquæ:

Stetit unda fluens, * congregátæ sunt abýssi in médio mari.

Dixit inimícus: Pérsequar et comprehéndam, ℣. dívidam spólia, * implébitur ánima mea:

Evaginábo gládium meum, * interfíciet eos manus mea.

Flavit spíritus tuus, et opéruit eos mare: * submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

Quis símilis tui in fórtibus, Dómine? * quis símilis tui, magníficus in sanctitáte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

Extendísti manum tuam, ℣. et devorávit eos terra. * Dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti:

Et portásti eum in fortitúdine tua, * ad habitáculum sanctum tuum.

Ascendérunt pópuli, et iráti sunt: * dolóres obtinuérunt habitatóres Philísthiim.

Tunc conturbáti sunt príncipes Edom, robústos Moab obtínuit tremor: * obriguérunt omnes habitatóres Chánaan.

Irruat super eos formído et pavor, * in magnitúdine bráchii tui:

Fiant immóbiles quasi lapis, ℣. donec pertránseat pópulus tuus, Dómine, * donec pertránseat pópulus tuus iste, quem possedísti.

Introdúces eos, et plantábis in monte hereditátis tuæ, * firmíssimo habitáculo tuo quod operátus es, Dómine:

Sanctuárium tuum, Dómine, quod firmavérunt manus tuæ. * Dóminus regnábit in ætérnum et ultra.

Ingréssus est enim eques Phárao cum cúrribus et equítibus eius in mare: * et redúxit super eos Dóminus aquas maris:

Fílii autem Israël ambulavérunt per siccum * in médio eius.

Ant. Fortitúdo mea et laus mea Dóminus: et factus est mihi in salútem.

Ant. 5 Laudáte Dóminum, qui sanat contrítos corde et álligat contritiónes eórum.

5 Psalmus 146

Laudáte Dóminum quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit iucúnda, decoráque laudátio.

Ædíficans Ierúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster, et magna virtus eius: * et sapiéntiæ eius non est númerus.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum: * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat iuméntis escam ipsórum: * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * et in eis, qui sperant super misericórdia eius.

Ant. Laudáte Dóminum, qui sanat contrítos corde et álligat contritiónes eórum.

Per annum capitulum, hymnus, versículus et antiphona ad Benedictus ut in priori Laudum schemate 717.

Tempore Septuagesimæ capitulum, hymnus et versículus ut in priori Laudum schemate 717; antiphona ad Benedictus ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale: Ant. In loco páscuæ, ibi Dóminus me collocávit.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 22

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam, * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ:

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Psalmus 71, i

Deus, iudícium tuum regi da: * et iustítiam tuam fílio regis:

Iudicáre pópulum tuum in iustítia, * et páuperes tuos in iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles iustítiam.

Iudicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole, et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillicídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Psalmus 71, ii

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci eius terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent.

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem, cui non erat adiútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet, et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Líbanum fructus eius: * et florébunt de civitáte sicut fenum terræ.

Sit nomen eius benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen eius.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: ℣ et replébitur maiestáte eius omnis terra: * fiat, fiat.

Extra tempus paschale: Ant. In loco páscuæ, ibi Dóminus me collocávit.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére. Glória. Iesu Christe. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli

Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra. Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde! †

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 72, 1

Quam bonus Israël Deus * his qui recto sunt corde!

† Mei autem pæne moti sunt pedes: * pæne effúsi sunt gressus mei.

Quia zelávi super iníquos, * pacem peccatórum videns.

Quia non est respéctus morti eórum: * et firmaméntum in plaga eórum.

In labóre hóminum non sunt, * et cum homínibus non flagellabúntur:

Ideo ténuit eos supérbia, * opérti sunt iniquitáte et impietáte sua.

Pródiit quasi ex ádipe iníquitas eórum: * transiérunt in affféctum cordis.

Cogitavérunt, et locúti sunt nequítiam: * iniquitátem in excélso locúti sunt.

Posuérunt in cælum os suum: * et lingua eórum transívit in terra. [Gl.]

Psalmus 72, ii

Ideo convertétur pópulus meus hic: * et dies pleni inveniéntur in eis.

Et dixérunt: Quómodo scit Deus, * et si est sciéntia in excélso?

Ecce ipsi peccatóres, et abundántes in sæculo, * obtinuérunt divítias.

Et dixi: ℣. Ergo sine causa iustificávi cor meum, * et lavi inter innocéntes manus meas:

Et fui flagellátus tota die, * et castigátio mea in matutínis.

Si dicébam: Narrábo sic: * ecce natiónem filiórum tuórum reprobávi.

Existimábam ut cognóscerem hoc, * labor est ante me:

Donec intrem in Sanctuárium Dei: * et intélligam in novíssimis eórum.

Psalmus 72, iii

Verúmtamen propter dolos posuísti eis: * deiecísti eos dum allevaréntur.

Quómodo facti sunt in desolatiónem, súbito defecérunt: * periérunt propter iniquitátem suam.

Velut sómnium surgéntium, Dómine, * in civitáte tua imáginem ipsórum ad níhilum rédiges.

Quia inflammátum est cor meum, ℣. et renes mei commutáti sunt: * et ego ad níhilum redáctus sum, et nescívi.

Ut iuméntum factus sum apud te: * et ego semper tecum.

Tenuísti manum déxteram meam: ℣. et in voluntáte tua deduxísti me, * et cum glória suscepísti me.

Quid enim mihi est in cælo? * et a te quid vólui super terram?

Defécit caro mea, et cor meum: * Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Quia ecce, qui elóngant se a te, períbunt: * perdidísti omnes, qui fornicántur abs te.

Mihi autem adhærére Deo bonum est: * pónere in Dómino Deo spem meam:

Ut annúntiem omnes prædicatiónes tuas, * in portis fíliæ Sion.

Extra tempus paschale: Ant. Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam

ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Memor esto congregatiónis tuæ, Dómine, quam possedísti ab inítio.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 73, i

Ut quid, Deus, repulísti in finem: * irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ?

Memor esto congregatiónis tuæ, * quam possedísti ab inítio.

Redemísti virgam hereditátis tuæ: * mons Sion, in quo habitásti in eo.

Leva manus tuas in supérbias eórum in finem: * quanta malignátus est inimícus in sancto!

Et gloriáti sunt qui odérunt te: * in médio solemnitátis tuæ.

Posuérunt signa sua, signa: * et non cognovérunt sicut in éxitu super summum.

Quasi in silva lignórum secúribus excidérunt iánuas eius in idípsum: * in secúri et áscia deiecérunt eam.

Incendérunt igni Sanctuárium tuum: * in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

Dixérunt in corde suo cognátio eórum simul: * Quiéscere faciámus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vídimus, ℣. iam non est prophéta: * et nos non cognóscet ámplius.

Psalmus 73, ii

Usquequo, Deus, improperábit inimícus: * irrítat adversárius nomen tuum in finem?

Ut quid avértis manum tuam, et déxteram tuam, * de médio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante sæcula: * operátus est salútem in médio terræ.

Tu confirmásti in virtúte tua mare: * contribulásti cápita dracónum in aquis.

Tu confregísti cápita dracónis: * dedísti eum escam pópulis Æthíopum.

Tu dirupísti fontes, et torréntes: * tu siccásti flúvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricátus es auróram et solem.

Tu fecísti omnes términos terræ: * æstátem et ver tu plasmásti ea.

Psalmus 73, iii

Memor esto huius, inimícus improperávit Dómino: * et pópulus insípiens incitávit nomen tuum.

Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi, * et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Réspice in testaméntum tuum: * quia repléti sunt, qui obscuráti sunt terræ dómibus iniquitátum.

Ne avertátur húmilis factus confúsus: * pauper et inops laudábunt nomen tuum.

Exsúrge, Deus, iúdica causam tuam: * memor esto improperiórum tuórum, eórum quæ ab insipiénte sunt tota die.

Ne obliviscáris voces inimicórum tuórum: * supérbia eórum, qui te odérunt, ascéndit semper.

Extra tempus paschale: Ant. Memor esto congregatiónis tuæ, Dómine, quam possedísti ab inítio.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam. ℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Successibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Invocábimus nomen tuum, Dómine: narrábimus mirabília tua.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 74

Confitébimur tibi, Deus: * confitébimur, et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego iustítias iudicábo.

Liquefácta est terra, et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas eius.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus iudex est.

Hunc humíliat, et hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri plenus misto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx eius non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Iacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * et exaltabúntur córnua iusti.

Psalmus 75, i

Notus in Iudæa Deus: * in Israël magnum nomen eius.

Et factus est in pace locus eius: * et habitátio eius in Sion.

Ibi confrégit poténtias árcuum, * scutum, gládium, et bellum.

Illúminans tu mirabíliter a móntibus ætérnis: * turbáti sunt omnes insipiéntes corde.

Dormiérunt somnum suum: * et nihil invenérunt omnes viri divitiárum in mánibus suis.

Ab increpatióne tua, Deus Iacob, * dormitavérunt qui ascendérunt equos.

Psalmus 75, ii

Tu terríbilis es, et quis resístet tibi? * ex tunc ira tua.

De cælo audítum fecísti iudícium: * terra trémuit et quiévit,

Cum exsúrgeret in iudícium Deus, * ut salvos fáceret omnes mansuétos terræ.

Quóniam cogitátio hóminis confitébitur tibi: * et relíquiæ cogitatiónis diem festum agent tibi.

Vovéte, et réddite Dómino, Deo vestro: * omnes, qui in circúitu eius affértis múnera.

Terríbili et ei qui aufert spíritum príncipum, * terríbili apud reges terræ.

Extra tempus paschale: Ant. Invocábimus nomen tuum, Dómine: narrábimus mirabília tua.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum. †

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 132

Ecce quam bonum et quam iucúndum * habitáre fratres in unum:

† Sicut unguéntum in cápite, * quod descéndit in barbam, barbam Aaron,

Quod descéndit in oram vestiménti eius: * sicut ros Hermon, qui descéndit in montem Sion.

Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, * et vitam usque in sæculum.

Ant. Ecce quam bonum et quam iucúndum habitáre fratres in unum.

Ant. 2 Confitémini Dómino, quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Psalmus 135, i

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Deo deórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Dómino dominórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui facit mirabília magna solus: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui fecit cælos in intellléctu: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui firmávit terram super aquas: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui fecit luminária magna: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Solem in potestátem diéi: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Lunam, et stellas in potestátem noctis: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Ant. Confitémini Dómino, quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Ant. 3 Confitémini Dómino, quia in humilitáte nostra memor fuit nostri.

Psalmus 135, ii

Qui percússit Ægýptum cum primogénitis eórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui edúxit Israël de médio eórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

In manu poténti, et bráchio excélso: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui divísit Mare Rubrum in divisiónes: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et edúxit Israël per médium eius: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et excússit Pharaónem, et virtútem eius in Mari Rubro: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui tradúxit pópulum suum per desértum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui percússit reges magnos: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et occídit reges fortes: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Sehon, regem Amorrhæórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et Og, regem Basan: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et dedit terram eórum hereditátem: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Hereditátem Israël, servo suo: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Quia in humilitáte nostra memor fuit nostri: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Et redémit nos ab inimícis nostris: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Qui dat escam omni carni: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Deo cæli: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Confitémini Dómino dominórum: * quóniam in ætérnum misericórdia eius.

Ant. Confitémini Dómino, quia in humilitáte nostra memor fuit nostri.

Ant. 4 Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, Ierúsalem.

Psalmus 136

Super flúmina Babylónis, illic sédimus et flévimus: * cum recordarémur Sion:

In salícibus in médio eius, * suspéndimus órgana nostra.

Quia illic interrogavérunt nos, qui captívos duxérunt nos, * verba cantiónum:

Et qui abduxérunt nos: * Hymnum cantáte nobis de cánticis Sion.

Quómodo cantábimus cánticum Dómini * in terra aliéna?

Si oblítus fúero tui, Ierúsalem, * oblivióni detur déxtera mea.

Adhæreat lingua mea fáucibus meis, * si non memínero tui:

Si non proposúero Ierúsalem, * in princípio lætítiæ meæ.

Memor esto, Dómine, filiórum Edom, * in die Ierúsalem:

Qui dicunt: Exinaníte, exinaníte * usque ad fundaméntum in ea.

Fília Babylónis mísera: * beátus, qui retríbuet tibi retributiónem tuam, quam retribuísti nobis.

Beátus, qui tenébit, * et allídet párvulos tuos ad petram.

Ant. Adhæreat lingua mea fáucibus meis, si non memínero tui, Ierúsalem.

Ant. 5 Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia et veritáte tua.

Psalmus 137

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Extra tempus paschale:

Ant. Confitébor nómini tuo, Dómine, super misericórdia et veritáte tua.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem:
Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.
Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpis ílligat.
Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prǽmium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Per annum

Ad Magnif. ant. Fecit Deus poténtiam in bráchio suo: dispérsit supérbos mente cordis sui.

Tempore Septuagesimæ antiphona ad Magnificat ut in Officio de Tempore.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Adiútor meus et liberátor meus esto, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 69

Deus, in adiutórium meum inténde: * Dómine, ad adiuvándum me festína.

Confundántur et revereántur, * qui quærunt ánimam meam.

Avertántur retrórsum et erubéscant, * qui volunt mihi mala.

Avertántur statim erubescéntes, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus, qui díligunt salutáre tuum.

Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádiuva me.

Adiútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.

Psalmus 70, i

In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: * in iustítia tua líbera me, et éripe me.

Inclína ad me aurem tuam, * et salva me.

Esto mihi in Deum protectórem, ℣ et in locum munítum: * ut salvum me fácias,

Quóniam firmaméntum meum, * et refúgium meum es tu.

Deus meus, éripe me de manu peccatóris, * et de manu contra legem agéntis et iníqui:

Quóniam tu es patiéntia mea, Dómine: * Dómine, spes mea a iuventúte mea.

In te confirmátus sum ex útero: * de ventre matris meæ tu es protéctor meus.

In te cantátio mea semper: * tamquam prodígium factus sum multis: et tu adiútor fortis.

Repleátur os meum laude, ut cantem glóriam tuam: * tota die magnitúdinem tuam.

Ne proícias me in témpore senectútis: * cum defécerit virtus mea, ne derelínquas me.

Quia dixérunt inimíci mei mihi: * et qui custodiébant ánimam meam, consílium fecérunt in unum,

Dicéntes: Deus derelíquit eum, ℣ persequímini et comprehéndite eum: * quia non est qui erípiat.

Deus, ne elongéris a me: * Deus meus, in auxílium meum réspice.

Psalmus 70, ii

Confundántur et defíciant detraéntes ánimæ meæ: * operiántur confusióne et pudóre qui quærunt mala mihi.

Ego autem semper sperábo: * et adíciam super omnem laudem tuam.

Os meum annuntiábit iustítiam tuam: * tota die salutáre tuum.

Quóniam non cognóvi litteratúram, introíbo in poténtias Dómini: * Dómine, memorábor iustítiæ tuæ solíus.

Deus, docuísti me a iuventúte mea: * et usque nunc pronuntiábo mirabília tua.

Et usque in senéctam et sénium: * Deus, ne derelínquas me,

Donec annúntiem brachium tuum * generatióni omni, quæ ventúra est:

Poténtiam tuam et iustítiam tuam, Deus, usque in altíssima, quæ fecísti magnália: * Deus, quis símilis tibi?

Quantas ostendísti mihi tribulatiónes multas et malas: ℣ et convérsus vivificásti me: * et de abýssis terræ íterum reduxísti me:

Multiplicásti magnificéntiam tuam: * et convérsus consolátus es me.

Nam et ego confitébor tibi in vasis psalmi veritátem tuam: * Deus, psallam tibi in cíthara, Sanctus Israël.

Exsultábunt lábia mea cum cantávero tibi: * et ánima mea, quam redemísti.

Sed et lingua mea tota die meditábitur iustítiam tuam: * cum confúsi et revériti fúerint qui quærunt mala mihi.

Extra tempus paschale:

Ant. Adiútor meus et liberátor meus esto, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

FERIA SEXTA

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur feria VI per annum, tempore Septuagesimæ et Quadragesimæ.

Invit. Dóminum Deum nostrum, * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte 549.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter canéntes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Suscitávit Dóminus testimónium in Iacob: et legem pósuit in Israël.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 77, i

Atténdite, pópule meus, legem meam: * inclináte aurem vestram in verba oris mei.

Apériam in parábolis os meum: * loquar propositiónes ab inítio.

Quanta audívimus et cognóvimus ea: * et patres nostri narravérunt nobis.

Non sunt occultáta a fíliis eórum, * in generatióne áltera.

Narrántes laudes Dómini, et virtútes eius, * et mirabília eius, quæ fecit.

Et suscitávit testimónium in Iacob: * et legem pósuit in Israël.

Quanta mandávit pátribus nostris nota fácere ea fíliis suis: * ut cognóscat generátio áltera.

Fílii qui nascéntur, et exsúrgent, * et narrábunt fíliis suis,

Ut ponant in Deo spem suam, ℣ et non obliviscántur óperum Dei: * et mandáta eius exquírant.

Ne fiant sicut patres eórum: * generátio prava et exásperans.

Generátio, quæ non diréxit cor suum: * et non est créditus cum Deo spíritus eius.

Ant. Suscitávit Dóminus testimónium in Iacob: et legem pósuit in Israël.

Ant. 2 Coram pátribus eórum fecit Deus mirabília.

Psalmus 77, ii

Fílii Ephrem intendéntes et mitténtes arcum: * convérsi sunt in die belli.

Non custodiérunt testaméntum Dei: * et in lege eius noluérunt ambuláre.

Et oblíti sunt benefactórum eius, * et mirabílium eius quæ osténdit eis.

Coram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægýpti, * in campo Táneos.

Interrúpit mare, et perdúxit eos: * et státuit aquas quasi in utre.

Et dedúxit eos in nube diéi: * et tota nocte in illuminatióne ignis.

Interrúpit petram in erémo: * et adaquávit eos velut in abýsso multa.

Et edúxit aquam de petra: * et dedúxit tamquam flúmina aquas.

Ant. Coram pátribus eórum fecit Deus mirabília.

Ant. 3 Iánuas cæli apéruit Dóminus, et pluit illis manna ad manducándum.

Psalmus 77, iii

Et apposuérunt adhuc peccáre ei: * in iram excitavérunt Excélsum in inaquóso.

Et tentavérunt Deum in córdibus suis, * ut péterent escas animábus suis.

Et male locúti sunt de Deo: * dixérunt: Numquid póterit Deus paráre mensam in desérto?

Quóniam percússit petram, et fluxérunt aquæ, * et torréntes inundavérunt.

Numquid et panem póterit dare, * aut paráre mensam pópulo suo?

Ideo audívit Dóminus, et dístulit: * et ignis accénsus est in Iacob, et ira ascéndit in Israël:

Quia non credidérunt in Deo, * nec speravérunt in salutári eius:

Et mandávit núbibus désuper, * et iánuas cæli apéruit.

Et pluit illis manna ad manducándum, * et panem cæli dedit eis.

Panem Angelórum manducávit homo, * cibária misit eis in abundántia.

Tránstulit Austrum de cælo: * et indúxit in virtúte sua Africum.

Et pluit super eos sicut púlverem carnes: * et sicut arénam maris volatília pennáta.

Et cecidérunt in médio castrórum eórum: * circa tabernácula eórum.

Et manducavérunt, et saturáti sunt nimis, ℣ et desidérium eórum áttulit eis: * non sunt fraudáti a desidério suo.

Adhuc escæ eórum erant in ore ipsórum: * et ira Dei ascéndit super eos.

Et occídit pingues eórum, * et eléctos Israël impedívit.

Ant. Iánuas cæli apéruit Dóminus, et pluit illis manna ad manducándum.

Ant. 4 Deus adiútor est eórum: et Excélsus redémptor eórum est.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 77, iv

In ómnibus his peccavérunt adhuc: * et non credidérunt in mirabílibus eius.

Et defecérunt in vanitáte dies eórum: * et anni eórum cum festinatióne.

Cum occíderet eos, quærébant eum: * et revertebántur, et dilúculo veniébant ad eum.

Et rememoráti sunt quia Deus adiútor est eórum: * et Deus excélsus redémptor eórum est.

Et dilexérunt eum in ore suo, * et lingua sua mentíti sunt ei:

Cor autem eórum non erat rectum cum eo: * nec fidéles hábiti sunt in testaménto eius.

Ipse autem est miséricors, ℣ et propítius fiet peccátis eórum: * et non dispérdet eos.

Et abundávit ut avérteret iram suam: * et non accéndit omnem iram suam:

Et recordátus est quia caro sunt: * spíritus vadens, et non rédiens.

Quóties exacerbavérunt eum in desérto, * in iram concitavérunt eum in inaquóso?

Et convérsi sunt, et tentavérunt Deum: * et Sanctum Israël exacerbavérunt.

Ant. Deus adiútor est eórum: et Excélsus redémptor eórum est.

Ant. 5 Redémit eos Dóminus de manu tribulántis.

Psalmus 77, v

Non sunt recordáti manus eius, * die qua redémit eos de manu tribulántis.

Sicut pósuit in Ægýpto signa sua, * et prodígia sua in campo Táneos.

Et convértit in sánguinem flúmina eórum, * et imbres eórum, ne bíberent.

Misit in eos cœnomyíam, et comédit eos: * et ranam, et dispérdidit eos.

Et dedit ærúgini fructus eórum, * et labóres eórum locústæ.

Et occídit in grándine víneas eórum, * et moros eórum in pruína.

Et trádidit grándini iuménta eórum: * et possessiónem eórum igni.

Misit in eos iram indignatiónis suæ: ℣ indignatiónem, et iram, et tribulatiónem: * immissiónes per ángelos malos.

Viam fecit sémitæ iræ suæ, ℣ non pepércit a morte animábus eórum: * et iuménta eórum in morte conclúsit.

Et percússit omne primogénitum in terra Ægýpti: * primítias omnis labóris eórum in tabernáculis Cham.

Et ábstulit sicut oves pópulum suum: * et perdúxit eos tamquam gregem in desérto.

Et dedúxit eos in spe, et non timuérunt: * et inimícos eórum opéruit mare.

Et indúxit eos in montem sanctificatiónis suæ, * montem, quem acquisívit déxtera eius.

Et eiécit a fácie eórum gentes: * et sorte divísit eis terram in funículo distributiónis.

Et habitáre fecit in tabernáculis eórum * tribus Israël.

Et tentavérunt, et exacerbavérunt Deum excélsum: * et testimónia eius non custodiérunt.

Et avertérunt se, et non servavérunt pactum: * quemádmodum patres eórum, convérsi sunt in arcum pravum.

In iram concitavérunt eum in cóllibus suis: * et in sculptílibus suis ad æmulatiónem eum provocavérunt.

Ant. Redémit eos Dóminus de manu tribulántis.

Ant. 6 Ædificávit Deus sanctifícium suum in terra.

Psalmus 77, vi

Audívit Deus, et sprevit: * et ad níhilum redégit valde Israël.

Et répulit tabernáculum Silo, * tabernáculum suum, ubi habitávit in homínibus.

Et trádidit in captivitátem virtútem eórum: * et pulchritúdinem eórum in manus inimíci.

Et conclúsit in gládio pópulum suum: * et hereditátem suam sprevit.

Iúvenes eórum comédit ignis: * et vírgines eórum non sunt lamentátæ.

Sacerdótes eórum in gládio cecidérunt: * et víduæ eórum non plorabántur.

Et excitátus est tamquam dórmiens Dóminus, * tamquam potens crapulátus a vino.

Et percússit inimícos suos in posterióra: * oppróbrium sempitérnum dedit illis.

Et répulit tabernáculum Ioseph: * et tribum Ephraim non elégit:

Sed elégit tribum Iuda, * montem Sion quem diléxit.

Et ædificávit sicut unicórnium sanctifícium suum in terra, * quam fundávit in sæcula.

Et elégit David, servum suum, ℣ et sústulit eum de grégibus óvium: * de post fetántes accépit eum,

Páscere Iacob, servum suum, * et Israël, hereditátem suam:

Et pavit eos in innocéntia cordis sui: * et in intellléctibus mánuum suárum dedúxit eos.

Ant. Ædificávit Deus sanctifícium suum in terra.

Ant. 7 Adiuva nos, Deus, salutáris noster: et propítius esto peccátis nostris.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 78

Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, ℣ polluérunt templum sanctum tuum: * posuérunt Ierúsalem in pomórum custódiam.

Posuérunt morticína servórum tuórum, escas volatílibus cæli: * carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Effudérunt sánguinem eórum tamquam aquam in circúitu Ierúsalem: * et non erat qui sepelíret.

Facti sumus oppróbrium vicínis nostris: * subsannátio et illúsio his, qui in circúitu nostro sunt.

Usquequo, Dómine, irascéris in finem: * accendétur velut ignis zelus tuus?

Effúnde iram tuam in gentes, quæ te non novérunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocavérunt:

Quia comedérunt Iacob: * et locum eius desolavérunt.

Ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum, ℣ cito antícipent nos misericórdiæ tuæ: * quia páuperes facti sumus nimis.

Adiuva nos, Deus, salutáris noster: ℣ et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: * et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum:

Ne forte dicant in géntibus: Ubi est Deus eórum? * et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris.

Ultio sánguinis servórum tuórum, qui effúsus est: * intróeat in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Secúndum magnitúdinem bráchii tui, * pósside fílios mortificatórum.

Et redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: * impropérium ipsórum, quod exprobravérunt tibi, Dómine.

Nos autem pópulus tuus, et oves páscuæ tuæ, * confitébimur tibi in sæculum.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábimus laudem tuam.

Ant. Adiuva nos, Deus, salutáris noster: et propítius esto peccátis nostris.

Ant. 8 Ego sum Dóminus Deus tuus, Israël, qui edúxi te de terra Ægýpti.

Psalmus 80

Exsultáte Deo, adiutóri nostro: * iubiláte Deo Iacob.

Súmite psalmum, et date týmpanum: * psaltérium iucúndum cum cíthara.

Buccináte in Neoménia tuba, * in insígni die solemnitátis vestræ.

Quia præcéptum in Israël est: * et iudícium Deo Iacob.

Testimónium in Ioseph pósuit illud, cum exíret de terra Ægýpti: * linguam, quam non nóverat, audívit.

Divértit ab onéribus dorsum eius: * manus eius in cóphino serviérunt.

In tribulatióne invocásti me, et liberávi te: * exaudívi te in abscóndito tempestátis: probávi te apud aquam contradictiónis.

Audi, pópulus meus, et contestábor te: * Israël, si audíeris me, non erit in te deus recens, neque adorábis deum aliénum.

Ego enim sum Dóminus Deus tuus, qui edúxi te de terra Ægýpti: * diláta os tuum, et implébo illud.

Et non audívit pópulus meus vocem meam: * et Israël non inténdit mihi.

Et dimísi eos secúndum desidéria cordis eórum, * ibunt in adinventiónibus suis.

Si pópulus meus audísset me: * Israël si in viis meis ambulásset:

Pro níhilo fórsitan inimícos eórum humiliássem: * et super tribulántes eos misíssem manum meam.

Inimíci Dómini mentíti sunt ei: * et erit tempus eórum in sæcula.

Et cibávit eos ex ádipe fruménti: * et de petra, melle saturávit eos.

Ant. Ego sum Dóminus Deus tuus, Israël, qui edúxi te de terra Ægýpti.

Ant. 9 Ne táceas, Deus, quóniam inimíci tui extulérunt caput.

Psalmus 82

Deus, quis símilis erit tibi? * Ne táceas, neque compescáris, Deus:

Quóniam ecce inimíci tui sonuérunt: * et qui odérunt te, extulérunt caput.

Super pópulum tuum malignavérunt consílium: *

et cogitavérunt advérsus sanctos tuos.

Dixérunt: Veníte, et disperdámus eos de gente: * et non memorétur nomen Israël ultra.

Quóniam cogitavérunt unanímiter: * simul advérsum te testaméntum disposuérunt, tabernácula Idumæórum et Ismahelítæ:

Moab, et Agaréni, Gebal, et Ammon, et Amalec: * alienígenæ cum habitántibus Tyrum.

Etenim Assur venit cum illis: * facti sunt in adiutórium fíliis Lot.

Fac illis sicut Mádian, et Sísaræ: * sicut Iabin in torrénte Cisson.

Disperiérunt in Endor: * facti sunt ut stercus terræ.

Pone príncipes eórum sicut Oreb, et Zeb, * et Zébee, et Sálmana:

Omnes príncipes eórum: * qui dixérunt: Hereditáte possideámus Sanctuárium Dei.

Deus meus, pone illos ut rotam: * et sicut stípulam ante fáciem venti.

Sicut ignis qui combúrit silvam: * et sicut flamma combúrens montes:

Ita persequéris illos in tempestáte tua: * et in ira tua turbábis eos.

Imple fácies eórum ignomínia: * et quærent nomen tuum, Dómine.

Erubéscant, et conturbéntur in sæculum sæculi: * et confundántur, et péreant.

Et cognóscant quia nomen tibi Dóminus: * tu solus Altíssimus in omni terra.

Extra tempus paschale:

Ant. Ne táceas, Deus, quóniam inimíci tui extulérunt caput.

In Officio feriali per annum et tempore Septuagesimæ, necnon in festis extra tempus paschale:

℣. Cognóscant quia nomen tibi Dóminus. ℟. Tu solus Altíssimus super omnem terram.

In Officio feriali tempore Adventus:

℣. Egrediétur virga de radíce Iesse. ℟. Et flos de radíce eius ascéndet.

In Officio feriali tempore Nativitatis:

℣. Notum fecit Dóminus. ℟. Salutáre suum.

In Officio feriali tempore Epiphaniæ:

℣. Omnes de Saba vénient. ℟. Aurum et thus deferéntes.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ:

℣. Ipse liberávit me de láqueo venántium. ℟. Et a verbo áspero.

In Officio feriali tempore Passionis:

℣. De ore leónis líbera me, Dómine. ℟. Et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus vere, allelúia. ℟. Et appáruit Simóni, allelúia.

In Officio feriali et in festis, tempore Ascensionis:

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculi ante Laudes I in Officio feriali

Tempore Nativitatis:

℣. Puer natus est nobis. ℟. Et fílius datus est nobis.

Tempore Epiphaniæ:

℣. Vídimus stellam eius in Oriénte. ℟. Et vénimus adoráre eum.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Resurrectionis:

℣. In resurrectióne tua, Christe, allelúia. ℟. Cæli et terra læténtur, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In feriis per annum, extra vigilias et Quatuor Tempora septembris occurrentibus, in feriis temporis natalicii et paschalis, atque in festis quolibet anni tempore celebrandis.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto eius.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 98

Dóminus regnávit, irascántur pópuli: * qui sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno: ℣ quóniam terríbile, et sanctum est: * et honor regis iudícium díligit.

Tu parásti directiónes: * iudícium et iustítiam in Iacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte scabéllum pedum eius: * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus eius: * et Sámuel inter eos, qui ínvocant nomen eius:

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia eius, * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis, et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte in monte sancto eius: * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Exaltáte Dóminum Deum nostrum, et adoráte in monte sancto eius.

Ant. 2 Eripe me de inimícis meis, Dómine: ad te confúgi.

Psalmus 142

Dómine, exáudi oratiónem meam: ℣ áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua iustítia.

Et non intres in iudícium cum servo tuo: * quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, ℣ meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me: * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum. [Gl.]

Ant. Eripe me de inimícis meis, Dómine: ad te confúgi.

Ant. 3 Benedixísti, Dómine, terram tuam: remisísti iniquitátem plebis tuæ.

Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * iustítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Benedixísti, Dómine, terram tuam: remisísti iniquitátem plebis tuæ.

Ant. 4 In Dómino iustificábitur et laudábitur omne semen Israël.

Canticum Isaiæ

Is. 45, 15-26

Vere tu es Deus abscónditus, * Deus Israël, Salvátor.

Confúsi sunt, et erubuérunt omnes: * simul abiérunt in confusiónem fabricatóres errórum.

Israël salvátus est in Dómino salúte ætérna: * non confundémini, et non erubescétis usque in sæculum sæculi.

Quia hæc dicit Dóminus creans cælos, * ipse Deus formans terram, et fáciens eam, ipse plastes eius:

Non in vanum creávit eam, ut habitarétur, formávit eam: * Ego Dóminus, et non est álius.

Non in abscóndito locútus sum, * in loco terræ tenebróso:

Non dixi sémini Iacob frustra: Quærite me: * ego Dóminus loquens iustítiam, annúntians recta.

Congregámini, et veníte, et accédite simul * qui salváti estis ex géntibus:

Nesciérunt qui levant lignum sculptúræ suæ, * et rogant deum non salvántem.

Annuntiáte, et veníte, et consiliámini simul: * Quis audítum fecit hoc ab ínitio, ex tunc prædíxit illud?

Numquid non ego Dóminus, ℣ et non est ultra Deus absque me? * Deus iustus, et salvans non est præter me.

Convertímini ad me, et salvi éritis, omnes fines terræ: * quia ego Deus, et non est álius.

In memetípso iurávi, ℣ egrediétur de ore meo iustítiæ verbum, * et non revertétur:

Quia mihi curvábitur omne genu, * et iurábit omnis lingua.

Ergo in Dómino, dicet, meæ sunt iustítiæ et impérium: * ad eum vénient, et confundéntur omnes qui repúgnant ei.

In Dómino iustificábitur et laudábitur * omne semen Israël.

Ant. In Dómino iustificábitur et laudábitur omne semen Israël.

Ant. 5 Lauda, Ierúsalem, Dóminum. †

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * † lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias, et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Extra tempus paschale: Ant. Lauda, Ierúsalem, Dóminum.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo. Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. Per víscera misericórdiæ Dei nostri visitávit nos Oriens ex alto.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 555.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Émitte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum et tempore Septuagesimæ:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In feriis Adventus, et a feria VI post dominicam Septuagesimæ usque ad feriam VI post dominicam I in Passione inclusive, necnon in Quatuor Temporibus septembris et vigiliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Feria VI ante vigiliam Nativitatis Domini, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Cor contrítum et humiliátum, Deus, non despícies.

Ant. 2 Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

2 Psalmus 142

Dómine, exáudi oratiónem meam: ℣ áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua iustítia.

Et non intres in iudícium cum servo tuo: * quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, ℣. meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me: * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me in æquitáte tua.

Ant. 3 Deus, tu convérsus vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te.

3 Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * iustítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Deus, tu convérsus vivificábis nos: et plebs tua lætábitur in te.

Ant. 4 Cum irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

4 Canticum Habacuc

Hab. 3, 1-19

Dómine, audívi auditiónem tuam, * et tímui.

Dómine, opus tuum, * in médio annórum vivífica illud:

In médio annórum notum fácies: * cum irátus fúeris, misericórdiæ recordáberis.

Deus ab Austro véniet, * et sanctus de monte Pharan:

Opéruit cælos glória eius: * et laudis eius plena est terra.

Splendor eius ut lux erit: * córnua in mánibus eius:

Ibi abscóndita est fortitúdo eius: * ante fáciem eius ibit mors.

Et egrediétur diábolus ante pedes eius. * Stetit, et mensus est terram.

Aspéxit, et dissólvit gentes: * et contríti sunt montes sæculi.

Incurváti sunt colles mundi, * ab itinéribus ætérnitátis eius.

Pro iniquitáte vidi tentória Æthiópiæ, * turbabúntur pelles terræ Mádian.

Numquid in flumínibus irátus es, Dómine? ℣. aut in flumínibus furor tuus? * vel in mari indignátio tua?

Qui ascéndes super equos tuos: * et quadrígæ tuæ salvátio.

Súscitans suscitábis arcum tuum: * iuraménta tríbubus quæ locútus es.

Flúvios scindes terræ: ℣. vidérunt te, et doluérunt montes: * gurges aquárum tránsiit.

Dedit abýssus vocem suam: * altitúdo manus suas levávit.

Sol, et luna stetérunt in habitáculo suo, * in luce sagittárum tuárum, ibunt in splendóre fulgurántis hastæ tuæ.

In frémitu conculcábis terram: * et in furóre obstupefácies gentes.

Egréssus es in salútem pópuli tui: * in salútem cum Christo tuo.

Percussísti caput de domo ímpii: * denudásti fundaméntum eius usque ad collum.

Maledixísti sceptris eius, ℣ cápiti bellatórum eius, * veniéntibus ut turbo ad dispergéndum me.

Exsultátio eórum * sicut eius, qui dévorat páuperem in abscóndito.

Viam fecísti in mari equis tuis, * in luto aquárum multárum.

Audívi, et conturbátus est venter meus: * a voce contremuérunt lábia mea.

Ingrediátur putrédo in óssibus meis, * et subter me scáteat.

Ut requiéscam in die tribulatiónis: * ut ascéndam ad pópulum accínctum nostrum.

Ficus enim non florébit: * et non erit germen in víneis.

Mentiétur opus olívæ: * et arva non áfferent cibum.

Abscindétur de ovíli pecus: * et non erit arméntum in præsépibus.

Ego autem in Dómino gaudébo: * et exsultábo in Deo Iesu meo.

Deus Dóminus fortitúdo mea: * et ponet pedes meos quasi cervórum.

Et super excélsa mea dedúcet me victor * in psalmis canéntem.

Ant. Cum irátus fúeris, Dómine, misericórdiæ recordáberis.

Ant. 5 Lauda Deum tuum, Sion, qui annúntiat iudícia sua Israël.

5 Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum, et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius, et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias, et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Ant. Lauda Deum tuum, Sion, qui annúntiat iudícia sua Israël.

Per annum capitulum, hymnus, versiculus et antiphona ad Benedictus ut in priori Laudum schemate 748.

Tempore Septuagesimæ capitulum, hymnus et versiculus ut in priori Laudum schemate 748; antiphona ad Benedictus ut in Officio de Tempore.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Ne discédas a me, Dómine: quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádiuvet.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 21, i

Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? * longe a salúte mea verba delictórum meórum.

Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: * et nocte, et non ad insipiéntiam mihi.

Tu autem in sancto hábitas, * laus Israël.

In te speravérunt patres nostri: * speravérunt, et liberásti eos.

Ad te clamavérunt, et salvi facti sunt: * in te speravérunt, et non sunt confúsi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * oppróbrium hóminum, et abiéctio plebis.

Omnes vidéntes me, derisérunt me: * locúti sunt lábiis, et movérunt caput.

Sperávit in Dómino, erípiat eum: * salvum fáciat eum, quóniam vult eum.

Quóniam tu es, qui extraxísti me de ventre: * spes mea ab ubéribus matris meæ.

In te proiéctus sum ex útero: ℣ de ventre matris meæ Deus meus es tu, * ne discésseris a me:

Quóniam tribulátio próxima est: * quóniam non est qui ádiuvet.

Psalmus 21, ii

Circumdedérunt me vítuli multi: * tauri pingues obsedérunt me.

Aperuérunt super me os suum, * sicut leo rápiens et rúgiens.

Sicut aqua effúsus sum: * et dispérsa sunt ómnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens * in médio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, ℣ et lingua mea adhæsit fáucibus meis: * et in púlverem mortis deduxísti me.

Quóniam circumdedérunt me canes multi: * concílium malignántium obsédit me.

Fodérunt manus meas et pedes meos: * dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Ipsi vero consideravérunt et inspexérunt me: * divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem.

Tu autem, Dómine, ne elongáveris auxílium tuum a me: * ad defensiónem meam cónspice.

Erue a frámea, Deus, ánimam meam: * et de manu canis únicam meam:

Salva me ex ore leónis: * et a córnibus unicórnium humilitátem meam.

Narrábo nomen tuum frátribus meis: * in médio ecclésiæ laudábo te.

Psalmus 21, iii

Qui timétis Dóminum, laudáte eum: * univérsum semen Iacob, glorificáte eum.

Tímeat eum omne semen Israël: * quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis:

Nec avértit fáciem suam a me: * et cum clamárem ad eum, exaudívit me.

Apud te laus mea in ecclésia magna: * vota mea reddam in conspéctu timéntium eum.

Edent páuperes, et saturabúntur: ℣ et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: * vivent corda eórum in sæculum sæculi.

Reminiscéntur et converténtur ad Dóminum * univérsi fines terræ:

Et adorábunt in conspéctu eius * univérsæ famíliæ géntium.

Quóniam Dómini est regnum: * et ipse dominábitur géntium.

Manducavérunt et adoravérunt omnes pingues terræ: * in conspéctu eius cadent omnes qui descéndunt in terram.

Et ánima mea illi vivet: * et semen meum sérviet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: * et annuntiábunt cæli iustítiam eius pópulo qui nascétur, quem fecit Dóminus.

Extra tempus paschale: Ant. Ne discédas a me, Dómine: quóniam tribulátio próxima est, quóniam non est qui ádiuvet.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére. Glória. Iesu Christe. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos pervenire fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra. Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.
Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Excita, Dómine, poténtiam tuam, ut salvos fácias nos.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 79, i

Qui regis Israël, inténde: * qui dedúcis velut ovem Ioseph.

Qui sedes super Chérubim, * manifestáre coram Ephraim, Béniamin, et Manásse.

Excita poténtiam tuam, et veni, * ut salvos fácias nos.

Deus, convérte nos: * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Dómine, Deus virtútum, * quoúsque irascéris super oratiónem servi tui?

Cibábis nos pane lacrimárum: * et potum dabis nobis in lácrimis in mensúra?

Posuísti nos in contradictiónem vicínis nostris: * et inimíci nostri subsannavérunt nos.

Deus virtútum, convérte nos: * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Psalmus 79, ii

Víneam de Ægýpto transtulísti: * eiecísti gentes, et plantásti eam.

Dux itíneris fuísti in conspéctu eius: * plantásti radíces eius, et implévit terram.

Opéruit montes umbra eius: * et arbústa eius cedros Dei.

Exténdit pálmites suos usque ad mare: * et usque ad flumen propágines eius.

Ut quid destruxísti macériam eius: * et vindémiant eam omnes, qui prætergrediúntur viam?

Exterminávit eam aper de silva: * et singuláris ferus depástus est eam.

Deus virtútum, convértere: * réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam.

Et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua: * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Incénsa igni, et suffóssa * ab increpatióne vultus tui períbunt.

Fiat manus tua super virum déxteræ tuæ: * et super fílium hóminis, quem confirmásti tibi.

Et non discédimus a te, vivificábis nos: * et nomen tuum invocábimus.

Dómine, Deus virtútum, convérte nos: * et osténde fáciem tuam, et salvi érimus.

Psalmus 81

Deus stetit in synagóga deórum: * in médio autem deos diiúdicat.

Usquequo iudicátis iniquitátem: * et fácies peccatórum súmitis?

Iudicáte egéno, et pupíllo: * húmilem, et páuperem iustificáte.

Erípite páuperem: * et egénum de manu peccatóris liberáte.

Nesciérunt, neque intellexérunt, ℣. in ténebris ámbulant: * movebúntur ómnia fundaménta terræ.

Ego dixi: Dii estis, * et fílii Excélsi omnes.

Vos autem sicut hómines moriémini: * et sicut unus de princípibus cadétis.

Surge, Deus, iúdica terram: * quóniam tu hereditábis in ómnibus géntibus.

Extra tempus paschale: Ant. Excita, Dómine, poténtiam tuam, ut salvos fácias nos.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:

Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 83, i

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cuius est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ꝛ ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Psalmus 83, ii

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Iacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abiéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab, et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ, et Tyrus, et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, ꝛ et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum, et príncipum: * horum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Extra tempus paschale: Ant. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et nihil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 88, i

Misericórdias Dómini * in ætérnum cantábo.

In generatiónem et generatiónem * annuntiábo veritátem tuam in ore meo.

Quóniam dixísti: In ætérnum misericórdia ædificábitur in cælis: * præparábitur véritas tua in eis.

Dispósui testaméntum eléctis meis, ℣. iurávi David, servo meo: * Usque in ætérnum præparábo semen tuum.

Et ædificábo in generatiónem et generatiónem * sedem tuam.

Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: * étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

Quóniam quis in núbibus æquábitur Dómino: * símilis erit Deo in fíliis Dei?

Deus, qui glorificátur in consílio sanctórum: * magnus et terríbilis super omnes qui in circúitu eius sunt.

Dómine, Deus virtútum, quis símilis tibi? * potens es, Dómine, et véritas tua in circúitu tuo.

Tu domináris potestáti maris: * motum autem flúctuum eius tu mítigas.

Tu humiliásti sicut vulnerátum, supérbum: * in bráchio virtútis tuæ dispersísti inimícos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, ℣. orbem terræ et plenitúdinem eius tu fundásti: * aquilónem, et mare tu creásti.

Thabor et Hermon in nómine tuo exsultábunt: * tuum bráchium cum poténtia.

Firmétur manus tua, et exaltétur déxtera tua: * iustítia et iudícium præparátio sedis tuæ.

Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam: * beátus pópulus, qui scit iubilatiónem.

Dómine, in lúmine vultus tui ambulábunt, ℣. et in nómine tuo exsultábunt tota die: * et in iustítia tua exaltabúntur.

Quóniam glória virtútis eórum tu es: * et in beneplácito tuo exaltábitur cornu nostrum.

Quia Dómini est assúmptio nostra, * et Sancti Israël, regis nostri.

Psalmus 88, ii

Tunc locútus es in visióne sanctis tuis, ℣. et dixísti: Pósui adiutórium in poténte: * et exaltávi eléctum de plebe mea.

Invéni David, servum meum: * óleo sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliábitur ei: * et bráchium meum confortábit eum.

Nihil proficiet inimícus in eo, * et fílius iniquitátis non appónet nocére ei.

Et concídam a fácie ipsíus inimícos eius: * et odiéntes eum in fugam convértam.

Et véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: * et in nómine meo exaltábitur cornu eius.

Et ponam in mari manum eius: * et in flumínibus déxteram eius.

Ipse invocábit me: Pater meus es tu: * Deus meus, et suscéptor salútis meæ.

Et ego primogénitum ponam illum * excélsum præ régibus terræ.

In ætérnum servábo illi misericórdiam meam: * et testaméntum meum fidéle ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen eius: * et thronum eius sicut dies cæli.

Si autem derelíquerint fílii eius legem meam: * et in iudíciis meis non ambuláverint:

Si iustítias meas profanáverint: * et mandáta mea non custodíerint:

Visitábo in virga iniquitátes eórum: * et in verbéribus peccáta eórum.

Misericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: * neque nocébo in veritáte mea:

Neque profanábo testaméntum meum: * et quæ procédunt de lábiis meis, non fáciam írrita.

Semel iurávi in sancto meo: ℣. Si David méntiar: * semen eius in ætérnum manébit.

Et thronus eius sicut sol in conspéctu meo, ℣. et sicut luna perfécta in ætérnum: * et testis in cælo fidélis.

Psalmus 88, iii

Tu vero repulísti et despexísti: * distulísti Christum tuum.

Evertísti testaméntum servi tui: * profanásti in terra Sanctuárium eius.

Destruxísti omnes sepes eius: * posuísti firmaméntum eius formídinem.

Diripuérunt eum omnes transeúntes viam: * factus est oppróbrium vicínis suis.

Exaltásti déxteram depriméntium eum: * lætificásti omnes inimícos eius.

Avertísti adiutórium gládii eius: * et non es auxiliátus ei in bello.

Destruxísti eum ab emundatióne: * et sedem eius in terram collisísti.

Minorásti dies témporis eius: * perfudísti eum confusióne.

Usquequo, Dómine, avértis in finem: * exardéscet sicut ignis ira tua?

Memoráre quæ mea substántia: * numquid enim vane constituísti omnes fílios hóminum?

Quis est homo, qui vivet, et non vidébit mortem: * éruet ánimam suam de manu ínferi?

Ubi sunt misericórdiæ tuæ antíquæ, Dómine, * sicut iurásti David in veritáte tua?

Memor esto, Dómine, oppróbrii servórum tuórum * (quod contínui in sinu meo) multárum géntium.

Quod exprobravérunt inimíci tui, Dómine, * quod exprobravérunt commutatiónem Christi tui.

Benedíctus Dóminus in ætérnum: * fiat, fiat.

Extra tempus paschale: Ant. Misericórdia et véritas præcédent fáciem tuam, Dómine.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD VESPERAS

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Dómine, probásti me et cognovísti me. †

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 138, i

Dómine, probásti me et cognovísti me: * † tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe: * sémitam meam, et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima, et antíqua: * tu formásti me, et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ eius, ita et lumen eius.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Ant. Dómine, probásti me et cognovísti me.

Ant. 2 Mirabília ópera tua, Dómine, et ánima mea cognóscit nimis.

Psalmus 138, ii

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto: * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, ℣. et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur: * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres: * viri sánguinum, declináte a me:

Quia dícitis in cogitatióne: * Accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos: * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * et deduc me in via ætérna.

Ant. Mirabília ópera tua, Dómine, et ánima mea cognóscit nimis.

Ant. 3 Ne derelínquas me, Dómine, virtus salútis meæ.

Psalmus 139

Eripe me, Dómine, ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum: * iuxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, ℣. in ignem deícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum iniústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus iudícium ínopis: * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen iusti confitebúntur nómini tuo: * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Ne derelínquas me, Dómine, virtus salútis meæ.

Ant. 4 Dómine, clamávi ad te, exáudi me. †

Psalmus 140

Dómine, clamávi ad te, exáudi me: * † inténde voci meæ, cum clamávero ad te.

Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo: * elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Pone, Dómine, custódiam ori meo: * et óstium circumstántiæ lábiis meis.

Non declínes cor meum in verba malítiæ, * ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Cum homínibus operántibus iniquitátem: * et non communicábo cum eléctis eórum.

Corrípiet me iustus in misericórdia, et increpábit me: * óleum autem peccatóris non impínguet caput meum.

Quóniam adhuc et orátio mea in beneplácitis eórum: * absórpti sunt iuncti petræ iúdices eórum.

Audient verba mea quóniam potuérunt: * sicut crassitúdo terræ erúpta est super terram.

Dissipáta sunt ossa nostra secus infernum: ℣. quia ad te, Dómine, Dómine, óculi mei: * in te sperávi, non áuferas ánimam meam.

Custódi me a láqueo, quem statuérunt mihi: * et a scándalis operántium iniquitátem.

Cadent in retiáculo eius peccatóres: * singuláriter sum ego donec tránseam.

Ant. Dómine, clamávi ad te, exáudi me.

Ant. 5 Educ de custódia ánimam meam, Dómine, ad confiténdum nómini tuo.

Psalmus 141

Voce mea ad Dominum clamávi: * voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

Effúndo in conspéctu eius oratiónem meam, * et tribulatiónem meam ante ipsum pronúntio.

In deficiéndo ex me spíritum meum, * et tu cognovísti sémitas meas.

In via hac, qua ambulábam, * abscondérunt láqueum mihi.

Considerábam ad déxteram, et vidébam: * et non erat qui cognósceret me.

Périit fuga a me, * et non est qui requírat ánimam meam.

Clamávi ad te, Dómine, * dixi: Tu es spes mea, pórtio mea in terra vivéntium.

Inténde ad deprecatiónem meam: * quia humiliátus sum nimis.

Líbera me a persequéntibus me: * quia confortáti sunt super me.

Educ de custódia ánimam meam ad confiténdum nómini tuo: * me exspéctant iusti, donec retríbuas mihi.

Extra tempus paschale: Ant. Educ de custódia ánimam meam, Dómine, ad confiténdum nómini tuo.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 2 Thess. 3

Dóminus dírigat corda et córpora nostra in caritáte Dei et patiéntia Christi.

Hymnus

Lucis Creátor óptime,
Lucem diérum próferens,
Primórdiis lucis novæ
Mundi parans oríginem:

Qui mane iunctum vésperi
Diem vocári præcipis:
Tetrum chaos illábitur,
Audi preces cum flétibus.

Ne mens graváta crímine
Vitæ sit exsul múnere:
Dum nil perénne cógitat,
Seséque culpisílligat.

Cælórum pulset íntimum,
Vitále tollat prémium:
Vitémus omne nóxium,
Purgémus omne péssimum.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito,
Regnans per omne sæculum. Amen.

℣. Dirigátur, Dómine, orátio mea. ℟. Sicut incénsum in conspéctu tuo.

Per annum

Ad Magnif. ant. Depósuit Dóminus poténtes de sede, et exaltávit húmiles.

Tempore Septuagesimæ antiphona ad Magnificat ut in Officio de Tempore.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi: neque oblíviscétur miseréri Deus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 76, i

Voce mea ad Dóminum clamávi: * voce mea ad Deum, et inténdit mihi.

In die tribulatiónis meæ Deum exquisívi, mánibus meis nocte contra eum: * et non sum decéptus.

Rénuit consolári ánima mea, ℣ memor fui Dei, et delectátus sum, et exercitátus sum: * et defécit spíritus meus.

Anticipavérunt vigílias óculi mei: * turbátus sum et non sum locútus.

Cogitávi dies antíquos: * et annos ætérnos in mente hábui.

Et meditátus sum nocte cum corde meo, * et exercitábar, et scopébam spíritum meum.

Numquid in ætérnum proíciet Deus: * aut non appónet ut complacítior sit adhuc?

Aut in finem misericórdiam suam abscíndet, * a generatióne in generatiónem?

Aut obliviscétur miseréri Deus? * aut continébit in ira sua misericórdias suas?

Et dixi: Nunc cœpi: * hæc mutátio déxteræ Excélsi.

Memor fui óperum Dómini: * quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

Et meditábor in ómnibus opéribus tuis: * et in adinventiónibus tuis exercébor.

Psalmus 76, ii

Deus, in sancto via tua: ℣ quis Deus magnus sicut Deus noster? * tu es Deus qui facis mirabília.

Notam fecísti in pópulis virtútem tuam: * redemísti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Iacob et Ioseph.

Vidérunt te aquæ, Deus, ℣ vidérunt te aquæ: * et timuérunt, et turbátæ sunt abýssi.

Multitúdo sónitus aquárum: * vocem dedérunt nubes.

Etenim sagíttæ tuæ tránseunt: * vox tonítrui tui in rota.

Illuxérunt coruscatiónes tuæ orbi terræ: * commóta est et contrémuit terra.

In mari via tua, et sémitæ tuæ in aquis multis: * et vestígia tua non cognoscéntur.

Deduxísti sicut oves pópulum tuum, * in manu Móysi et Aaron.

Psalmus 85

Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: * quóniam inops et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, ℣ vénient et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, ℣ et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum, ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ et verax.

Réspice in me, et miserére mei, ℣ da impérium tuum púero tuo: * et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ℣ ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adiuvísti me et consolátus es me.

Extra tempus paschale: Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi: neque obliviscétur miseréri Deus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

SABBATO

AD MATUTINUM

Omnia ut in Ordinario 549, præter sequentia:

In Officio feriali

Sequens invitatorium dicitur sabbato per annum et tempore Quadragesimæ.

Invit. Pópulus Dómini, et oves páscuæ eius: * Veníte, adorémus.

Ps. 94 Veníte 549.

Per annum et tempore Septuagesimæ

Hymnus

Nocte surgéntes vigilémus omnes,
Semper in psalmis meditémur, atque
Víribus totis Dómino canámus
Dúlciter hymnos.

Ut pio Regi páriter caneántes
Cum suis sanctis mereámur aulam
Ingredi cæli, simul et beátam
Dúcere vitam.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

In Nocturno

Extra tempus paschale: Ant. 1 Memor fuit in sæculum testaménti sui Dóminus Deus noster.

Tempore paschali:

I

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 104, 1

Confitémini Dómino, et invocáte nomen eius: * annuntiáte inter gentes ópera eius.

Cantáte ei, et psállite ei: * narráte ómnia mirabília eius.

Laudámini in nómine sancto eius: * lætétur cor quæréntium Dóminum.

Quærite Dóminum, et confirmámini: * quærite fáciem eius semper.

Mementóte mirabílium eius, quæ fecit: * prodígia eius, et iudícia oris eius.

Semen Abraham, servi eius: * fílii Iacob, elécti eius.

Ipse Dóminus Deus noster: * in univérsa terra iudícia eius.

Memor fuit in sæculum testaménti sui: * verbi, quod mandávit in mille generatiónes:

Quod dispósuit ad Abraham: * et iuraménti sui ad Isaac:

Et státuit illud Iacob in præcéptum: * et Israël in testaméntum ætérnum:

Dicens: Tibi dabo terram Chánaan, * funículum hereditátis vestræ.

Cum essent número brevi, * paucíssimi et íncolæ eius:

Et pertransiérunt de gente in gentem, * et de regno ad pópulum álterum.

Non relíquit hóminem nocére eis: * et corrípuit pro eis reges.

Nolíte tángere christos meos: * et in prophétis meis nolíte malignári.

Ant. Memor fuit in sæculum testaménti sui Dóminus Deus noster.

Ant. 2 Auxit Dóminus pópulum suum: et firmávit eum super inimícos eius.

Psalmus 104, ii

Et vocávit famem super terram: * et omne firmaméntum panis contrívit.

Misit ante eos virum: * in servum venúmdatus est Ioseph.

Humiliavérunt in compédibus pedes eius, ferrum pertránsiit ánimam eius, * donec veníret verbum eius.

Elóquium Dómini inflammávit eum: * misit rex, et solvit eum; princeps populórum, et dimísit eum.

Constítuit eum dóminum domus suæ: * et príncipem omnis possessiónis suæ:

Ut erudíret príncipes eius sicut semetípsum: * et senes eius prudéntiam docéret.

Et intrávit Israël in Ægýptum: * et Iacob áccola fuit in terra Cham.

Et auxit pópulum suum veheménter: * et firmávit eum super inimícos eius.

Convértit cor eórum ut odírent pópulum eius: * et dolum fácerent in servos eius.

Misit Móysen, servum suum: * Aaron, quem elégit ipsum.

Pósuit in eis verba signórum suórum, * et prodigiórum in terra Cham.

Ant. Auxit Dóminus pópulum suum: et firmávit eum super inimícos eius.

Ant. 3 Edúxit Deus pópulum suum in exsultatióne, et eléctos suos in lætítia.

Psalmus 104, iii

Misit ténebras, et obscurávit: * et non exacerbávit sermónes suos.

Convértit aquas eórum in sánguinem: * et occídit pisces eórum.

Edidit terra eórum ranas * in penetrálibus regum ipsórum.

Dixit, et venit cœnomyía: * et cínifes in ómnibus fínibus eórum.

Pósuit plúvias eórum grándinem: * ignem comburéntem in terra ipsórum.

Et percússit víneas eórum, et ficúlneas eórum: * et contrívit lignum fínium eórum.

Dixit, et venit locústa, et bruchus, * cuius non erat número rus:

Et comédit omne fenum in terra eórum: * et comédit omnem fructum terræ eórum.

Et percússit omne primogénitum in terra eórum: * primítias omnis labóris eórum.

Et edúxit eos cum argénto et auro: * et non erat in tríbubus eórum infírmus.

Lætáta est Ægýptus in profectióne eórum: * quia incúbuit timor eórum super eos.

Expándit nubem in protectiónem eórum, * et ignem ut lucéret eis per noctem.

Petiérunt, et venit cotúrnix: * et pane cæli saturávit eos.

Dirúpit petram, et fluxérunt aquæ: * abiérunt in sicco flúmina;

Quóniam memor fuit verbi sancti sui, * quod hábuit ad Abraham, púerum suum.

Et edúxit pópulum suum in exsultatióne, * et eléctos suos in lætítia.

Et dedit illis regiónes géntium: * et labóres populórum possedérunt:

Ut custódiant iustificatiónes eius, * et legem eius requírant.

Ant. Edúxit Deus pópulum suum in exsultatióne, et eléctos suos in lætítia.

Ant. 4 Salvávit eos Dóminus propter nomen suum.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

II

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 105, i

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Quis loquétur poténtias Dómini, * audítas fáciet omnes laudes eius?

Beáti, qui custódiunt iudícium, * et fáciunt iustítiam in omni témpore.

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: * vísita nos in salutári tuo:

Ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ℣ ad lætándum in lætítia gentis tuæ: * ut laudéris cum hereditáte tua.

Peccávimus cum pátribus nostris: * iniúste égimus, iniquitátem fécimus.

Patres nostri in Ægýpto non intellexérunt mirabília tua: * non fuérunt mémores multitúdinis misericórdiæ tuæ.

Et irritavérunt ascendéntes in mare, * Mare Rubrum.

Et salvávit eos propter nomen suum: * ut notam fáceret poténtiam suam.

Et increpuit Mare Rubrum, et exsiccátum est: * et dedúxit eos in abýssis sicut in desérto.

Et salvávit eos de manu odiéntium: * et redémit eos de manu inimíci.

Et opéruit aqua tribuléntes eos: * unus ex eis non remánsit.

Et credidérunt verbis eius: * et laudavérunt laudem eius.

Cito fecérunt, oblíti sunt óperum eius: * et non sustinuérunt consílium eius.

Et concupiérunt concupiscéntiam in desérto: * et tentavérunt Deum in inaquóso.

Et dedit eis petitiónem ipsórum: * et misit saturitátem in ánimas eórum.

Ant. Salvávit eos Dóminus propter nomen suum.

Ant. 5 Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos.

Psalmus 105, ii

Et irritavérunt Móysen in castris: * Aaron, sanctum Dómini.

Apérta est terra, et deglutívit Dathan: * et opéruit super congregatiónem Abíron.

Et exársit ignis in synagóga eórum: * flamma combússit peccatóres.

Et fecérunt vítulum in Horeb: * et adoravérunt scúlptile.

Et mutavérunt glóriam suam * in similitúdinem vituli comedéntis fenum.

Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos, ℣ qui fecit magnália in Ægýpto, mirabília in terra Cham: * terribília in Mari Rubro.

Et dixit ut dispérderet eos: * si non Móyses, eléctus eius, stetísset in confractióne in conspéctu eius:

Ut avérteret iram eius ne dispérderet eos: * et pro níhilo habuérunt terram desiderábilem:

Non credidérunt verbo eius, ℣ et murmuravérunt in tabernáculis suis: * non exaudiérunt vocem Dómini.

Et elevávit manum suam super eos: * ut prostérneret eos in desérto:

Et ut deíceret semen eórum in natiónibus: * et dispérgeret eos in regiónibus.

Et initiáti sunt Beélphegor: * et comedérunt sacrifícia mortuórum.

Et irritavérunt eum in adinventiónibus suis: * et multiplicáta est in eis ruína.

Et stetit Phínees, et placávit: * et cessávit quassátio.

Et reputátum est ei in iustítiam, * in generatiónem et generatiónem usque in sempitérnum.

Ant. Oblíti sunt Deum, qui salvávit eos.

Ant. 6 Cum tribularéntur, vidit Dóminus et audívit oratiónem eórum.

Psalmus 105, iii

Et irritavérunt eum ad Aquas contradictiónis: ℣ et vexátus est Móyses propter eos: * quia exacerbavérunt spíritum eius.

Et distínxit in lábiis suis: * non disperdidérunt gentes, quas dixit Dóminus illis.

Et commísti sunt inter gentes, ℣ et didicérunt ópera eórum: et serviérunt sculptílibus eórum: * et factum est illis in scándalum.

Et immolavérunt fílios suos, * et fílias suas dæmóniis.

Et effudérunt sánguinem innocéntem: * sánguinem filiórum suórum et filiárum suárum, quas sacrificavérunt sculptílibus Chánaan.

Et infécta est terra in sanguínibus, ℣ et contamináta est in opéribus eórum: * et fornicáti sunt in adinventiónibus suis.

Et irátus est furóre Dóminus in pópulum suum: * et abominátus est hereditátem suam.

Et trádidit eos in manus géntium: * et domináti sunt eórum qui odérunt eos.

Et tribulavérunt eos inimíci eórum, ℣ et humiliáti sunt sub mánibus eórum: * sæpe liberávit eos.

Ipsi autem exacerbavérunt eum in consílio suo: * et humiliáti sunt in iniquitátibus suis.

Et vidit, cum tribularéntur: * et audívit oratiónem eórum.

Et memor fuit testaménti sui: * et pænítuit eum secúndum multitúdinem misericórdiæ suæ.

Et dedit eos in misericórdias * in conspéctu ómnium qui céperant eos.

Salvos nos fac, Dómine, Deus noster: * et cóngrega nos de natiónibus:

Ut confiteámur nómini sancto tuo: * et gloriémur in laude tua.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum: * et dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

Ant. Cum tribularéntur, vidit Dóminus et audívit oratiónem eórum.

Ant. 7 Clamavérunt ad Dóminum: et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndens Christus in altum, allelúia. ℟. Captívam duxit captivitátem, allelúia.

III

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 106, i

Confitémini Dómino quóniam bonus: * quóniam in sæculum misericórdia eius.

Dicant qui redémpti sunt a Dómino, ℣ quos redémit de manu inimíci: * et de regiónibus congregávit eos:

A solis ortu, et occásu: * ab aquilóne, et mari.

Erravérunt in solitúdine in inaquóso: * viam civitátis habitáculi non invenérunt.

Esuriéntes, et sitiéntes: * ánima eórum in ipsis defécit.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum erípuit eos.

Et dedúxit eos in viam rectam: * ut irent in civitátem habitatiónis.

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius: * et mirabília eius fíliis hóminum.

Quia satiávit ánimam inánem: * et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Sedéntes in ténebris, et umbra mortis: * vinctos in mendicitáte et ferro.

Quia exacerbavérunt elóquia Dei: * et consílium Altíssimi irritavérunt.

Et humiliátum est in labóribus cor eórum: * infirmáti sunt, nec fuit qui adiuváret.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Et edúxit eos de ténebris, et umbra mortis: * et víncula eórum disrúpit.

Ant. Clamavérunt ad Dóminum: et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Ant. 8 Ipsi vidérunt ópera Dei et mirabília eius.

Psalmus 106, ii

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius: * et mirabília eius fíliis hóminum.

Quia contrívit portas æreas: * et vectes férreos confrégit.

Suscépit eos de via iniquitátis eórum: * propter iniustítias enim suas humiliáti sunt.

Omnem escam abomináta est ánima eórum: * et appropinquavérunt usque ad portas mortis.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum liberávit eos.

Misit verbum suum, et sanávit eos: * et erípuit eos de interitiónibus eórum.

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius: * et mirabília eius fíliis hóminum.

Et sacrífícent sacrifícium laudis: * et annúntient ópera eius in exsultatióne.

Qui descéndunt mare in návibus, * faciéntes operatiónem in aquis multis.

Ipsi vidérunt ópera Dómini * et mirabília eius in profúndo.

Dixit, et stetit spíritus procéllæ: * et exaltáti sunt fluctus eius.

Ascéndunt usque ad cælos, ℣ et descéndunt usque ad abýssos: * ánima eórum in malis tabescébat.

Turbáti sunt, et moti sunt sicut ébrius: * et omnis sapiéntia eórum devoráta est.

Et clamavérunt ad Dóminum cum tribularéntur: * et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Et státuit procéllam eius in auram: * et siluérunt fluctus eius.

Et lætáti sunt quia siluérunt: * et dedúxit eos in portum voluntátis eórum. [Gl.]

Ant. Ipsi vidérunt ópera Dei et mirabília eius.

Ant. 9 Vidébunt recti, et lætabúntur, et intélligent misericórdias Dómini.

Psalmus 106, iii

Confiteántur Dómino misericórdiæ eius: * et mirabília eius fíliis hóminum.

Et exáltent eum in ecclésia plebis: * et in cáthedra seniórum laudent eum.

Pósuit flúmina in desértum: * et éxitus aquárum in sitim.

Terram fructíferam in salsúginem, * a malítia inhabitántium in ea.

Pósuit desértum in stagna aquárum: * et terram sine aqua in éxitus aquárum.

Et collocávit illic esuriéntes: * et constituérunt civitátem habitatiónis.

Et seminavérunt agros, et plantavérunt víneas: * et fecérunt fructum nativitátis.

Et benedíxit eis, et multiplicáti sunt nimis: * et iuménta eórum non minorávit.

Et pauci facti sunt: * et vexáti sunt a tribulatióne malórum, et dolóre.

Effúsa est contémptio super príncipes: * et erráre fecit eos in ínvio, et non in via.

Et adiúvit páuperem de inópia: * et pósuit sicut oves famílias.

Vidébunt recti, et lætabúntur: * et omnis iníquitas oppilábit os suum.

Quis sápiens et custódiet hæc? * et intélliget misericórdias Dómini?

Extra tempus paschale:

Ant. Vidébunt recti, et lætabúntur, et intélligent misericórdias Dómini.

In Officio feriali per annum, necnon in festis et in Officio de beata Maria in sabbato extra tempus paschale:

℣. Exáltent Dóminum in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum.

In Officio feriali tempore Adventus:

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

In Officio feriali tempore Quadragesimæ:

℣. Scápulis suis obumbrábit tibi. ℟. Et sub pennis eius sperábis.

In Officio feriali tempore Passionis:

℣. Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam. ℟. Et cum viris sánguinum vitam meam.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In festis et in Officio de beata Maria in sabbato, tempore Resurrectionis:

℣. Surréxit Dóminus de sepúlcro, allelúia. ℟. Qui pro nobis pepéndit in ligno, allelúia.

In festis et in Officio de beata Maria in sabbato, tempore Ascensionis, necnon in vigilia Pentecostes:

℣. Ascéndit Deus in iubilatióne, allelúia. ℟. Et Dóminus in voce tubæ, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 552.

Versiculus ante Laudes I

in Officio feriali

Tempore Ascensionis:

℣. Ascéndo ad Patrem meum et Patrem vestrum, allelúia. ℟. Deum meum et Deum vestrum, allelúia.

AD LAUDES I

In festis quolibet anni tempore celebrandis, et in Officio beatæ Mariæ in sabbato, necnon in vigilia Pentecostes.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Extra tempus paschale:

Ant. 1 Fílii Sion exsúltent in Rege suo.

Tempore paschali:

Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 149

Cantáte Dómino cánticum novum: * laus eius in ecclésia sanctórum.

Lætétur Israël in eo qui fecit eum: * et fílii Sion exsúltent in rege suo.

Laudent nomen eius in choro: * in týmpano, et psaltério psallant ei:

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * et exaltábit mansuétos in salútem.

Exsultábunt sancti in glória: * lætabúntur in cubílibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * et gládii ancípites in mánibus eórum.

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus: * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * et nóbiles eórum in mánicis férreis.

Ut fáciant in eis iudícium conscríptum: * glória hæc est ómnibus sanctis eius.

Ant. Fílii Sion exsúltent in Rege suo.

Ant. 2 Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

Psalmus 91

Bonum est confitéri Dómino: * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam: * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério: * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua: * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet: * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fenum: * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem:

Ut intéreant in sæculum sæculi: * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, ℣. quóniam ecce inimíci tui períbunt: * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum: * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos: * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Iustus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * et bene patiéntes erunt, ut annúntient:

Quóniam rectus Dóminus, Deus noster: * et non est iníquitas in eo.

Ant. Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine!

Ant. 3 Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo.

Psalmus 63

Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: ℣. intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta eius intellexérunt.

Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo.

Ant. 4 Osténde nobis, Dómine, lucem miseratiónum tuárum.

Canticum Ecclesiastici

Eccli. 36, 1-16

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, * et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum:

Et immítte timórem tuum super gentes, * quæ non exquisiérunt te,

Ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, * et enárrent magnália tua.

Alleva manum tuam super gentes aliénas, * ut vídeant poténtiam tuam.

Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, * sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis,

Ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus, * quóniam non est Deus præter te, Dómine.

Innova signa, et immúta mirabília. * Glorífica manum, et bráchium dextrum.

Excita furórem, et effúnde iram. * Tolle adversárium, et afflíge inimícum.

Festína tempus, et meménto finis, * ut enárrent mirabília tua.

In ira flammæ devorétur qui salvátur: * et qui péssimant plebem tuam, invéniant perditiónem.

Cóntere caput príncipum inimicórum, * dicéntium: Non est álius præter nos.

Cóngrega omnes tribus Iacob: ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, * et enárrent magnália tua:

Et hereditábis eos, * sicut ab inítio.

Miserére plebi tuæ, super quam invocátum est nomen tuum: * et Israël, quem coæquásti primogénito tuo.

Miserére civitáti sanctificatiónis tuæ Ierúsalem, * civitáti requiéi tuæ.

Reple Sion inenarrabílibus verbis tuis, * et glória tua pópulum tuum.

Ant. Osténde nobis, Dómine, lucem miseratiónum tuárum.

Ant. 5 Omnis spíritus laudet Dóminum.

Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: ℣. laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Extra tempus paschale:

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 554.

Versiculi ante Laudes II

Tempore Adventus:

℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion.

Per annum:

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

Tempore Quadragesimæ:

℣. In mánibus portábunt te. ℟. Ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tempore Passionis:

℣. Inténde ánimæ meæ, et líbera eam. ℟. Propter inimícos meos éripe me.

AD LAUDES II

In sabbatis Adventus, et a sabbato post cineres usque ad sabbatum post dominicam I in Passione inclusive, necnon in Quatuor Temporibus septembris et vigiliis II et III classis extra tempus paschale, quando fit Officium de feria.

Omnia ut in Ordinario 554, præter sequentia:

Ant. 1 Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion.

Sabbato ante vigiliam Nativitatis Domini, antiphonæ ut in Officio de Tempore.

1 Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi, et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes, et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion.

Ant. 2 Rectus Dóminus Deus noster: et non est iníquitas in eo.

2 Psalmus 91

Bonum est confitéri Dómino: * et psállere nómini tuo, Altíssime.

Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam: * et veritátem tuam per noctem.

In decachórdo psaltério: * cum cántico, in cíthara.

Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua: * et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * nimis profúndæ factæ sunt cogitatiónes tuæ.

Vir insípiens non cognóscet: * et stultus non intélliget hæc.

Cum exórti fúerint peccatóres sicut fenum: * et apparúerint omnes, qui operántur iniquitátem:

Ut intéreant in sæculum sæculi: * tu autem Altíssimus in ætérnum, Dómine.

Quóniam ecce inimíci tui, Dómine, ℣ quóniam ecce inimíci tui períbunt: * et dispergéntur omnes, qui operántur iniquitátem.

Et exaltábitur sicut unicórnis cornu meum: * et senéctus mea in misericórdia úberi.

Et despéxit óculus meus inimícos meos: * et in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

Iustus ut palma florébit: * sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Plantáti in domo Dómini, * in átriis domus Dei nostri florébunt.

Adhuc multiplicabúntur in senécta úberi: * et bene patiéntes erunt, ut annúntient:

Quóniam rectus Dóminus Deus noster: * et non est iníquitas in eo.

Ant. Rectus Dóminus Deus noster: et non est iníquitas in eo.

Ant. 3 A timóre inimíci éripe, Dómine, ánimam meam.

3 Psalmus 63

Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: ℣ intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum, et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta eius intellexérunt.

Lætábitur iustus in Dómino, et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. A timóre inimíci éripe, Dómine, ánimam meam.

Ant. 4 In servis suis miserébitur Dóminus: et propítius erit terræ pópuli sui.

4 Canticum Moysis

Deut. 32, 1-18

Audíte, cæli, quæ loquor: * áudiat terra verba oris mei.

Concréscat ut plúvia doctrína mea, * fluat ut ros elóquium meum,

Quasi imber super herbam, ℣ et quasi stillæ super grámina. * Quia nomen Dómini invocábo:

Date magnificéntiam Deo nostro. * Dei perfécta sunt ópera, et omnes viæ eius iudícia:

Deus fidélis, et absque ulla iniquitáte, iustus et rectus. * Peccavérunt ei, et non fílii eius in sórdibus:

Generátio prava atque pervérsa. * Hæccine reddis Dómino, pópule stulte et insípiens?

Numquid non ipse est pater tuus, * qui possédit te, et fecit, et creávit te?

Meménto diérum antiquórum, * cógita generatiónes síngulas:

Intérroga patrem tuum, et annuntiábit tibi: * maióres tuos, et dicent tibi.

Quando dividébat Altíssimus gentes: * quando separábat fílios Adam,

Constítuit términos populórum * iuxta número filiórum Israël.

Pars autem Dómini, pópulus eius: * Iacob funículus hereditátis eius.

Invénit eum in terra desérta, * in loco horróris, et vastæ solitúdinis:

Circumdúxit eum, et dócuit: * et custodívit quasi pupíllam óculi sui.

Sicut áquila próvocans ad volándum pullos suos, * et super eos vólitans,

Expándit alas suas, et assúmpsit eum, * atque portávit in húmeris suis.

Dóminus solus dux eius fuit: * et non erat cum eo deus aliénus.

Constítuit eum super excélsam terram: * ut coméderet fructus agrórum,

Ut súgeret mel de petra, * oleúmque de saxo duríssimo.

Butýrum de arménto, et lac de óvibus * cum ádipe agnórum, et aríetum filiórum Basan:

Et hircos cum medúlla trítici, * et sánguinem uvæ bíberet meracíssimum.

Incrassátus est diléctus, et recalcitrávit: * incrassátus, impinguátus, dilatátus.

Derelíquit Deum, factórem suum, * et recéssit a Deo, salutári suo.

Provocavérunt eum in diis aliénis, * et in abominatiónibus ad iracúndiam concitavérunt.

Immolavérunt dæmóniis, et non Deo, * diis, quos ignorábant:

Novi recentésque venérunt, * quos non coluérunt patres eórum.

Deum qui te génuit dereliquísti, * et oblítus es Dómini, creatóris tui.

Ant. In servis suis miserébitur Dóminus: et propítius erit terræ pópuli sui.

Ant. 5 Laudáte Dóminum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

5 Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: ℣ laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Ant. Laudáte Dóminum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

In Officio feriali per annum

Capitulum Rom. 13

Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus.

Hymnus

Ecce iam noctis tenuátur umbra,
Lucis auróra rútilans corúscat:
Nísibus totis rogitémus omnes
Cunctipoténtem.

Ut Deus noster miserátus omnem
Pellat languórem, tríbuat salútem,
Donet et nobis, pietáte Patris,
Regna polórum.

Præstet hoc nobis Déitas beáta
Patris ac Nati, paritérque Sancti
Spíritus, cuius réboat in omni
Glória mundo.
Amen.

℣. In matutínis, Dómine, meditábor in te. ℟. Quia fuísti adiútor meus.

Ad Bened. ant. Illúmina, Dómine, sedéntes in ténebris et umbra mortis, et dírige pedes nostros in viam pacis.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 555.

AD PRETIOSA

Omnia ut in Ordinario 555.

AD PRIMAM

Omnia ut in Ordinario 559, præter sequentia:

Hymnus

Iam lucis orto sídere
Deum precémur súpplices,
Ut in diúrnis áctibus
Nos servet a nocéntibus.

Linguam refrénans témperet,
Ne litis horror ínsonet:
Visum fovéndo cóntegat,
Ne vanitátes háuriat.

Sint pura cordis íntima,
Absístat et vecórdia:
Carnis terat supérbiam
Potus cibíque párcitas.

Ut, cum dies abscésserit
Noctémque sors redúxerit,
Mundi per abstinéntiam
Ipsi canámus glóriam.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Exaltáre, Dómine, qui iúdicas terram: redde retributiónem supérbis.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 93, 1

Deus ultiónum Dóminus: * Deus ultiónum líbere egit.

Exaltáre, qui iúdicas terram: * redde retributiónem supérbis.

Usquequo peccatóres, Dómine, * úsquequo peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur, et loquéntur iniquitátem: * loquéntur omnes, qui operántur iniustítiam?

Pópulum tuum, Dómine, humiliavérunt: * et hereditátem tuam vexavérunt.

Víduam, et ádvenam interfecérunt: * et pupíllos occidérunt.

Et dixérunt: Non vidébit Dóminus, * nec intélliget Deus Iacob.

Intellígite, insipiéntes in pópulo: * et stulti, aliquándo sápite.

Qui plantávit aurem, non áudiet? * aut qui finxit óculum, non considerat?

Qui córripit gentes, non árguet: * qui docet hóminem sciéntiam?

Dóminus scit cogitatiónes hóminum, * quóniam vanæ sunt. [Gl.]

Psalmus 93, ii

Beátus homo, quem tu erudíeris, Dómine: * et de lege tua docúeris eum,

Ut mítiges ei a diébus malis: * donec fodiátur peccatóri fóvea.

Quia non repéllet Dóminus plebem suam: * et hereditátem suam non derelínquet.

Quoadúsque iustítia convertátur in iudícium: * et qui iuxta illam omnes qui recto sunt corde.

Quis consúrget mihi advérsus malignántes? * aut quis stabit mecum advérsus operántes iniquitátem?

Nisi quia Dóminus adiúvit me: * paulo minus habitásset in inférno ánima mea.

Si dicébam: Motus est pes meus: * misericórdia tua, Dómine, adiuvábat me.

Secúndum multitúdinem dolórum meórum in corde meo: * consolatiónes tuæ lætificavérunt ánimam meam.

Numquid adhæret tibi sedes iniquitátis: * qui fingis labórem in præcépto?

Captábunt in ánimam iusti: * et sánguinem innocéntem condemnábunt.

Et factus est mihi Dóminus in refúgium: * et Deus meus in adiutórium spei meæ.

Et reddet illis iniquitátem ipsórum: ℣ et in malítia eórum dispérdet eos: * dispérdet illos Dóminus, Deus noster.

Psalmus 107

Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: * cantábo, et psallam in glória mea.

Exsúrge, glória mea, ℣ exsúrge, psaltérium et cíthara: * exsúrgam dilúculo.

Confitébor tibi in pópulis, Dómine: * et psallam tibi in natiónibus.

Quia magna est super cælos misericórdia tua: * et usque ad nubes véritas tua:

Exaltáre super cælos, Deus, ℣ et super omnem terram glória tua: * ut liberéntur dilécti tui.

Salvum fac déxtera tua, et exáudi me: * Deus locútus est in sancto suo:

Exsultábo, et dívidam Síchimam, * et convállem tabernaculórum dimétiar.

Meus est Gálaad, et meus est Manásses: * et Ephraim suscéptio cápitis mei.

Iuda rex meus: * Moab lebes spei meæ.

In Idumæam exténdam calceaméntum meum: * mihi alienígenæ amíci facti sunt.

Quis dedúcet me in civitátem munítam? * quis dedúcet me usque in Idumæam?

Nonne tu, Deus, qui repulísti nos, * et non exíbis, Deus, in virtútibus nostris?

Da nobis auxílium de tribulatióne: * quia vana salus hóminis.

In Deo faciémus virtútem: * et ipse ad níhilum dedúcet inimícos nostros.

Extra tempus paschale: Ant. Exaltáre, Dómine, qui iúdicas terram: redde retributiónem supérbis.

Tempore Adventus: Ant. Veni et líbera nos, Deus noster.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Vivo ego, dicit Dóminus: nolo mortem peccatóris, sed ut magis convertátur et vivat.

Tempore Passionis: Ant. Animæ impiórum fremébant advérsum me: et gravátum est cor meum super eos.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

Capitulum Zach. 8

Pacem et veritátem dilígite, ait Dóminus omnípotens.

℟. Iesu Christe, Fili Dei vivi, * Miserére nobis. Iesu Christe. ℣. Qui sedes ad déxteram Patris. Miserére. Glória. Iesu Christe. ℣. Exsúrge, Dómine, ádiuva nos. ℟. Et líbera nos propter nomen tuum.

Confíteor.

Oratio

Dómine Deus omnípotens, qui ad princípium huius diéi nos perveníre fecísti, tua nos hódie salva virtúte: ut in hac die ad nullum declinémus peccátum; sed semper ad tuam iustítiam faciéndam nostra procédant elóquia, dirigántur cogitatiónes et ópera. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

In festis

Capitulum 1 Tim. 1

Regi sæculórum immortáli et invisíbili, soli Deo honor et glória in sæcula sæculórum. Amen.

℟. Iesu Christe, ut supra.

Confíteor.

Oratio

In hac hora huius diéi tua nos, Dómine, reple misericórdia; ut per totum diem exsultántes in tuis láudibus iúgiter delectémur. Per Dóminum.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD TERTIAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Nunc Sancte nobis Spíritus,
Unum Patri cum Fílio,
Dignáre promptus íngeri
Nostro refúsus péctori.

Os, lingua, mens, sensus, vigor
Confessiónem pérsonent:
Flamméscat igne cáritas,
Accéndat ardor próximos.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale:
Ant. Clamor meus, Dómine, ad te pervéniat: non avértas fáciem tuam a me.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ:
Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia,

Psalmus 101, i

Dómine, exáudi oratiónem meam: * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fenum, et áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: * et qui laudábant me, advérsum me iurábant.

Quia cinerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * et ego sicut fenum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes: * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Psalmus 101, ii

Tu exsúrgens miserébemeans Sion: * quia tempus miseréndi eius, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides eius: * et terræ eius miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion: * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cælo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum: * ut sólveret fílios interemptórum:

Ut annúntient in Sion nomen Dómini: * et laudem eius in Ierúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Psalmus 101, iii

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti: * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes: * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur: * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt: * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Extra tempus paschale:
Ant. Clamor meus, Dómine, ad te pervéniat: non avértas fáciem tuam a me.

Tempore Adventus: Ant. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ Israël.

Tempore Quadragesimæ:
Ant. Advenérunt nobis dies pæniténtiæ, ad rediménda peccáta et salvándas ánimas.

Tempore Passionis: Ant. Iudicásti, Dómine, causam ánimæ meæ: defénsor vitæ meæ, Dómine Deus meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia,

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Ier. 17

Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es.

℟. Sana ánimam meam, * Quia peccávi tibi. Sana. ℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. Quia. Glória. Sana.

℣. Adiútor meus esto, Dómine: ne derelínquas me. ℟. Neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD SEXTAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rector potens, verax Deus,
Qui témperas rerum vices,
Splendóre mane ínstruis
Et ígnibus merídiem:
Exstíngue flammas lítium,
Aufer calórem nóxium,
Confer salútem córporum
Verámque pacem córdium.
Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 103, i

Bénedic, ánima mea, Dómino: * Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Confessiónem et decórem induísti: * amíctus lúmine sicut vestiménto:

Exténdens cælum sicut pellem: * qui tegis aquis superióra eius.

Qui ponis nubem ascénsum tuum: * qui ámbulas super pennas ventórum.

Qui facis ángelos tuos, spíritus: * et minístros tuos ignem uréntem.

Qui fundásti terram super stabilitátem suam: * non inclinábitur in sæculum sæculi.

Abýssus, sicut vestiméntum, amíctus eius: * super montes stabunt aquæ.

Ab increpatióne tua fúgient: * a voce tonítrui tui formidábunt.

Ascéndunt montes, et descéndunt campi * in locum quem fundásti eis.

Términum posuísti, quem non transgrediéntur: * neque converténtur operíre terram.

Qui emíttis fontes in convállibus: * inter médium móntium pertransíbunt aquæ.

Potábunt omnes béstiæ agri: * exspectábunt ónagri in siti sua.

Super ea vólucres cæli habitábunt: * de médio petrárum dabunt voces.

Psalmus 103, ii

Rigans montes de superióribus suis: * de fructu óperum tuórum satiábitur terra:

Prodúcens fenum iuméntis, * et herbam servitúti hóminum:

Ut edúcas panem de terra: * et vinum lætíficet cor hóminis:

Ut exhílaret fáciem in óleo: * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, ℣ et cedri Líbani, quas plantávit: * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: ℣ montes excélsi cervis: * petra refúgium herináciis.

Fecit lunam in témpora: * sol cognóvit occásum suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiæ silvæ.

Cátuli leónum rugiéntes, ut rápiant, * et quærant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operatiónem suam usque ad vésperum.

Psalmus 103, iii

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! ℣ ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possessióne tua.

Hoc mare magnum, et spatiósum mánibus: * illic reptília, quorum non est número.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudéndum ei: * ómnia a te exspéctant ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: ℣ áuferes spíritum eórum, et defícient, * et in púlverem suum reverténtur.

Emíttes spíritum tuum, et creabúntur: * et renovábis fáciem terræ.

Sit glória Dómini in sæculum: * lætábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram, et facit eam trémere: * qui tangit montes, et fúmigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo, quámdiu sum.

Iucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Defíciant peccatóres a terra, ℣ et iníqui ita ut non sint: * bénedic, ánima mea, Dómino.

Extra tempus paschale: Ant. Dómine Deus meus, magnificátus es veheménter.

Tempore Adventus: Ant. Tuam, Dómine, éxcita poténtiam, et veni ad salvándum nos.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Commendémus nosmetípsos in multa patiéntia, in ieiúniis multis, per arma iustítiæ.

Tempore Passionis: Ant. Pópule meus, quid feci tibi, aut quid moléstus fui? Respónde mihi.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali

per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum Gal. 6

Alter alterius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi.

℟. Benedícam Dóminum * In omni témpore. Benedícam. ℣. Semper laus eius in ore meo. In omni. Glória. Benedícam.

℣. Dóminus regit me, et níhil mihi déerit. ℟. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD NONAM

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Hymnus

Rerum, Deus, tenax vigor,
Immótus in te pérmanens,
Lucis diúrnæ témpora
Succéssibus detérminans:

Largíre clarum véspere,
Quo vita nusquam décidat:
Sed prǽmium mortis sacræ
Perénnis instet glória.

Præsta, Pater piíssime,
Patríque compar Unice,
Cum Spíritu Paráclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

Extra tempus paschale: Ant. Ne tacúeris, Deus, quia sermónibus ódii circumdedérunt me.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 108, i

Deus, laudem meam ne tacúeris: * quia os peccatóris, et os dolósi super me apértum est.

Locúti sunt advérsum me lingua dolósa, ℣ et sermónibus ódii circumdedérunt me: * et expugnavérunt me gratis.

Pro eo ut me dilígerent, detrahébant mihi: * ego autem orábam.

Et posuérunt advérsum me mala pro bonis: * et ódium pro dilectióne mea.

Constítue super eum peccatórem: * et diábolus stet a dextris eius.

Cum iudicátur, éxeat condemnátus: * et orátio eius fiat in peccátum.

Fiant dies eius pauci: * et episcopátum eius accípiat alter.

Fiant fílii eius órphani: * et uxor eius vídua.

Nutántes transferántur fílii eius, et mendícent: * et eiciántur de habitatiónibus suis.

Scrutétur fænerátor omnem substántiam eius: * et dirípiant aliéni labóres eius.

Non sit illi adiútor: * nec sit qui misereátur pupíllis eius.

Fiant nati eius in intéritum: * in generatióne una deleátur nomen eius.

Psalmus 108, ii

In memóriam rédeat iníquitas patrum eius in conspéctu Dómini: * et peccátum matris eius non deleátur.

Fiant contra Dóminum semper, ℣ et dispéreat de terra memória eórum: * pro eo quod non est recordátus fácere misericórdiam.

Et persecútus est hóminem ínopem, et mendícum, * et compúnctum corde mortificáre.

Et diléxit maledictiónem, et véniet ei: * et nóluit benedictiónem, et elongábitur ab eo.

Et índuit maledictiónem sicut vestiméntum, * et intrávit sicut aqua in interióra eius, et sicut óleum in óssibus eius.

Fiat ei sicut vestiméntum, quo operítur: * et sicut zona, qua semper præcíngitur.

Hoc opus eórum, qui détrahunt mihi apud Dóminum: * et qui loquúntur mala advérsus ánimam meam.

Et tu, Dómine, Dómine, fac mecum propter nomen tuum: * quia suávis est misericórdia tua.

Psalmus 108, iii

Líbera me quia egénus, et pauper ego sum: * et cor meum conturbátum est intra me.

Sicut umbra cum declínat, ablátus sum: * et excússus sum sicut locústæ.

Génua mea infirmáta sunt a ieiúnio: * et caro mea immutáta est propter óleum.

Et ego factus sum oppróbrium illis: * vidérunt me, et movérunt cápita sua.

Adiuva me, Dómine, Deus meus: * salvum me fac secúndum misericórdiam tuam.

Et sciant quia manus tua hæc: * et tu, Dómine, fecísti eam.

Maledícent illi, et tu benedíces: ℣. qui insúrgunt in me, confundántur: * servus autem tuus lætábitur.

Induántur qui détrahunt mihi, pudóre: * et operiántur sicut diplóide confusióne sua.

Confitébor Dómino nimis in ore meo: * et in médio multórum laudábo eum.

Quia ástitit a dextris páuperis, * ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam.

Extra tempus paschale: Ant. Ne tacúeris, Deus, quia sermónibus ódii circumdedérunt me.

Tempore Adventus: Ant. In tuo advéntu érue nos, Dómine.

Tempore Quadragesimæ: Ant. Per arma iustítiæ virtútis Dei commendémus nosmetípsos in multa patiéntia.

Tempore Passionis: Ant. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ?

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

In Officio feriali
per annum
et tempore Septuagesimæ

Capitulum 1 Cor. 6

Empti enim estis prétio magno: glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

℟. Rédime me, Dómine, * Et miserére mei. Rédime me. ℣. Pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam te, Dómine. Et miserére mei. Glória. Rédime me.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

Dicuntur preces.

Reliqua ut in Ordinario 561.

AD I VESPERAS DOMINICÆ

Omnia ut in Ordinario 561, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. 1 Benedíctus Dóminus, suscéptor meus et liberátor meus.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 143, i

Benedíctus Dóminus, Deus meus, qui docet manus meas ad prœlium, * et dígitos meos ad bellum.

Misericórdia mea, et refúgium meum: * suscéptor meus et liberátor meus:

Protéctor meus, et in ipso sperávi: * qui subdit pópulum meum sub me.

Dómine, quid est homo, quia innotuísti ei? * aut fílius hóminis, quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus est: * dies eius sicut umbra prætéreunt.

Dómine, inclína cælos tuos, et descénde: * tange montes, et fumigábunt.

Fúlgura coruscatiónem, et dissipábis eos: * emítte sagíttas tuas, et conturbábis eos.

Emítte manum tuam de alto, ℣. éripe me, et líbera me de aquis multis: * de manu filiórum alienórum.

Quorum os locútum est vanitátem: * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis.

Ant. Benedíctus Dóminus, suscéptor meus et liberátor meus.

Ant. 2 Beátus pópulus, cuius Dóminus Deus eius.

Psalmus 143, ii

Deus, cánticum novum cantábo tibi: * in psaltério decachórdo psallam tibi.

Qui das salútem régibus: ℣. qui redemísti David, servum tuum, * de gládio malígno éripe me.

Et érue me de manu filiórum alienórum, ℣. quorum os locútum est vanitátem: * et déxtera eórum, déxtera iniquitátis:

Quorum fílii, sicut novéllæ plantatiónes * in iuventúte sua.

Fíliæ eórum compósitæ: * circumornátæ ut similitúdo templi.

Promptuária eórum plena, * eructántia ex hoc in illud.

Oves eórum fetósæ, abundántes in egréssibus suis: * boves eórum crassæ.

Non est ruína macériæ, neque tránsitus: * neque clamor in platéis eórum.

Beátum dixérunt pópulum, cui hæc sunt: * beátus pópulus, cuius Dóminus Deus eius.

Ant. Beátus pópulus, cuius Dóminus Deus eius.

Ant. 3 Magnus Dóminus et laudábilis nimis: et magnitúdinis eius non est finis.

Psalmus 144, i

Exaltábo te, Deus meus, rex: * et benedícam nómini tuo in sæculum, et in sæculum sæculi.

Per síngulos dies benedícam tibi: * et laudábo nomen tuum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: * et magnitúdinis eius non est finis.

Generátio et generátio laudábit ópera tua: * et poténtiam tuam pronuntiábunt.

Magnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur: * et mirabília tua narrábunt.

Et virtútem terribílium tuórum dicent: * et magnitúdinem tuam narrábunt.

Memóriam abundántiæ suavitátis tuæ eructábunt: * et iustítia tua exsultábunt.

Ant. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: et magnitúdinis eius non est finis.

Ant. 4 Suávis Dóminus univérsis: et miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

Psalmus 144, ii

Miserátor, et misércors Dóminus: * pátiens, et multum misércors.

Suávis Dóminus univérsis: * et miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: * et sancti tui benedícant tibi.

Glóriam regni tui dicent: * et poténtiam tuam loquéntur:

Ut notam fáciant fíliis hóminum poténtiam tuam: * et glóriam magnificéntiæ regni tui.

Regnum tuum regnum ómnium sæculórum: * et dominátio tua in omni generatióne et generatiónem.

Ant. Suávis Dóminus univérsis: et miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

Ant. 5 Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: et sanctus in ómnibus opéribus suis. †

Psalmus 144, iii

Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

† Allevat Dóminus omnes qui córruunt: * et érigit omnes elísos.

Oculi ómnium in te sperant, Dómine: * et tu das escam illórum in témpore opportúno.

Aperis tu manum tuam: * et imples omne ánimal benedictióne.

Iustus Dóminus in ómnibus viis suis: * et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: * ómnibus invocántibus eum in veritáte.

Voluntátem timéntium se fáciet: ℣ et deprecatiónem eórum exáudiet: * et salvos fáciet eos.

Custódit Dóminus omnes diligéntes se: * et omnes peccatóres dispérdet.

Laudatiónem Dómini loquétur os meum: * et benedícat omnis caro nómini sancto eius in sæculum, et in sæculum sæculi.

Extra tempus paschale:

Ant. Fidélis Dóminus in ómnibus verbis suis: et sanctus in ómnibus opéribus suis.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Per annum

Capitulum 2 Cor. 1

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, Pater misericordiárum et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

Responsorium, si dicendum occurrerit.

Hymnus

O lux beáta Trínitas,
Et princípális Unitas:
Iam sol recédit ígneus,
Infúnde lumen córdibus.
Te mane laudum cármine,
Te deprecémur véspere,
Te nostra supplex glória
Per cuncta laudet sæcula.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Vespertína orátio ascéndat ad te, Dómine.
℟. Et descéndat super nos misericórdia tua.

Tempore Resurrectionis

Capitulum Rom. 6

Christus resúrgens ex mórtuis iam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.

(Ad I Vesperas dominicæ IV post Pascha dicitur responsorium.)

Hymnus

Ad cenam Agni próvidi
Et stolis albis cándidi,
Post tránsitum Maris rubri,
Christo canámus príncipi.

Cuius corpus sanctíssimum,
In ara crucis tórridum:
Cruóre eius róseo
Gustándo vívimus Deo.

Protécti Paschæ véspere
A devastánte Angelo,
Erépti de duríssimo
Pharaónis império.

Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui immolátus Agnus est:
Sinceritátis ázyma
Caro eius obláta est.

O vere digna hóstia,
Per quam fracta sunt tártara,
Redémpta plebs captiváta,
Réddita vitæ prǽmia!

Consúrgit Christus túmulo,
Victor redit de bárathro,
Tyránnum trudens vínculo,
Et réserans Paradísum.

Quǽsumus, Auctor ómnium,
In hoc pascháli gáudio,
Ab omni mortis ímpetu
Tuum defénde pópulum.

Glória tibi, Dómine,
Qui surrexísti a mórtuis,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sǽcula. Amen.

℣. Mane nobíscum, Dómine, allelúia. ℟. Quóniam advesperáscit, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 562.

AD COMPLETORIUM

Omnia ut in Ordinario 563, præter sequentia:

Extra tempus paschale: Ant. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Psalmus 87

Dómine, Deus salútis meæ: * in die clamávi et nocte coram te.

Intret in conspéctu tuo orátio mea: * inclína aurem tuam ad precem meam:

Quia repléta est malis ánima mea: * et vita mea inférno appropinquávit.

Æstimátus sum cum descendéntibus in lacum: * factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

Sicut vulneráti dormiéntes in sepúlcris, ⁊ quorum non es memor ámplius: * et ipsi de manu tua repúlsi sunt.

Posuérunt me in lacu inferióri: * in tenebrósis et in umbra mortis.

Super me confirmátus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxísti super me.

Longe fecísti notos meos a me: * posuérunt me abominatiónem sibi.

Tráditus sum, et non egrediébar: * óculi mei languérunt præ inópia.

Clamávi ad te, Dómine, tota die: * expándi ad te manus meas.

Numquid mórtuis fácies mirabília: * aut médici suscitábunt, et confitebúntur tibi?

Numquid narrábit áliquis in sepúlcro misericórdiam tuam, * et veritátem tuam in perditióne?

Numquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua, * et iustítia tua in terra oblivióne?

Et ego ad te, Dómine, clamávi: * et mane orátio mea prævéniet te.

Ut quid, Dómine, repéllis orationem meam: * avértis fáciem tuam a me?

Pauper sum ego et in labóribus a iuventúte mea: * exaltátus autem, humiliátus sum et conturbátus.

In me transiérunt iræ tuæ: * et terróres tui conturbavérunt me.

Circumdedérunt me sicut aqua tota die: * circumdedérunt me simul.

Elongásti a me amícum et próximum: * et notos meos a miséria.

Psalmus 102, i

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto eius.

Bénedic, ánima mea, Dómino: * et noli oblivísci omnes retributiónes eius.

Qui propitiátur ómnibus iniquitátibus tuis: * qui sanat omnes infirmitátes tuas.

Qui rédimit de intéritu vitam tuam: * qui corónat te in misericórdia et miseratiónibus.

Qui replet in bonis desidérium tuum: * renovábitur ut áquilæ iuvéntus tua:

Fáciens misericórdias Dóminus: * et iudícium ómnibus iniúriam patiéntibus.

Notas fecit vias suas Móysi, * fíliis Israël voluntátes suas.

Miserátor, et misércors Dóminus: * longánimis et multum misércors.

Non in perpétuum irascétur: * neque in ætérnum comminábitur.

Non secúndum peccáta nostra fecit nobis: * neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Quóniam secúndum altitúdinem cæli a terra: * corroborávit misericórdiam suam super timéntes se.

Quantum distat ortus ab occidénte: * longe fecit a nobis iniquitátes nostras. [Gl.]

Psalmus 102, ii

Quómodo miserétur pater filiórum, ℣. misértus est Dóminus timéntibus se: * quóniam ipse cognóvit figméntum nostrum.

Recordátus est quóniam pulvis sumus: ℣. homo, sicut fenum dies eius, * tamquam flos agri sic efflorébit.

Quóniam spíritus pertransíbit in illo, et non subsístet: * et non cognóscet ámplius locum suum.

Misericórdia autem Dómini ab ætérno, * et usque in ætérnum super timéntes eum.

Et iustítia illíus in fílios filiórum, * his qui servant testaméntum eius:

Et mémores sunt mandatórum ipsíus, * ad faciéndum ea.

Dóminus in cælo parávit sedem suam: * et regnum ipsíus ómnibus dominábitur.

Benedícite Dómino, omnes Angeli eius: * poténtes virtúte, faciéntes verbum illíus, ad audiéndam vocem sermónum eius.

Benedícite Dómino, omnes virtútes eius: * minístri eius, qui fácitis voluntátem eius.

Benedícite Dómino, ómnia ópera eius: * in omni loco dominatiónis eius: bénedic, ánima mea, Dómino.

Extra tempus paschale: Ant. Intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Tempore paschali: Ant. Allelúia, allelúia, allelúia.

Reliqua ut in Ordinario 564.

Omni sabbato per totum annum, finita antiphona Salve, Regína, cum ℣. Dignáre, et oratione Concéde nos, in choro dicuntur Litaniæ beatæ Virginis et Prosa Invioláta, cum ℣. et oratione 28*.

PROPRIUM SANCTORUM

Die 29 novembris

S. Saturnini

Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Deus, qui nos beáti Saturnini Mártyris tui concédis natalítio pérfrui, eius nos tríbue méritis adiuvári. Per.

Die 30 novembris

S. Andreæ Apostoli

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Unus ex duóbus, qui secúti sunt Dóminum, erat Andréas frater Simónis Petri, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

℟. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum, pópulus autem clamábat voce magna dicens: * Innocens eius sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque carnífices dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. - Innocens eius sanguis. - Glória. - Innocens.

Hymnus et versiculus de Communi Apostolorum [37].

Ad Magnif. ant. Ambulans Iesus iuxta mare Galilǽæ vidit Petrum et Andréam fratrem eius, et ait illis: Veníte post me, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi, relíctis rétibus et navi, secúti sunt eum.

Oratio

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Adorémus victoriosíssimum Regem Christum, * Qui victórem per crucis trophæum coronávit beátum Andréam Apóstolum.

Hymnus de Communi Apostolorum [38].

In I Nocturno

Ant. 1 Vidit Dóminus Petrum et Andréam, et vocávit eos.

Psalmi de eodem Communi [38].

Ant. 2 Veníte post me, dicit Dóminus, fáciam vos fíeri piscatóres hóminum.

Ant. 3 Relíctis rétibus suis, secúti sunt Dóminum Redemptórem.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 10

Finis legis, Christus, ad iustítiam omni credénti. Móyses enim scripsit, quóniam iustítiam, quæ ex lege est, qui fécerit homo, vivet in ea. Quæ autem ex fide est iustítia, sic dicit: Ne díxeris in corde tuo: Quis ascéndet in cælum? id est, Christum dedúcere: Aut quis descéndet in abýssum? hoc est, Christum a mórtuis revocáre. Sed quid dicit Scriptúra? Prope est verbum in ore tuo et in corde tuo: hoc est verbum fídei, quod prædicámus.

℟. i. Cum perambuláret Dóminus iuxta mare secus litus Galilǽæ, vidit Petrum et Andréam rétia mitténtes in mare, et vocávit eos dicens: * Veníte post me, fáciam vos piscatóres hóminum. ℣. Erant enim piscatóres: et ait illis. - Veníte post me.

Lectio ii

Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi.

℟. ii. Mox ut vocem Dómini prædicántis audívit beátus Andréas, relíctis rétibus, quorum usu actúque vivébat, ætérnæ vitæ secútus est * Prǽmia largiéntem. ℣. Ad uníus iussiónis vocem Petrus et Andréas, relíctis rétibus, secúti sunt Redemptórem. - Prǽmia largiéntem.

Lectio iii

Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. Sed dico: Numquid Israël non cognóvit? Primus Móyses dicit: Ego ad æmulatiónem vos addúcam in non gentem: in gentem insipiéntem, in iram vos mittam. Isaías autem audet et dicit: Invéntus sum a non quæréntibus me: palam appárui iis, qui me non interrogábant. Ad Israël autem dicit: Tota die expándi manus meas ad pópulum non credéntem et contradicéntem.

℟. iii. Homo Dei ducebátur ut crucifígerent eum, pópulus autem clamábat voce magna dicens: * Innocens eius sanguis sine causa damnátur. ℣. Cumque carnífices dúcerent eum ut crucifigerétur, factus est concúrsus populórum clamántium et dicéntium. - Innocens. - Glória. - Innocens.

In II Nocturno

Ant. 4 Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis, allelúia.

Ant. 5 Dignum sibi Dóminus computávit mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari, allelúia.

Ant. 6 Christus me misit ad istam provínciam, ubi non parvum pópulum acquisívi.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ex Act. passionis eius scriptis a Presbyteris et Diaconis Achaiæ, et ex romano Brev.

Lectio iv

Andréas Apóstolus, Bethsáidæ vico Galilǽæ

natus, frater Petri, discípulus Ioánnis Baptístæ, una cum fratre ante álios Apóstolos a Christo vocátus, post eiúsdem passiónem et resurrectiónem, cum in Scýthiam Európæ venísset, deínde Epírum ac Thráciam peragrásset, doctrína et miráculis innumerábiles hómines ad Christum convértit. Post, Patras Acháiæ proféctus, et in ea urbe plúrimis ad veritátem evangélicam perdúctis, Ægéam procónsulem, prædicatióni evangélicæ resisténtem, libérrime increpávit.

℟. iv. Doctor bonus et amícus Dei Andréas dúcitur ad crucem: aspíciens a longe, vidit crúcem: Salve, crux, * Súscipe discípulum eius, qui pepéndit in te magíster meus Christus. ℣. Salve, crux, quæ in córpore Christi dedicáta es et ex membris eius tamquam margarítis ornáta. - Súscipe discípulum eius.

Lectio v

Tum Ægéas irátus demum hortátur ut sibi cónsulens diis velit immoláre. Cui Andréas: Ego omnipoténti Deo, qui unus et verus est, ímmolo quotídie, non taurórum carnes, nec hircórum sánguinem, sed immaculátum Agnum in altári: cuius carnem posteáquam omnis pópulus credéntium manducáverit, Agnus, qui sacrificátus est, ínteger persevérat ac vivus. Quam ob rem ira accénsus Ægéas iubet eum in cárcerem detrúdi: unde pópulus Andréam fácile liberásset, nisi ipse sedásset multitúdinem, veheméntius rogans ne se ad optatíssimam martýrii corónam properántem impedírent.

℟. v. O bona crux, quæ decórem et pulchritúdinem de membris Dómini suscepísti, áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo: * Ut per te me recípiat, qui per te me redémit. ℣. Secúrus et gaudens vénio ad te: ita et tu exsúltans suscípias me. - Ut per te.

Lectio vi

Igitur paulo post in tribúnal prodúctum, cum Ægéas crucis extolléntem mystéria, sibíque suam impietátem exprobrántem, diútius ferre non posset, in crucem tolli, et Christi mortem imitári iussit. Adúctus Andréas ad locum martýrii, cum crucem vidísset a longe, exclamáre cœpit: O bona crux, quæ decórem ex membris Dómini suscepísti, diu desiderata, sollícite amáta, sine intermissióne quæsíta et aliquándo concupiscénti ánimo præparáta, áccipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redémit. Itaque cruci affíxus est: in qua bíduum vivus pendens et Christi fidem prædicáre numquam intermíttens, ad eum migrávit, cuius mortis similitúdinem concupíerat.

℟. vi. Salve, crux, quæ in córpore Christi dedicáta es et ex membris eius tamquam margarítis ornáta: * Súscipe discípulum eius, qui pepéndit in te. ℣. O bona crux, diu desiderata et iam concupiscénti ánimo præparáta. - Súscipe discípulum eius. - Glória. - Súscipe discípulum eius.

In III Nocturno

Ant. 7 Videns Andréas crucem, cum gáudio dicébat: Quia amátor tuus semper fui et desiderávi amplécti te, o bona crux.

Ant. 8 Récipe me ab homínibus, et redde me Magístro meo: ut per te me recípiat, qui per te me redémit.

Ant. 9 Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est princípatus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 4

In illo témpore: Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem eius, mitténtes rete in mare (erant enim piscatóres). Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 5 in Evang.

Audístis, fratres caríssimi, quia ad uníus iussiónis vocem Petrus et Andréas, relíctis rétibus, secúti sunt Redemptórem. Nulla vero hunc fácere adhuc mirácula víderant: nihil ab eo de prémio ætérnæ retributiónis audíerant: et tamen ad unum Dómini præcéptum, hoc quod possidére videbántur, oblíti sunt. Quanta nos eius mirácula vidémus, quot flagéllis afflígimur, quantis minárum asperitátibus deterrémur! Et tamen vocántem sequi contémnimus.

℟. vii. Expándi manus meas tota die in cruce ad pópulum non credéntem, sed contradicéntem mihi:

* Qui ámbulant vias non bonas, sed post peccáta sua. ℣. Exaltáre, qui iúdicas terram: redde retributiónem supérbis. - Qui.

Lectio viii

In cælo iam sedet qui de conversióne nos ádmonet: iam iugo fídei colla géntium súbdidit, iam mundi glóriam stravit, iam ruínis eius crebrescéntibus, distrícti sui iudícii diem propinquántem denúntiat: et tamen supérba mens nostra adhuc non vult hoc sponte deserére, quod quotídie perdit invíta. Quid ergo, fratres caríssimi, quid in eius iudício dictúri sumus, qui ab amóre præséntis sæculi nec præcéptis fléctimur, nec verbéribus emendámur?

℟. viii. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis: dum pendéret in cruce, dignum sibi computávit mártyrem, quem vocávit Apóstolum, dum esset in mari: * Et ídeo amícus Dei appellátus est. ℣. Vir iste in pópulo suo mitíssimus appáruit: sanctitáte autem et grátia plenus. - Et ídeo amícus.

Lectio ix

Sed fortásse áliquis tácitis sibi cogitatiónibus dicat: Ad vocem Domínicam utérque iste piscátor quid aut quantum dimísit, qui pæne nihil hábuit? Sed hac in re, fratres caríssimi, afféctum debémus pótius pensáre quam censum. Multum relíquit qui sibi nihil retínuit: multum relíquit qui, quantúmlibet parum, totum deséruit. Certe nos et hábita cum amóre possidémus, et ea, quæ mínime habémus, ex desidério quærimus. Multum ergo Petrus et Andréas dimísit, quando utérque étiam desidéria habéndi derelíquit.

℟. ix. Videns crucem Andréas exclamávit dicens: * O crux inenarrábilis, o crux inæstimábilis, o crux, quæ per totum mundum fulges, Non me dimíttas errántem, sicut ovem non habéntem pastórem. ℣. Bíduo vivens pendébat in cruce pro Christi nómine beátus Andréas, et docébat pópulum, et dicébat. - O crux. - Glória. - Non.

Ante Laudes ℣. Diléxit Andréam Dóminus. ℟. In odórem suavitátis.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Salve, crux pretiósa, súscipe discípulum eius, qui pepéndit in te magíster meus Christus.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Beátus Andréas orábat dicens: Dómine, Rex ætérnæ glóriæ, súscipe me pendéntem in patíbulo.

3. Andréas Christi fámulus, dignus Dei Apóstolus, germánus Petri et in passióne sócius.

4. Maximílla, Christo amábilis, tulit corpus Apóstoli, óptimo loco cum aromátibus sepelívit.

5. Qui persequebántur iustum, demersísti eos, Dómine, in profúndum, et in ligno crucis dux iusti fuísti.

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

Ad Bened. ant. Concéde nobis hóminem iustum, redde nobis hóminem sanctum: ne interfícias hóminem Deo carum, iustum, mansuétum et pium.

Oratio

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi Apostolorum [47].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Salve, crux pretiósa, súscipe discípulum eius, qui pepéndit in te magíster meus Christus.

Psalmi de Communi Apostolorum [47].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [50].

Ad Magnif. ant. Cum pervenísset beátus Andréas ad locum ubi crux paráta erat, exclamávit et dixit: O bona crux, diu desideráta et iam concupiscénti ánimo præparáta! Secúrus et gaudens vénio ad te: ita et tu exsúltans suscípias me, discípulum eius qui pepéndit in te.

Oratio

Maiestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector, ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per.

Completorium de dominica.

Die 1 decembris

B. Ioannis a Vercellis

Confessoris O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Deus, qui beátum Ioánnem mirábili prudéntia et fortitúdine claréscere voluísti; ipso interveniénte concéde ut família tua semper et ubíque salúbri regímine gubernétur. Per.

Die 2 decembris

S. Bibianæ

Virginis et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Bibiána, virgo Romána, nóbili génere nata, christiána fide nobílior fuit. Eius enim paréntes, Flaviánus et Dafrósa, sub Iuliáno Apóstata martýrium subiérunt. Tum Bibiána eiúsque soror Demétria, bonis ómnibus expoliátæ et ab Aproniáno, Urbis prætóre, blandítiis et minis tentátæ ut a recta fide declinárent, prætóris impietátem constantíssime detestátæ sunt. Quo in agóne Demétria, ob óculos Bibiánæ repénte córruens, óbiit in Dómino. Bibiána autem Rufínæ mulíeri vaférrimæ seducénda tráditur; sed, eius superátis insídiis, prætóris astus delúsit. Quare huius iussu plumbátis cæsa est,

donec ánimam efflávit. Eius sacrum corpus, bíduo cánibus obiéctum, illæsum tamen divínitus servátum, Ioánnes présbyter sepelívit noctu iuxta sepúlcrum soróris et matris ad palátium Liciniánum, ubi nunc exstat ecclésia Deo, sanctæ Bibiánæ nómine, dicáta.

℟. iii. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem.

AD LAUDES

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Bibiána Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Tu autem.

Die 3 decembris

S. Francisci Xaverii

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Franciscus, in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum iunxit, et brevi mira vitæ austeritáte et rerum divinárum assídua contemplatióne cláruit. A Paulo tértio apostólicus núntius pro Indiis creátus, províncias innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Iapóniæ et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit; magnósque príncipes, regésque complúres sacro fonte expiávit. Ea tamen erat humilitáte, ut sancto Ignátio, præpósito suo, flexis génibus scríberet. Eius dilatándi Evangélii ardórem multitúdine et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Demum in San-

ciáno Sinárum ínsula, die secúnda decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque confféctus. Eum Gregórius décimus quintus inter Sanctos rétulit, Pius autem décimus sodalitáti et óperi Propagándæ Fídei cæléstem patrónum constítuit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius ut, cuius gloriósa mérita veneramur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Marcum

Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Tu autem.

Die 4 decembris

S. Petri Chrysologi

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Petrus, qui ob áuream eius eloquéntiam Chrysólogi cognómen adéptus est, Foro Cornélii in Æmília honéstis paréntibus natus, a prima ætáte ánimum ad religiónem adíciens, Cornélio Románo, tunc eiúsdem urbis Corneliénsis epíscopo, óperam dedit: a quo diáconus mérito creátus est. A sancto Xysto Papa tértio archiepíscopus Ravénnæ, licet invítus, renuntiátus, a Ravennátibus máxima cum reveréntia suscéptus est. In pastoráli múnere exímius, ludos ab homínibus personátis fieri sólitos ut cohibéret concióne, illud præcláre dixit: Qui iocári volúerit cum diábolo, non póterit gaudére cum Christo. Vitæ suæ finem divínitus prænóscens, in pátriam se cóntulit; et sancti Cassiáni templum ingréssus, pretiósa dona cum obtulísset, Deum eundémque patrónum humíliter rogávit, ut benígne ánimam eius excíperent. Migrávit ex hac vita quarto Nonas decembris, décimo octávo episcopátus anno. Eius sacrum corpus prope corpus sancti Cassiáni honorífice cónditum est.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos símiles. - Glória. - Quando revertátur a núptiis.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

Post memoriam feriæ fit memoria S. Barbaræ Virg. et Mart.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 6 decembris

S. Nicolai

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Adorémus Regem sæculórum, * In quo vivit Nicoláus honor sacerdótum.

Hymnus de Communi unius Confessoris [95].

In Nocturno

Ant. 1 Nobilíssimis síquidem natálibus ortus, velut lúcifer Nicoláus emícuit.

Psalmi de eodem Communi [96].

Ant. 2 Postquam domi puerílem decúrrit ætátem, cunctis mundi huius spretis oblectatiónibus, Christi se iugo subíciens, documéntis sanctis suum præbuit audítum.

Ant. 3 Pudóre bono replétus Dei fámulus, súmptibus datis, stupri nefas prohíbuit.

Ant. 4 Auro vírginum incéstus, auro patris eárum inópiam, auro prorsus utrorúmque detestábilem infámiam Dei servus adémit Nicoláus.

Ant. 5 Innocénter iura puerília transcéndens, evangélicæ institutiónis discípulus efféctus est.

Ant. 6 Glóriam mundi sprevit cum suis oblectatiónibus: et ídeo méruit próvehi ad summum sacerdótii gradum.

Ant. 7 Pontífices almi divína revelatióne lætificáti, Nicoláum Præsulem devotíssime consecravérunt.

Ant. 8 Sanctus quidem tríticum, quod a nautis postuláverat accéptum, et sagacitáte distribúere et augéri précibus impetrávit.

Ant. 9 Munéribus datis, neci sunt iúvenes innocéntes addícti: quibus Dómini servus fuit vitæ præsídio festinánter.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 3

Fili mi, ne obliviscáris legis meæ, et præcépta mea cor tuum custódiat. Longitúdinem enim diérum et annos vitæ et pacem appónent tibi. Misericórdia et véritas te non déserant, circúmda eas gúturi tuo et descríbe in tábulis cordis tui: et invénies grátiam et disciplínam bonam coram Deo et homínibus. Habe fidúciam in Dómino ex toto corde tuo, et ne innitáris prudéntiæ tuæ.

℟. i. Conféssor Dei Nicoláus, nóbilis progénie, sed nobílior móribus, ab ipso pueríli ævo secútus Dóminum, * Méruit divína revelatióne ad summum próvehi sacerdótium. ℣. Erat enim valde compátiens, et super afflíctos pia gestans víscera. - Méruit.

Lectio ii

Disciplínam Dómini, fili mi, ne abícias: nec defícias, cum ab eo corríperis: quem enim díligit Dóminus, córripit: et quasi pater in fílio cómplacet sibi. Beátus homo

qui invénit sapiéntiam et qui áffluit prudéntia: mélior est acquisítio eius negotiatióne argénti, et auri primi et puríssimi fructus eius: pretiósior est cunctis ópibus: et ómnia, quæ desiderántur, huic non valent comparári. Dóminus sapiéntia fundávit terram, stabilívit cælos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýssi, et nubes rore concréscunt. Fili mi, ne éffluant hæc ab óculis tuis. Custódi legem atque consílium: et erit vita ánimæ tuæ et grátia fáucibus tuis. Tunc ambulábis fiduciáliter in via tua, et pes tuus non impínget: si dormíeris, non timébis: quiésces, et suávis erit somnus tuus.

℟. ii. Quadam die, tempestáte sævíssima quassáti nautæ, cœpérunt sanctum invocáre Nicoláum: * Et statim cessávit tempéstas. ℣. Mox illis clamántibus appáruit quidam, dicens eis: Ecce adsum, quid vocástis me? - Et statim.

Lectio iii

Nicoláus, illústri loco Pátaræ in Lýcia natus, quarta et sexta féria ab infántia ieiunávit; quam quidem consuetúdinem réliqua vita semper ténuit. Adoléscens paréntibus orbátus, facultátes suas paupéribus distríbuit. Cuius illud insígne est caritátis exémplum, quod tribus puéllis periclitántibus, congruénti pecúniæ vi in dotem constitúta, succúrrerit. In Palæstínam peregrinátus, Dei admónitu Myram, Lýciæ metrópolim, venit; ubi a provinciálibus epíscopis, Myrénsi epíscopo vita functo, præter ómnium opiniónem, miro consénsu, sufféctus est. Eo in múnere ómnium virtútum se exémplar præbuit. Cum autem contra Diocletiáni et Maximiáni edíctum christiánæ fídei veritátem prædicáret, in cárcerem coniéctus est, ubi fuit usque ad Constantínum imperatórem. Nicæno concílio intérfuit, in quo Ariána hæresis damnáta est. Ad suos revérsus, Myræ sanctíssime óbiit. Eius corpus Bárium in Apúlia translátum, ibídem summa celebritáte cólitur.

℟. iii. Ex eius tumba marmórea sacrum resúdat óleum, quo liníti sanántur cæci, * Surdis audítus rédditur, Et débilis quisque sospes regréditur. ℣. Catervátim ruunt pópuli, cérnere cupiéntes quæ per eum fiunt mirabília. - Surdis audítus. - Glória. - Et débilis quisque.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Nicoláe. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Beátus Nicoláus adhuc puérulus multo ieiúnio macerábat corpus.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Ecclésiæ sanctæ frequéntans límina, sacra péctore condébat mandáta.

3. Iuste et sancte vivéndo, ad honórem sacerdótii méruit promovéri divínitus.

4. Amícus Dei Nicoláus, pontificáli decorátus ínfula, ómnibus se amábilem exhíbuit.

5. O per ómnia laudábilem virum, cuius méritis ab omni clade liberántur qui ex toto corde quærunt illum!

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iesu, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus,
Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cuius celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Qui, rite mundi gáudia
Huius cadúca réspuens,
Cum Angelis cæléstibus
Lætus potítur prémiis.

Huius benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia:
Huius precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. ant. Copiósæ caritátis Nicoláe Póntifex, qui cum Deo gloriáris in cæli palátio: condescénde, supplicámus, ad te suspirántibus, ut exútos gravi carne pértrahas ad súperos.

Oratio

Deus, qui beátum Nicoláum, Pontíficem tuum, innúmeris decorásti miráculis; tríbue, quæsumus, ut eius méritis et précibus a gehénnæ incéndiis liberémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris [106].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Beátus Nicoláus adhuc puérulus multo ieiúnio macerábat corpus.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [109].

Ad Magnif. ant. O Christi piétas omni prosequénda laude, quæ sui fámuli Nicolái mérita longe latéque declárat! Nam ex tumba eius óleum manat, cunctósque lánguidos sanat.

Completorium de feria.

Die 7 decembris

S. Ambrosii

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ambrósius episcopus Mediolanénsis, Ambrósii civis Románi fílius, in Urbe liberálibus disciplínis erudítus est. A Probo præfécto Ligúriæ et Æmíliæ præpósitus, eiúsdem iussu cum potestáte Mediolánum venit; ubi, mórtuo Auxéntio Ariáno episcopo, pópulus de successóre deligéndo dissidébat. Quare Ambrósius, pro offícii sui múnere ecclésiam ingréssus, ut commótam seditiónem sedáret, cum multa de quiéte et tranquillitáte reipúblicæ præcláre dixísset, derepénte púero Ambrósium epíscopum exclamánte, univérsi pópuli vox erúpit, Ambrósium epíscopum deposcéntis. Quare baptizátus (erat enim catechúmenus), sacris initiátus, omnibúsque órdinum grádibus de more Ecclésiæ susceptis, episcopáli dignitáte auctus est. Quo in múnere cathólicam veritátem et disciplínam ecclesiásticam tum verbo tum scriptis ácriter deféndit, multósque Ariános et álios hæréticos ad fidem convértit, e quibus sanctum Augustínum Iesu Christo péperit. Tot pro Ecclésia Dei labóribus curísque perfúnctus, óbiit prídie Nonas aprílis, anno trecentésimo nonagésimo séptimo.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus ve-

stris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ambrósium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

DIE 8 DECEMBRIS

In Conceptione Immaculata
Beatæ Mariæ Virginis

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Prov. 8

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram.

℟. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit. ℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. - Ideo. - Glória. - Ideo.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Ad Magnif. ant. Beátam me dicent omnes generatiónes, quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos eius intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus

Præclára custos vírginum,
Intácta Mater Núminis,
Cæléstis aulæ iánua,
Spes nostra, cæli gáudium:

Inter rubéta lílium,
Colúmba formosíssima,
Virga e radíce gérminans
Nostro medélam vúlneri:

Turris dracóni impérvia,
Amíca stella náufragis,
Tuére nos a fráudibus,
Tuáque luce dírige.

Erróris umbras díscute,
Syrtes dolósas ámove:
Fluctus tot inter déviis
Tutam reclúde sémitam.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsa terra, quia in Vírgine María dignum tibi habitáculum præparásti.

Psalmi ut in festis B. M. V. [21].

Ant. 2 In sole pósuit Deus tabernáculum suum.

Ant. 3 In Conceptióne sua accépit María benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Deus omnípotens præcínxit me virtúte. ℟. Et pósuit immaculátam viam meam.

Benedictio Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

De libro Génesis

Lectio i Cap. 3

Serpens erat callídior cunctis animántibus terræ quæ fécerat Dóminus Deus. Qui dixit ad mulíerem: Cur præcépit vobis Deus ut non comederétis de omni ligno paradísi? Cui respóndit múlier: De fructu lignórum, quæ sunt in paradíso, véscimur: de fructu vero ligni, quod est in médio paradísi, præcépit nobis Deus ne comederémus: et ne tangerémus illud, ne forte moriámur. Dixit autem serpens ad mulíerem: Nequáquam morte moriémini. Scit enim Deus quod in quocúmque die comedéritis ex eo, aperiéntur óculi vestri: et éritis sicut dii, sciéntes bonum et malum. ℟. i. Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. * Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Deum. ℣. Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. - Ne tímeas, María.

Benedictio Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix.

℟. Amen.

Lectio ii

Vidit ígitur múlier quod bonum esset lignum ad vescéndum, et pulchrum óculis, aspectúque delectábile: et tulit de fructu illíus et comédit: dedítque viro suo, qui comédit. Et apérti sunt óculi ambórum: cumque cognovíssent se esse nudos, consuérunt fólia ficus et fecérunt sibi perizómata. Et, cum audíssent vocem Dómini Dei deambulántis in paradíso ad auram post merídiem, abscóndit se Adam et uxor eius a fácie Dómini Dei in médio ligni paradísi.

℟. ii. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me: * Et narrábo vobis quanta fecit Deus ánimæ meæ. ℣. Vivit Dóminus, quóniam adimplévit in me misericórdiam suam. - Et narrábo vobis.

Benedictio Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iii

Vocavítque Dóminus Deus Adam et dixit ei: Ubi es? Qui ait: Vocem tuam audívi in paradíso; et tímui eo quod nudus essem, et abscóndi me. Cui dixit: Quis enim indicávit tibi quod nudus esses, nisi quod ex ligno de quo præcéperam tibi ne coméderes, comedísti? Dixítque Adam: Múlier, quam dedísti mihi sóciam, dedit mihi de ligno, et comédi. Et dixit Dóminus Deus ad mulíerem: Quare hoc fecísti? Quæ respóndit: Serpens decépit me, et comédi. Et ait Dóminus Deus ad serpéntem: Quia fecísti hoc, maledíctus es inter ómnia animántia et béstias terræ: super pectus tuum gradiéris et terram cómedes cunctis diébus vitæ tuæ. Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, et tu insidiáberis calcáneo eius.

℟. iii. Elécta mea cándida sicut nix in Líbano; sicut favus distíllans lábia eius: * Mel et lac sub lingua illíus. ℣. Veni de Líbano, sponsa mea, veni, coronáberis coróna gratiárum. - Mel et lac sub lingua illíus. - Glória. - Mel et lac sub lingua illíus.

In II Nocturno

Ant. 4 Diffúsa est grátia in Conceptióne eius, et speciósa appáruit inter fílias hóminum.

Ant. 5 Adiúvit eam Deus mane dilúculo: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Ant. 6 Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei: fundávit te Dóminus in móntibus sanctis.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Benedictio Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génetrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Hierónymi Presbýteri

De Assumpt. B. M. V.

Lectio iv

Qualis et quanta esset beáta et gloriósa semper Virgo María, ab Angelo divínitus declarátur, cum dícitur: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Tálibus namque decébat Vírginem oppignorári munéribus, ut esset grátia plena: quæ dedit cælis glóriam, terris Dóminum, pacémque refúdit, fidem géntibus, finem vítiis, vitæ órdinem, móribus disciplínam. Et bene plena, quia céteris per partes præstátur: Maríæ vero simul se tota infúdit plenitúdo grátiæ. Vere plena, quia etsi in sanctis Pátribus et Prophétis grátia fuísse créditur, non tamen eátenus plena: in Maríam vero totíus grátiæ, quæ in Christo est, plenitúdo venit, quamquam áliter. Et ídeo inquit: Benedícta tu in muliéribus: id est plus benedícta quam omnes mulíeres. Ac per hoc quidquid maledictiónis infúsum est per Hevam, totum ábstulit benedíctio Maríæ. De ipsa Sálomon in Cánticis, quasi in laudem eius: Veni, inquit, colúmba mea, immaculáta mea. Iam enim hiems tránsiit, imber ábiit et recéssit. Ac deínde inquit: Veni de Líbano, veni, coronáberis.

℟. iv. Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens. * Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram. ℣. Deus enim creávit me in iustítia, et apprehéndit manum meam, et servávit me. - Nondum erant abýssi.

Benedictio Iesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v

Non immérito ígitur veníre de Líbano iubétur, quia Líbanus Candidátio interpretátur. Erat enim candidáta multis meritórum virtútibus, et dealbáta nive candídior, Spíritus Sancti munéribus, simplicitátem colúmbæ in ómnibus repræséntans: quóniam quidquid in ea gestum est, totum púritas et simplícitas, totum véritas et grátia fuit; totum misericórdia et iustítia, quæ de cælo prospéxit: et ídeo immaculáta, quia in nullo corrúpta. Circúmdedit enim virum in útero, sicut Ieremías sanctus testátur, et non aliúnde accépit. Fáciet, inquit, Dóminus novum super terram, et múlier circúmdabit virum. Vere novum, et ómnium novitátum superéminens nóvitas virtútum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque vidére áliquis, ut vívere possit) sic ingréssus est hospítium ventris, ut córporis claustrum nescíret: sicque gestátus, ut totus Deus in eo esset: et sic exívit inde, ut esset (sicut Ezéchiel fatétur) porta omníno clausa. Unde cánitur in eísdem Cánticis de ea: Hortus conclúsus, fons signátus, emissiónes tuæ paradísus. Vere hortus deliciárum, in quo cónsita sunt univérsa florum génera et odoraménta virtútum: sicque conclúsus, ut nésciat violári, neque corrúmpi ullis insidiárum fráudibus. Fons ítaque signátus sigíllo totíus Trinitátis.

℟. v. Nihil inquinátum in eam incúrrit: * Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula. ℣. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparáta invenítur púrior. - Candor est.

Benedictio Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Ex Actis Pii Papæ noni

Lectio vi

Deíparæ autem Vírginis in sua Conceptióne de tetérrimo humáni géneris hoste victóriam, quam divína elóquia, veneránda tradítio, perpétuus Ecclésiæ sensus, singuláris episcopórum ac fidélium conspirátio, insígnia quoque summórum Pontíficum acta atque constitutiónes mirífice iam illustrábant, Pius nonus Póntifex máximus, totíus Ecclésiæ votis ánnuens, státuit suprémo suo atque infallíbili oráculo solémniter proclamáre. Itaque sexto Idus decémbris anni millésimi octingentésimi quinquagésimi quarti, in basílica Vaticána, ingénti sanctæ Románæ Ecclésiæ Patrum Cardinálium et Episcopórum ex díssitis étiam regiónibus astánte cœtu, universóque plau-

dénte orbe, solémniter pronuntiávit ac definívit: Doctrínam, quæ tenet beatíssimam Vírginem Maríam in primo instánti suæ Conceptiónis fuísse, singulári Dei privilégio, ab omni originális culpæ labe præservátam immúnem, esse a Deo revelátam, ac proínde ab ómnibus fidélibus firmiter constantérque credéndam.

℣. vi. Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius: * Et in cápite eius coróna stellárum duódecim. ℣. Induit eam Dóminus vestiméntis salútis, induménto iustítiæ, et quasi sponsam ornávit eam monílibus suis. - Et in cápite eius. - Glória. - Et in cápite eius.

In III Nocturno

Ant. 7 Sanctimónia et magnificéntia in Conceptióne eius: annuntiáte in ómnibus pópulis glóriam eius.

Ant. 8 Lætámini omnes in Dómino: et confitémini memóriæ sanctitátis eius.

Ant. 9 Notum fecit Dóminus opus suum: in conspéctu géntium revelávit glóriam Genetrícis suæ.

℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Germáni Epíscopi

In Præsent. Deiparæ

Ave, María, grátia plena, sanctis sánctior, et cælis excélsior, et Chérubim gloriósior, et Séraphim honorabílior, et super omnem creatúram venerabílior. Ave, colúmba, quæ nobis et fructum fers olívæ, et Servatórem a spirituáli dilúvio ac portum salútis annúntias: cuius pennæ deargentátæ et posterióra dorsi in pallóre auri, sanctíssimi et illuminántis Spíritus fulgóre irradiántur. Ave, amœnísimus et rationális Dei paradísus, benevolentíssima et omnipoténti eiúsdem déxtera hódie ad Oriéntem plantátus, et ipsi suáve

olens lílium et rosam immarcescíbilem gérminans in eórum medélam, qui pestíferam animæque exitiálem amaritúdinem mortis ad Occidéntem ebíberant: paradísus, in quo ad veritátis agnitiónem lignum vivíficum efflorescit, e quo qui gustáverint, immortalitátem consequúntur. Ave, sacrosáncte ædificátum, immaculátum, purissimúmque Dei summi Regis palátium, eiúsdem Dei Regis magnificéntia circumornátum, omnésque hospítio recípiens ac mýsticis refíciens delíciis; in quo non manufáctus et vário decóre nitens situs est spirituális Sponsi thálamus; in quo Verbum, errántem humánam stirpem revocáre volens, carnem sibi desponsávit, ut eos, qui voluntáte própria extórres facti fúerant, Patri reconciliáret.

℣. vii. Hortus conclúsus, soror mea sponsa, hortus conclúsus, fons signátus: * Emissiónes tuæ paradísus, o María. ℣. Aperi mihi, soror mea, amíca mea, colúmba mea, immaculáta mea. - Emissiónes tuæ.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viii

Ave, Dei mons præpínguis et umbrósus, in quo enutrítus Agnus rationális peccáta atque infirmitátes nostras portávit: mons, e quo devolútus ille nulla manu præcísus lapis contrívit aras idolórum, et factus est in caput ánguli, mirábilis in óculis nostris. Ave, sanctus Dei thronus, divínum donárium, domus glóriæ, perpúlchrum ornaméntum, cimélium eléctum, et totíus orbis propitiatórium, cælúmque Dei glóriam enárrans. Ave, urna ex puro auro confláta, et suavíssimam animárum nostrárum dulcédinem, Christum scílicet, qui manna est, cóntinens. O puríssima et omni laude et obséquio digníssima Virgo, Deo dicátum donárium omni creaturárum conditióni præcéllens, terra non secta, inarátus ager, vitis floridíssima, fons aquas effúndens, virgo génerans, et mater viri néscia, innocéntiæ thesáurus abscónditus et sanctimóniæ decus; acceptíssimis tuis ac matérna auctoritáte válidis précibus ad Dóminum ac Deum ómnium conditórem, Fílium tuum, ex te sine patre génitum, ecclesiástici órdinis guberná-

cula fac dírigas, et ad portum tranquíllum perdúcas. ℟. viii. Magníficat ánima mea Dóminum: * Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. ℣. Ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. - Quia fecit mihi.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix

Sacerdótes iustítia et probátæ, immaculátæ ac sincéræ fídei exsultatióne splendidíssime indúito. Orthodóxis princípibus, qui præ omni púrpuræ aut auri splendóre, et præ margarítis ac lapídibus pretiósis, te nacti sunt diadéma et induméntum ac firmíssimum regni sui ornaméntum in tranquíllo ac próspero statu sceptra dírige. Malefídas natiónes, in te ac Deum ex te génitum blasphemántes, eórum pédibus sternens subícito: subiectúmque pópulum, ut secúndum Dei præcéptum in suávi obediéntiæ obséquio persevéret, confirmáto. Tuam hanc civitátem, quæ te tamquam turrim ac fundaméntum habet, victóriæ triúmphis coronáto, et fortitúdine circumcíngens custodíto. Dei habitatiónem, templi decórem semper conserváto. Laudatóres tuos ab omni discrímine et ánimi angóre éxime. Captívis redemptiónem tribúito: peregrínis tecto et quovis præsídio destitútis solámen te éxhibe. Univérso mundo auxiliatrícem manum tuam pórrige, ut in lætítia et exsultatióne solemnitátes tuas simul cum ista, quam modo celebrámus, festivitáte splendidíssimo éxitu transigámus, in Christo Iesu universórum Rege ac vero Deo nostro, cui glória et fortitúdo una cum sancto vitáque princípio Patre, et coætérno et consubstantiáli et conregnánte Spíritu, nunc et semper et in sæcula sæculórum. Amen. Tu autem.

℟. ix. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit. ℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. - Ideo nihil inquinátum. - Glória. - Ideo nihil inquinátum.

Ante Laudes ℣. In Conceptióne tua immaculáta, Dei Génetrix Virgo. ℟. Cæli et terra læténtur.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Vestiméntum tuum cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

3. Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5. Trahe nos, Virgo immaculáta: post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capitulum Prov. 8

Dóminus possédit me in initio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Ad Bened. ant. Ait Dóminus Deus ad serpéntem: Inimicítias ponam inter te et mulíerem, et semen tuum et semen illíus: ipsa cónteret caput tuum, allelúia.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos eius intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúndem.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Ant. Vestiméntum tuum cándidum quasi nix, et fácies tua sicut sol.

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Deus omnípotens præcínxit me virtúte, * Allelúia, allelúia. Deus omnípotens. ℣. Et pósuit immaculátam viam meam. Allelúia. Glória. Deus omnípotens.

℣. In hoc cognóvi quóniam voluísti me. ℟. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus ut, qui ex morte eiúsdem Fílii tui prævísa eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos eius intercessióne ad te pervenire concédas. Per eúndem.

AD SEXTAM

Ant. Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Capitulum Ezech. 44

Porta hæc clausa erit: non aperiétur, et vir non intrábit per eam, quóniam Dóminus Deus Israël ingréssus est per eam, erítque clausa príncipi. Princeps ipse sedébit in ea.

℟. In hoc cognóvi quóniam voluísti me, * Allelúia, allelúia. In hoc. ℣. Quóniam non gaudébit inimícus meus super me. Allelúia. Glória. In hoc. ℣. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me. ℟. Nec delectásti inimícos meos super me.

AD NONAM

Ant. Trahe nos, Virgo immaculáta: post te currémus in odórem unguentórum tuórum.

Capitulum Apoc. 12

Signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℟. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, * Allelúia, allelúia. Exaltábo te. ℣. Nec delectásti inimícos meos super me. Allelúia. Glória. Exaltábo te.

℣. Immaculáta Concéptio tua, Dei Génetrix Virgo. ℟. Gáudium annuntiávit univérso mundo.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Tota pulchra es, María, et mácula originális non est in te.

Psalmi ut in festis B. Maríæ V. [33].

Capitulum Prov. 8

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Immaculáta Concéptio est hódie sanctæ Maríæ Vírginis. ℟. Quæ serpéntis caput virgíneo pede contrívit.

Ad Magnif. ant. Hódie egréssa est virga de radíce Iesse: hódie sine ulla peccáti labe concépta est María: hódie contrítum est ab ea caput serpéntis antíqui, allelúia.

Completorium B. M. V. 817.

Die 11 decembris

S. Damasi I

Papæ et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Dámasus Hispánus, vir egrégius et erudítus in Scriptúris sacris, indícto primo Constantinopolitáno concílio, nefáriam Eunómii et Macedónii hæresim exstínxit. Ariminénsem convéntum, a Li-

bério iam ante reiéctum, íterum condemnávit; in quo, ut scribit sanctus Hierónymus, Valéntis potíssimum et Ursácii fráudibus, damnátio Nicænæ fídei conclamáta est. Basílicas duas ædificávit: álteram sancti Lauréntii nómine ad theátrum Pompéii, álteram via Ardeatína ad Catacúmbas. Státuit, ut, quod plúribus iam locis erat in usu, psalmi per omnes ecclésias diu noctúque ab altérnis caneréntur, et in fine cuiúsque psalmi dicerétur: Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto. Eius iussu sanctus Hierónymus novum testaméntum Græcæ fídei réddidit. Multa étiam sanctórum Mártyrum córpora invénit, eorúmque memórias vérsibus exornávit. Virtúte, doctrína et prudéntia clarus, prope octogenárius, Theodósio senióre imperánte, obdormívit in Dómino.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arderites in mánibus vestris, * Et vos símiles hominibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Dámasi, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 24

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte quóniam, si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret pérfodi domum suam. Tu autem.

Die 13 decembris

S. Luciæ

Virginis et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Lúcia, virgo Syracusána, génere et christiána fide nóbilis, Cátanæ ad beátæ Agathæ sepúlcrum, Eutýchiæ matris, sánguinis fluxu laborántis, sanitátem impetrávit. Mox bona ómnia quæ in dotem esset acceptúra a matre impetráta, paupéribus distríbuit. Quare apud Paschásium præféctum, quod christiána esset, accusáta, nec blandítiis nec minis addúci pótuit, ut idólis sacrificáret. Tunc Paschásius ira inflammátus, Lúciam eo trahi iussit, ubi eius virgínitas violarétur; sed divínitus factum est, ut firma Virgo ita consísteret, ut nulla ví de loco dimovéri posset. Quam ob rem præféctus circum ipsam ignem accéndi imperávit; sed cum ne flamma quidem eam læderet, multis torméntis excruciátæ guttur gládio transfígitur. Quo vúlnere accépto, Lúcia prædícens Ecclésiæ tranquillitátem, quæ futúra erat Diocletiáno et Maximiáno mórtuis, Idibus decémbris spíritum Deo réddidit. Cuius corpus Syracúsis sepúltum, deínde Constantinópolim, postrémo Venétias translátum est.

℟. iii. Rogávi Dóminum meum Iesum Christum ut ignis iste non dominétur mihi: * Et impetrávi a Dómino indúcias martýrii mei. ℣. Ut credéntibus timórem áuferam passiónis, et non credéntibus vocem insultatiónis. - Et impetrávi. - Glória. - Et impetrávi.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Lúcia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Oránte sancta Lúcia, appáruit ei beáta Agatha, et consolabátur ancíllam Christi.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Lúcia virgo, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

3. Per te, Lúcia virgo, cívitas Syracusána decorábitur a Dómino Iesu Christo.

4. Benedíco te, Pater Dómini mei Iesu Christi, quia per Fílium tuum ignis exstínctus est a látere meo.

5. Soror mea Lúcia, virgo Deo devóta, quid a me petis, quod ipsa póteris præstáre contínuo matri tuæ?

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et

liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus

Iesu, coróna vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque pergis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. Colúmna es immóbilis, Lúcia, sponsa Christi: quia omnis plebs te exspéctat, ut accípias corónam vitæ, allelúia.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Lúciæ Vírginis et Mártyris tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Virginis [136].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Oránte sancta Lúcia, appáruit ei beáta Agatha, et consolabátur ancíllam Christi.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [138].

Ad Magnif. ant. Tanto póndere eam fixit Spíritus Sanctus, ut Virgo Dómini immóbilis permanéret.

Completorium de feria.

Die 20 decembris

S. Dominici Sylensis

Abbatis

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui præcláris vitæ méritis decorásti, et in liberándis captívis gloriósis lætificásti miráculis: concéde nobis fámulis tuis ut et ipsíus instruámur exémplis, et ab omni vitiórum servitúte eius patrocínio liberémur. Per.

Die 21 decembris

S. Thomæ Apostoli

II classis

Omnia de Communi Apostolorum [37], præter hic posita.

AD MATUTINUM

In I Nocturno

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 2

Et ego, cum venissem ad vos, fratres, veni non in sublimitáte sermónis aut sapiéntiæ, annúntians vobis testimónium Christi. Non enim iudicávi me scire áliquid inter vos nisi Iesum Christum et hunc crucifíxum. Et ego in infirmitáte et timóre et tremóre multo fui apud vos: et sermo meus et prædicátio mea non in persuasibílibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spíritus et virtútis: ut fides vestra non sit in sapiéntia hóminum, sed in virtúte Dei.

℟. i. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. - Estóte ergo prudéntes.

Lectio ii

Sapiéntiam autem lóquimur inter perféctos: sapiéntiam vero non huius sæculi, neque príncipum huius sæculi, qui destruúntur: sed lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram, quam nemo príncipum huius sæculi cognóvit: si enim cognovíssent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent.

℟. ii. Tóllite iugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. - Iugum enim.

Lectio iii

Sed, sicut scriptum est: Quod óculus non vidit, nec auris audívit, nec in cor hóminis ascéndit, quæ præparávit Deus iis qui díligunt illum: nobis autem revelávit Deus per Spíritum suum: Spíritus enim ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. Quis enim hóminum scit quæ sunt hóminis, nisi spíritus hóminis, qui in ipso est? Ita et quæ Dei sunt, nemo cognóvit, nisi Spíritus Dei. ℟. iii. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. - Dábitur enim vobis. - Glória. - Dábitur enim vobis.

In II Nocturno

Lectio iv

Thomas Apóstolus, qui et Dídymus, Galiléus, post accéptum Spíritum Sanctum in multas províncias proféctus est ad prædicándum Christi Evangélium: Parthis, Medis, Persis, Hyrcánis et Bactris christiánæ fídei et vitæ præcépta trádidit. Postrémo ad Indos se cónferens, eos in christiána religióne erudívit. Qui ad extrémum, vitæ doctrinéque sanctitáte et miraculórum magnitúdine, cum céteris ómnibus sui admiratiónem et Iesu Christi amórem commovísset, illíus gentis regem, idolórum cultórem, magis ad iram accéndit: cuius sententia condemnátus, telísque confóssus, Calamínæ apostolátus honórem martýrii coróna decorávit.

℟. iv. Vidi coniúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Isti sunt.

Sermo sancti Gregórii Papæ

Homil. 30 in Evang. post medium

Lectio v

Scriptum est: Spíritus Dómini ornávit cælos. Ornaménta enim cælórum sunt virtútes prædicántium. Quæ vidélicet ornaménta Paulus enúmerat, dicens: Alii datur per Spíritum sermo sapiéntiæ: álii sermo sciéntiæ secúndum eúndem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes iussa príncipum meruérunt prǽmia ætérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Modo coronántur.

Lectio vi

Quot ergo sunt bona prædicántium, tot sunt ornaménta cælórum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Dómini cæli firmáti sunt. Verbum enim Dómini, Fílius est Patris. Sed eósdem cælos, vidélicet sanctos Apóstolos, ut tota simul sancta Trínitas ostendátur operáta, repénte de Sancti Spíritus divinitáte adiúngitur: Et spíritu oris eius omnis virtus eórum. Cælórum ergo virtus de Spíritu sumpta est: quia mundi huius potestátibus contraíre non præsúmerent, nisi eos Sancti Spíritus fortitúdo solidásset.

℟. vi. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus: * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus, regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. - Qui in patiéntia vestra. - Glória. - Possidébitis ánimas vestras.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 20

In illo témpore: Thomas unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis quando venit Iesus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 26 in Evang. post medium

Non hoc casu, sed dívina dispensatióne gestum est. Egit namque

miro modo supérna cleméntia, ut discípulus ille dúbitans, dum in Magístro suo vúlnera palpáret carnis, in nobis vúlnera sanáret infidelitátis. Plus enim nobis Thomæ infidélitas ad fidem quam fides credéntium discipulórum prófuit: quia, dum ille ad fidem palpándo redúcitur, nostra mens, omni dubitatióne postpósita, in fide solidátur.

℟. vii. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Quorum doctrína.

Lectio viii

Sic quippe discípulum Dóminus post resurrectiónem suam dubitáre permísit, nec tamen in dubitatióne deséruit: sicut ante nativitátem suam Maríam sponsum habére voluit, qui tamen ad eius núptias non pervénit. Nam ita factus est discípulus dúbitans et palpans testis veræ resurrectiónis, sicut sponsus Matris fúerat custos integérrimæ virginitátis. Palpávit autem et exclamávit: Dóminus meus et Deus meus.

℟. viii. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. - Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas.

Lectio ix

Dicit ei Iesus: Quia vidísti me, Thoma, credidísti. Cum Paulus Apóstolus dicat, Est autem fides sperandárum substántia rerum, argumentum non apparéntium: profécto liquet quod fides illárum rerum arguméntum est, quæ apparére non possunt. Quæ étenim appárent, iam fidem non habent, sed agnitiónem. Dum ergo vidit Thomas, dum palpávit, cur ei dícitur, Quia vidísti me, Thoma, credidísti? Sed áliud vidit, áliud crédidit. A mortáli quippe hómine divínitas vidéri non pótuit. Hóminem ergo vidit, et Deum conféssus est, dicens: Dóminus meus et Deus meus.

℟. ix. Gregem tuum, Pastor ætérne, non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege, Dómine, pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. - Perpétua. - Glória. - Perpétua.

AD LAUDES

Ad Bened. ant. Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt et credidérunt, allelúia.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári: ut eius semper et patrocíniis sublevémur et fidem cóngrua devotióne sectémur. Per.

Ad memoriam de Adventu, omissa antiphona feriæ currentis, dicitur sequens

Ant. Nolíte timére: quinta enim die véniet ad vos Dóminus noster.

℣. Vox clamántis in desérto. ℟. Paráte viam Dómini.

Oratio dominicæ (vel feriæ, si hoc festum contigerit in ieiuniis Quatuor Temporum).

AD VESPERAS

Ad Magnif. ant. O Thoma Dídyme, qui Christum meruísti tángere: te précibus rogámus altísonis, succúrre nobis míseris, ne damnémur cum ímpiis in advéntu Iúdicis.

Completorium de dominica.

Die 22 decembris

Patrocinii B. Mariæ V.

Memoria

AD LAUDES

Ant. O gloriósa Dei Génetrix, virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem Angelórum sola virgo lactáre: nostri, quæsumus, pia memoráre, et pro nobis Christum deprecáre: ut tuis fulti patrocíniis ad cæléstia regna mereámur pervenire.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio

Deus, qui sub beatíssimæ Vírginis Maríæ singulári patrocínio órdinem Prædicatórum ad animárum salútem instítui, eiúsque perpétuis benefíciis cumulári voluísti: præsta supplícibus tuis ut, cuius hódie commemoratiónem cólimus, illíus protécti auxíliis ad cæléstem glóriam perducámur. Per.

Die 26 decembris
S. Stephani Protomart.
II classis

Sicubi hoc festum gradu I classis celebratur, dicitur ad memoriam:

Ant. Tu principátum tenes in choro Mártyrum símilis Angelo: qui pro te lapidántibus Deum deprecátus es, beáte Stéphane, intercéde pro nobis ad Dóminum.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Oratio Laudum.

AD MATUTINUM

Invit. Christum natum, qui beátum hódie coronávit Stéphanum, * Veníte, adorémus.

Hymnus de Communi unius Martyris [52].

In I Nocturno

Ant. 1 Beátus Stéphanus iugi legis Dei meditatióne roborátus, tamquam lignum fructíferum secus salutárium aquárum plantátum decúrsus, fructum martýrii in témpore suo dedit primus.

Psalmi de eodem Communi [52].

Ant. 2 Constitútus a Deo prædicátor præceptórum eius, in timóre sancto illi servíre stúduit: officióque fidéliter perácto, in montem sanctum eius ascéndere dignus fuit.

Ant. 3 In tribulatióne lápidum se preméntium pósitus, míllia pópuli se circumdántis non tímuit: quia susceptórem suum Iesum, ut eum salvum fáceret, exsúrgere in cælo vidit.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 6

In diébus illis, crescénte número discipulórum, factum est murmur Græcórum advérsus Hebræos, eo quod despiceréntur in ministério quotidiáno víduæ eórum. Convocántes autem duódecim multitúdinem discipulórum dixérunt: Non est æquum nos derelínquere verbum Dei et ministráre mensis. Consideráte ergo, fratres, viros ex vobis boni testimónii septem, plenos Spíritu Sancto et sapiéntia, quos constituámus super hoc opus. Nos vero oratióni et ministério verbi instántes érimus.

℟. i. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, * Faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

℣. Cum esset plenus Spíritu Sancto beátus Stéphanus. - Faciébat.

Lectio ii

Et plácuit sermo coram omni multitúdine. Et elegérunt Stéphanum, virum plenum fide et Spíritu Sancto, et Philíppum et Próchorum et Nicánorem et Timónem et Pármenam et Nicoláum ádvenam Antiochénum. Hos statuérunt ante conspéctum Apostolórum: et orántes imposuérunt eis manus. Et verbum Dómini crescébat, et multiplicabátur número discipulórum in Ierúsalem valde: multa étiam turba sacerdótum obediébat fídei.

℟. ii. Vidébant omnes Stéphanum, qui erant in concílio: * Et intuebántur vultum eius, tamquam vultum Angeli stantis inter illos. ℣. Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. - Et intuebántur.

Lectio iii

Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium et Alexandrinórum et eórum qui erant a Cilícia et Asia, disputántes cum Stéphano: et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui, qui loquebátur. Tunc submisérunt viros, qui dícerent se audívisse eum dicéntem verba blasphémiæ in Móysen et in Deum.

℟. iii. Intuens in cælum beátus Stéphanus vidit glóriam Dei, et ait: * Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem A dextris virtútis Dei. ℣. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, ait. - Ecce vídeo. - Glória. - A dextris virtútis Dei.

In II Nocturno

Ant. 4 Lúmine vultus tui, Dómine, insignítus Protomártyr Stéphanus, sacrifícium iustítiæ seípsum tibi sacrificávit: ideóque in lætítia cordis, in pace obdórmiens requiéscit.

Ant. 5 Benedictiónis tuæ, Dómine, múnere iustificátus et scuto tuæ protectiónis in passióne munítus, nóminis sui corónam Stéphanus a te percípere méruit.

Ant. 6 O quam admirábile est nomen tuum, Dómine Deus noster, pro quo beátus Stéphanus passus, glória et honóre a te est

coronátus, et super cælos dono tuæ magnificéntiæ exaltátus!

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Sermo sancti Fulgéntii Epíscopi

Sermo de S. Stephano

Lectio iv

Heri celebrávimus temporálem sempitérni Regis nostri natálem: hódie celebrámus triumphálem mílitis passiónem. Heri enim Rex noster trábea carnis indútus, de aula úteri virgináli egrédiens, visitáre dignátus est mundum: hódie miles de tabernáculo córporis éxiens, triumphátor migrávit ad cælum. Ille, sempitérnæ Deitátis maiestáte serváta, servíle cinctórium carnis assúmens, in huius sæculi campum pugnatúrus intrávit; iste, depósitis corruptibílibus córporis induméntis, ad cæli palátium perénniter regnatúrus ascéndit.

℟. iv. Lapidábant Stéphanum invocántem et dicéntem: Dómine Iesu Christe, áccipe spíritum meum: et * Ne státuas illis hoc peccátum. ℣. Pósitis autem génibus, beátus Stéphanus orábat, dicens. - Ne státuas.

Lectio v

Ille descéndit carne velátus: iste ascéndit sánguine laureátus. Ascéndit iste, lapidántibus Iudæis: quia ille descéndit, lætántibus Angelis. Glória in excélsis Deo, heri exsultántes sancti Angeli cantavérunt: hódie Stéphanum lætántes in suum consórtium suscepérunt. Heri Dóminus exívit de útero Vírginis: hódie miles egréssus est de ergástulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est involútus: hódie Stéphanus stola est ab eo immortalitátis indútus.

℟. v. Impetum fecérunt unanímiter in eum, et eiecérunt eum extra civitátem, * Invocántem et dicéntem: Dómine, áccipe spíritum meum. ℣. Et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus: et lapidábant Stéphanum. - Invocántem.

Lectio vi

Heri præsépis angústia Christum portávit infántem: hódie imménsitas cæli suscépit Stéphanum triumphántem. Solus descéndit Dóminus, ut multos eleváret: humiliávit se Rex noster, ut suos mílites exaltáret. Necessárium tamen nobis est, fratres, agnóscere quibus armis præcínctus Stéphanus sævítiam Iudæórum pótuit superáre, ut ita meruísset felíciter triumpháre. Stéphanus ergo, ut nóminis sui corónam meruísset accípere, caritátem pro armis habébat, et per ipsam ubíque vincébat.

℟. vi. Stéphanus servus Dei, quem lapidábant Iudæi, vidit cælos apértos: vidit et introívit: * Beátus homo, cui cæli patébant. ℣. Cum ígitur saxórum crepitántium túrbine quaterétur, inter æthéreos aulæ cæléstis sinus divína ei cláritas fulsit. - Beátus homo. - Glória. - Beátus homo.

In III Nocturno

Ant. 7 In Dómino Deo suo confísus fortis athléta Stéphanus, lápidum fórtiter sustínuit ictus: et idcírco ad montem virtútum transmigrávit victoriósus.

Ant. 8 Sine mácula beátus Stéphanus ingréssus est, Dómine, in tabernáculum tuum: et, quia operátus est iustítiam, requiéscit in monte sancto tuo.

Ant. 9 Dómine, virtus et lætítia rectórum: quóniam tu prævenísti diléctum tibi Stéphanum dono gratúitæ benedictiónis, te primum secútus est morte gloriósæ passiónis: unde cum coróna martýrii dedísti ei vitam in sæculum sæculi.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 23

In illo témpore: Dicébat Iesus scribis et pharisæis: Ecce ego mitto ad vos prophétas et sapiéntes et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 4 Comm. in c. 23 Matth.

Obsérva, iuxta Apóstolum scribéntem ad Corínthios, vária esse dona discipulórum Christi: álios prophétas, qui ventúra prædícent: álios sapiéntes, qui novérunt quando débeant proférre sermónem: álios scribas in lege doctíssimos: ex quibus lapidátus est Stéphanus, Paulus occísus, crucifíxus Petrus, flagelláti in Actibus Apostolórum discípuli. Quærímus, quis sit iste Zacharías fílius Barachíæ; quia multos légimus Zacharías.

℟. vii. Impii super iustum iactúram fecérunt, ut eum morti tráderent: * At ille gaudens suscépit lápides, ut mererétur accípere corónam glóriæ. ℣. Continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. - At ille gaudens.

Lectio viii

In divérsis divérsa legi: et débeo singulórum opiniónes pónere. Alii Zacharíam fílium Barachíæ dicunt, qui in duódecim prophétis undécimus est, patrísque in eo nomen conséntit: sed ubi occísus sit inter templum et altáre, Scriptúra non lóquitur; máxime cum tempóribus eius vix ruínæ templi fúerint. Alii Zacharíam patrem Ioánnis intélligi volunt, ex quibúsdam apocryphórum sómniis approbántes, quod proptérea occísus sit, quia Salvatóris prædicáret advéntum.

℟. viii. Patefáctæ sunt iánuæ cæli Christi Mártyri beáto Stéphano, qui in número Mártyrum invéntus est primus: * Et ídeo triúmphat in cælis coronátus. ℣. Mortem enim, quam Salvátor dignátus est pro ómnibus pati, hanc ille primus réddidit Salvatóri. - Et ídeo.

Lectio ix

Alii istum esse volunt Zacharíam, qui occísus est a Ioas rege Iuda inter templum et altáre, sicut Regum narrat história. Sed observándum quod ille Zacharías non sit fílius Barachíæ, sed fílius Ióiadæ sacerdótis: unde et Scriptúra refert: Non fuit recordátus Ioas patris eius Ióiadæ, quia sibi fecísset bona. Cum ergo et Zacharíam teneámus et occisiónis conséntiat locus: quærimus quare Barachíæ dícitur fílius, et non Ióiadæ? Barachías lingua nostra Benedíctus Dómini dícitur: et sacerdótis Ióiadæ iustítia hebræo nómine demonstrátur. In Evangélio quo utúntur Nazaræi, pro fílio Barachíæ fílium Ióiadæ reperímus scriptum.

℟. ix. Sancte Dei pretióse Protomártyr Stéphane, qui virtúte caritátis circumfúltus úndique, Dóminum pro inimíco exorásti pópulo: * Funde preces Pro devóto tibi nunc collégio. ℣. Ut tuo propitiátus intervéntu, Dóminus nos purgátos a peccátis iungat cæli cívibus. - Funde preces. - Glória. - Pro devóto.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Stéphane. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Lapidavérunt Stéphanum, et ipse invocábat Dóminum dicens: Ne státuas illis hoc peccátum.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Lápides torréntis illi dulces fuérunt: ipsum sequúntur omnes ánimæ iustæ.

3. Adhæsit ánima mea post te, quia caro mea lapidáta est pro te, Deus meus.

4. Stéphanus vidit cælos apértos, vidit et introívit: beátus homo cui cæli patébant.

5. Ecce vídeo cælos apértos et Iesum stantem a dextris Dei.

Capitulum Act. 6

Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus

Martyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus:
Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.
Solúta sunt iam víncula
Tui sacráti córporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Bened. ant. Intuens in cælum beátus Stéphanus vidit glóriam Dei et ait: Ecce vídeo cælos apértos et Fílium hóminis stantem a dextris Dei.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere: quia eius natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

Memoria de Nativitate

Ant. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem Dóminum.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus, ut discámus et inimícos dilígere: quia eius natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat.

AD SEXTAM

Capitulum Act. 7

Cum esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei et Iesum stantem a dextris Dei.

℟. Posuísti, Dómine, super caput eius, * Allelúia, allelúia. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúia. Glória. Posuísti. ℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Capitulum Act. 7

Pósitis autem génibus, beátus Stéphanus clamávit voce magna dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum.

℟. Magna est glória eius in salutári tuo, * Allelúia, allelúia. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúia. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de Nativitate 77.

Capitulum Act. 6

Stéphanus autem plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo.

Hymnus

Deus, tuórum mílitum
Sors et coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter:
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. ant. O quam gloriósus est beátus Stéphanus Martyr et Levíta, qui ante Apóstolos regna cæléstia possidére méruit et ad Patris déxteram Fílium vidére!

Memoria de Nativitate

Ant. Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie processit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Oratio Concéde, ut supra 842.

Die 27 decembris

S. Ioannis Apostoli et Evangelistæ

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Antiphonæ et psalmi ut in festo Nativitatis 77.

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

℟. In médio ecclésiæ apéruit os eius * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intellectus. ℣. Iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. - Et implévit eum. - Glória. - Et implévit eum.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 850.

Ad Magnif. ant. Valde honorándus est beátus Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut, beáti Ioánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

AD MATUTINUM

Invit. Adorémus regem Apostolórum, * Qui privilégio amóris Ioánnem dilexit Apóstolum.

Hymnus de Communi Apostolorum [38].

In I Nocturno

Ant. 1 Ioánnes, Apóstolus et Evangelísta, virgo est eléctus a Dómino, atque inter céteros magis diléctus.

Psalmi de eodem Communi [38].

Ant. 2 Supra pectus Dómini Iesu recúmbens, Evangélii fluénta de ipso sacro Domínici péctoris fonte potávit.

Ant. 3 Quasi unus de paradísi flumínibus, Evangelísta Ioánnes verbi Dei grátiam in toto terrárum orbe diffúdit.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Incipit Epístola prima beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 1

Quod fuit ab inítio, quod audívimus, quod vídimus óculis nostris, quod perspéximus, et manus nostræ contrectavérunt de verbo vitæ: et vita manifestáta est, et vídimus et testámur et annuntiámus vobis vitam ætérnam, quæ erat apud Patrem et appáruit nobis: quod vídimus et audívimus, annuntiámus vobis, ut et vos societátem habeátis nobíscum, et societas nostra sit cum Patre et cum Fílio eius Iesu Christo.

℟. i. Valde honorándus est beátus Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit: * Cui Christus in cruce Matrem vírginem vírgini commendávit. ℣. Virgo est eléctus a Dómino, atque inter céteros magis diléctus. - Cui Christus.

Lectio ii

Et hæc scríbimus vobis ut gaudeátis, et gáudium vestrum sit plenum. Et hæc est annuntiátio, quam audívimus ab eo et annuntiámus vobis: Quóniam Deus lux est, et ténebræ in eo non sunt ullæ. Si dixérimus quóniam societátem habémus cum eo, et in ténebris ambulámus, mentímur et veritátem non fácimus. Si autem in luce ambulámus sicut et ipse est in luce, societátem habémus ad ínvicem, et sanguis Iesu Christi Fílii eius emúndat nos ab omni peccáto.

℟. ii. Hic est discípulus

ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc: * Et scimus quia verum est testimónium eius. ℣. Fluénta Evangélii de ipso sacro Domínici péctoris fonte potávit. - Et scimus.

Lectio iii

Si dixérimus quóniam peccátum non habémus, ipsi nos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Si confiteámur peccáta nostra: fidélis est et iustus, ut remíttat nobis peccáta nostra et emúndet nos ab omni iniquitáte. Si dixérimus quóniam non peccávimus: mendácem fácimus eum, et verbum eius non est in nobis.

℟. iii. Hic est beatíssimus Evangelísta et Apóstolus Ioánnes, * Qui privilégio amóris præcípui, céteris áltius A Dómino méruit honorári. ℣. Hic est discípulus ille, quem diligébat Iesus: qui supra pectus Dómini in cena recúbuit. - Qui privilégio. - Glória. - A Dómino méruit honorári.

In II Nocturno

Ant. 4 In fervéntis ólei dólium missus Ioánnes Apóstolus, divína se protegénte grátia, illæsus exívit.

Ant. 5 Propter insuperábilem evangelizándi constántiam exsílio relegátus, divínæ visiónis et allocutiónis méruit crebra consolatióne relevári.

Ant. 6 Occúrrit beáto Ioánni, ab exsílio reverténti, omnis pópulus virórum ac mulíerum, clamántium et dicéntium: Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

Ex libro sancti Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus ecclesiásticis

Lectio iv Cap. 9

Ioánnes Apóstolus, quem Iesus amávit plúrimum, fílius Zebedæi, frater Iacóbi Apóstoli, quem Heródes post passiónem Dómini decollávit, novíssimus ómnium scripsit Evangélium, rogátus ab Asiæ epíscopis, advérsus Cerínthum aliósque hæréticos et máxime tunc Ebionitárum dogma consúrgens, qui ásserunt Christum ante Maríam non fuísse: unde et compúlsus est divínam eius nativitátem edícere.

℟. iv. Qui vícerit, fáciam illum colúmnam in templo meo, dicit Dóminus: * Et scribam super eum nomen

novum et nomen civitátis novæ Ierúsalem. ℣. Vincénti dabo édere de ligno vitæ, quod est in paradíso Dei mei. - Et scribam super eum nomen novum et nomen civitátis novæ Ierúsalem.

Lectio v

Quartodécimo autem anno, secúndam post Nerónem persecutiónem movénte Domitiáno, in Patmos ínsulam relegátus, scripsit Apocalýpsim, quam interpretátur Iustínus Martyr et Irenæus. Interfécto autem Domitiáno et actis eius ob nímiam crudelitátem a senátu rescíssis, sub Nerva príncipe rédiit Ephesum: ibíque usque ad Traiánum príncipem persevérans, totas Asiæ fundávit rexítque Ecclésias. Et conféctus sénio, sexagésimo octávo post passiónem Dómini anno mórtuus, iuxta eándem urbem sepúltus est.

℟. v. Diligébat autem eum Iesus, quóniam speciális prærogatíva castitátis amplióri dilectióne fécerat dignum: * Quia virgo eléctus ab ipso, virgo in ævum permánsit. ℣. In cruce dénique moritúrus, huic Matrem vírginem vírgini commendávit. - Quia virgo.

Ex Commentáriis eiúsdem in Epístolam ad Gálatas

Lectio vi Lib. 3, cap. 6

Beátus Ioánnes Evangelísta cum Ephesi morarétur usque ad últimam senectútem, et vix inter discipulórum manus ad ecclésiam deferrétur, nec posset in plura verba vocem contéxere, nihil áliud per síngulas solébat proférre colléctas, nisi hoc: Filíoli, dilígite altérutrum. Tandem discípuli et fratres, qui áderant, tædio affécti quod éadem semper audírent, dixérunt: Magíster, quare hoc semper lóqueris? Qui respóndit dignam Ioánne sententiam: Quia præcéptum Dómini est: et, si solum fiat, súfficit.

℟. vi. Iste est Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit:* Beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. ℣. Iste est Ioánnes, cui Christus in cruce Matrem vírginem vírgini commendávit. - Beátus Apóstolus. - Glória. - Beátus Apóstolus.

In III Nocturno

Ant. 7 Appáruit caro suo Ioánni Dóminus Iesus Christus cum discípulis suis et ait illi: Veni, dilécte mi, ad me, quia tempus est ut epuléris in convívio meo cum frátribus tuis.

Ant. 8 Expándens manus suas ad Deum dixit: Invitátus ad convívium tuum vénio, grátias agens, quia me dignátus es, Dómine Iesu Christe, ad tuas épulas invitáre: sciens quod ex toto corde meo desiderábam te.

Ant. 9 Dómine, súscipe me, ut cum frátribus meis sim, cum quibus véniens invitásti me: áperi mihi iánuam vitæ et perduc me ad convívium epulárum tuárum: tu enim es Christus Fílius Dei vivi, qui præcépto Patris mundum salvásti: tibi grátias referimus per infiníta sæculórum sæcula.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est princípátus eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 21

In illo témpore: Dixit Iesus Petro: Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem diligébat Iesus, sequéntem. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 124 in Ioann. post medium

Duas vitas sibi divínitus prædicátas et commendátas novit Ecclésia: quarum una est in fide, áltera in spécie: una in témpore peregrinatiónis, áltera in ætérnitáte mansiónis: una in labóre, áltera in réquie: una in via, áltera in pátria: una in ópere actiónis, áltera in mercéde contemplatiónis. Una declínat a malo et facit bonum: áltera nullum habet, a quo declínet, malum; et magnum habet, quo perfruátur, bonum. Una cum hoste pugnat, áltera sine hoste regnat.

℟. vii. In illa die suscípiam te servum meum: et ponam te sicut signáculum in conspéctu meo: * Quóniam ego elégi te, dicit Dóminus. ℣. Esto fidélis usque ad mortem, et dabo tibi corónam vitæ. - Quóniam.

Lectio viii

Una súbvenit indigénti: áltera ibi est, ubi nullum ínvenit indigéntem. Una aliéna peccáta, ut sua sibi ignoscántur, ignóscit: áltera nec pátitur quod ignóscat, nec facit quod sibi poscat ignósci. Una flagellátur malis, ne extollátur in bonis: áltera tanta plenitúdine grátiæ caret omni malo, ut sine ulla tentatióne supérbiæ cohæreat summo bono.

℟. viii. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum: * Et exaltávit eum apud próximos suos. ℣. In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eum spíritu sapiéntiæ et intelléctus. - Et exaltávit eum.

Lectio ix

Ergo una bona est, sed adhuc mísera: áltera mélior et beáta. Ista significáta est per Apóstolum Petrum, illa per Ioánnem. Tota hic ágitur ista usque in huius sæculi finem et illic ínvenit finem: differtur illa complénda post huius sæculi finem, sed in futúro sæculo non habet finem. Ideo dícitur huic: Séquere me. De illo autem: Sic eum volo manére donec véniam, quid ad te? tu me séquere. Quid enim est hoc? Quantum sápio, quantum cápio, quid est hoc? nisi, Tu me séquere per imitatiónem, perferéndo temporália mala: ille máneat, donec sempitérna vénio redditúrus bona.

℟. ix. In médio ecclésiæ apéruit os eius * Et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus. ℣. Iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. - Et implévit eum. - Glória. - Et implévit eum.

Ante Laudes ℣. Valde honorándus est beátus Ioánnes. ℟. Qui supra pectus Dómini in cena recúbuit.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his: et scimus quia verum est testimónium eius.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Hic est discípulus meus: sic eum volo manére donec véniam.

3. Ecce puer meus eléctus, quem elégi: pósui super eum spíritum meum.

4. Sunt de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec vídeant Fílium hóminis in regno suo.

5. Sic eum volo manére donec véniam: tu me séquere.

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

Ad Bened. ant. Iste est Ioánnes, qui supra pectus Dómini in cena recúbuit: beátus Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut, beáti Ioánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Memoria de Nativitate

Ant. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem Dóminum.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem terram. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem terram.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 15

Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui,

Dómine. Allelúia, allelúia. Glória. Constítues eos príncipes super omnem terram, allelúia, allelúia.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut, beáti Ioánnis Apóstoli tui et Evangelístæ illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 15

In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de Nativitate 77.

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Exsúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos, sæcli iusti iúdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque eius sólvitis,
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus et languor ómnium:
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnif. ant. In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, stoláque glóriæ índuit eum, allelúia, allelúia, allelúia.

Memoria de Nativitate

Ant. Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem Dóminum.

Die 28 decembris

Ss. Innocentium

Martyrum

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur: Omnia ut in II Vesperis præter hic posita.

℟. Centum quadragínta 861.

Ad Magnif. ant. Ambulábunt mecum in albis, quóniam digni sunt: et non delébo nómina eórum de libro vitæ.

Oratio Laudum.

AD MATUTINUM

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui beátis Martýribus corónam dedit glóriæ.

Hymnus

Quæ vox, quæ póterit
lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.

Te, summa Déitas únaque, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Novit Dóminus vias Innocéntium, qui non stetérunt in viis peccatórum.

Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus viam iustórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Novit Dóminus vias Innocéntium, qui non stetérunt in viis peccatórum.

Ant. 2 Rex terræ infrémuit advérsus Christum: quia Rex in Sion constitútus super Innocéntium míllia regnat.

Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Rex terræ infrémuit advérsus Christum: quia Rex in Sion constitútus super Innocéntium míllia regnat.

Ant. 3 Deus iudex iustus, iúdica nos secúndum innocéntiam nostram.

Psalmus 7

Dómine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam et comprehéndat, ℣ et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti: * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus iúdicat pópulos.

Iúdica me, Dómine, secúndum iustítiam meam * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges iustum, * scrutans corda et renes, Deus.

Iustum adiutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis et pátiens: * numquid irascitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis, * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit iniustítiam: * concépit dolórem et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit et effódit eum: * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor eius in caput eius: * et in vérticem ipsíus iníquitas eius descéndet.

Confitébor Dómino secúndum iustítiam eius: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Deus iudex iustus, iúdica nos secúndum innocéntiam nostram.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

De Ieremía Prophéta

Lectio i Cap. 31

Hæc dicit Dóminus: Vox in excélso audíta est lamentatiónis, luctus et fletus Rachel plorántis fílios suos, et noléntis consolári super eis, quia non sunt. Hæc dicit Dóminus: Quiéscat vox tua a plorátu, et óculi tui a lácrimis: quia est merces óperi tuo, ait Dóminus: et reverténtur de terra inimíci. Et est spes novíssimis tuis, ait Dóminus: et reverténtur fílii ad términos suos. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. i. Sub altáre Dei audívi voces occisórum dicéntium: Quare non deféndis sánguinem nostrum? Et accepérunt divínum respónsum: * Adhuc sustinéte módicum tempus, donec impleátur númerus fratrum vestrórum. ℣. Et datæ sunt illis síngulæ stolæ albæ: et dictum est illis. - Adhuc sustinéte.

Lectio ii

Audiens audívi Ephraim transmigrántem: Castigásti me, et erudítus sum, quasi iuvénculus indómitus. Convérte me, et convértar: quia tu Dóminus Deus meus. Postquam enim convertísti me, egi pæniténtiam: et postquam ostendísti mihi, percússi femur meum. Confúsus sum et erúbui, quóniam sustínui oppróbrium adolescéntiæ meæ. Si fílius honorábilis mihi Ephraim, si puer delicátus: quia ex quo locútus sum de eo, adhuc recordábor eius. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. ii. Effudérunt sánguinem Sanctórum velut aquam in circúitu Ierúsalem: * Et non erat qui sepelíret. ℣. Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. - Et non erat qui sepelíret.

Lectio iii

Státue tibi spéculam, pone tibi amaritúdines: dírige cor tuum in viam rectam, in qua ambulásti: revértere, virgo Israël, revértere ad civitátes tuas istas. Usquequo delíciis dissolvéris, fília vaga? Quia creávit Dóminus novum super terram: Fémina circúmdabit virum. Hæc dicit Dóminus exercítuum, Deus Israël. Adhuc dicent verbum istud in terra Iuda et in úrbibus eius, cum convértero captivitátem eórum: Benedícat tibi Dóminus, pulchritúdo iustítiæ, mons sanctus. Hæc dicit Dóminus Deus: Convertímini ad me, et salvi éritis.

℟. iii. Adoravérunt vivéntem in sæcula sæculórum, * Mitténtes corónas suas ante thronum Dómini Dei sui. ℣. Et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas: et benedixérunt vivéntem in sæcula. - Mitténtes. - Glória. - Mitténtes.

In II Nocturno

Ant. 4 Ex ore infántium, Deus, et lacténtium laude perfécta déstruis inimícum.

Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ✠ glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ex ore infántium, Deus, et lacténtium laude perfécta déstruis inimícum.

Ant. 5 Iudicábit Dóminus pupíllum et víduam, et pluet super peccatóres láqueos ignis.

Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ✠ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis et sulphur et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

Ant. Iudicábit Dóminus pupíllum et víduam, et pluet super peccatóres láqueos ignis.

Ant. 6 Mortis usúras rex ímpius exégit super Innocéntes: sed illi requiéscunt in monte sancto Dei: malígnus ad níhilum est dedúctus.

Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ꝛ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Mortis usúras rex ímpius exégit super Innocéntes: sed illi requiéscunt in monte sancto Dei: malígnus ad níhilum est dedúctus.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 10 de Sanct. in Append. 72

Lectio iv

Hódie, fratres caríssimi, natálem illórum infántium cólimus, quos ab Heróde crudelíssimo rege interféctos esse Evangélii textus elóquitur. Et ídeo cum summa exsultatióne gáudeat terra nostra, cæléstium mílitum et tantárum parens fecúnda virtútum. Ecce profánus hostis numquam beátis párvulis tantum prodésse potuísset obséquio, quantum prófuit ódio. Nam, sicut sacratíssimum præséntis diéi festum manifestat, quantum contra beátos párvulos iníquitas abundávit, tantum in eis grátia benedictiónis effúlsit. Tu autem.

℟. iv. Isti sunt Sancti, qui passi sunt propter te, Dómine: víndica eos, * Quia clamant ad te quotídie. ℣. Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. - Quia clamant.

Lectio v

Digne tamen natálem illórum cólimus, quos beátius ætérnæ vitæ mundus édidit, quam quos maternórum víscerum partus effúdit. Síquidem ante vitæ perpétuæ adépti sunt dignitátem, quam usum præséntis accéperint. Alió… quidem pretiósa mors Mártyrum laudem in confessióne proméruit: horum

in consummatióne complácuit. Quia in incipiéntis vitæ primórdiis, ipse eis occásus inítium glóriæ dedit, qui præséntis términum impósuit.

℟. v. Cantábant Sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni: * Et resonábat terra in voces eórum. ℣. Sub throno Dei Sancti clamant: Víndica sánguinem nostrum, Deus noster. - Et resonábat.

Lectio vi

Idem, Serm. 9 de Sanct.

Quam beáta ætas, quæ necdum Christum potest loqui et iam pro Christo merétur occídi! Nondum opportúna vúlneri et iam idónea passióni! Quam felíciter nati, quibus in primo nascéndi límine, ætérna vita óbviam venit! Incúrrunt quidem, inter ipsa primórdia accéptæ lucis, perículum et finem salútis: sed de ipso prótinus fine cápiunt princípia æternitátis. Immatúri quidem vidéntur ad mortem: sed felíciter moriúntur ad vitam.

℟. vi. Isti sunt Sancti qui non inquinavérunt vestiménta sua: * Ambulábunt mecum in albis, Quia digni sunt. ℣. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. - Ambulábunt mecum. - Glória. - Quia digni sunt.

In III Nocturno

Ant. 7 Quis ascéndet aut quis stabit in loco sancto Dei? Innocens mánibus et mundo corde.

Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ꝛ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ꝛ et elevámini, portæ ætemáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ꝛ et elevá-

mini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Quis ascéndet aut quis stabit in loco sancto Dei? Innocens mánibus et mundo corde.

Ant. 8 Innocéntes adhæsérunt mihi, quorum pedes avúlsi sunt a láqueo mortis.

Psalmus 24

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes, * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua et doce me: * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sáculo sunt.

Delícta iuventútis meæ, * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in iudício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum eius et testimónia eius.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima eius in bonis demorábitur: * et semen eius hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me et miserére mei: * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum: * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam et érue me: * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Innocéntes adhæsérunt mihi, quorum pedes avúlsi sunt a láqueo mortis.

Ant. 9 Fílio regis datum est iudícium, ut salvet innocéntes fílios páuperum: et humiliábit Heródem calumniatórem.

Psalmus 71

Deus, iudícium tuum regi da: * et iustítiam tuam fílio regis:

Iudicáre pópulum tuum in iustítia, * et páuperes tuos in iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: * et colles iustítiam.

Iudicábit páuperes pópuli, ℣ et salvos fáciet fílios páuperum: * et humiliábit calumniatórem.

Et permanébit cum sole et ante lunam, * in generatióne et generatiónem.

Descéndet sicut plúvia in vellus: * et sicut stillícídia stillántia super terram.

Oriétur in diébus eius iustítia et abundántia pacis: * donec auferátur luna.

Et dominábitur a mari usque ad mare: * et a flúmine usque ad términos orbis terrárum.

Coram illo prócident Æthíopes: * et inimíci eius terram lingent.

Reges Tharsis et ínsulæ múnera ófferent: * reges Arabum et Saba dona addúcent:

Et adorábunt eum omnes reges terræ: * omnes gentes sérvient ei:

Quia liberábit páuperem a poténte: * et páuperem cui non erat adiútor.

Parcet páuperi et ínopi: * et ánimas páuperum salvas fáciet.

Ex usúris et iniquitáte rédimet ánimas eórum: * et honorábile nomen eórum coram illo.

Et vivet et dábitur ei de auro Arábiæ, ℣ et adorábunt de ipso semper: * tota die benedícent ei.

Et erit firmaméntum in terra in summis móntium, ℣ superextollétur super Líbanum fructus eius: * et florébunt de civitáte sicut fenum terræ.

Sit nomen eius benedíctum in sæcula: * ante solem pérmanet nomen eius.

Et benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: * omnes gentes magnificábunt eum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, * qui facit mirabília solus:

Et benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: ℣ et replébitur maiestáte eius omnis terra: * fiat, fiat.

Ant. Fílio regis datum est iudícium, ut salvet innocéntes fílios páuperum: et humiliábit Heródem calumniatórem.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 2

In illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph, dicens: Surge et áccipe Púerum et Matrem eius, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comm. in cap. 2 Matth. et apud Gloss. ord.

Quando tulit Púerum et Matrem eius, ut in Ægýptum tránseat, nocte tulit et in ténebris: quia noctem ignorántiæ his, a quibus ipse recéssit, relíquit incrédulis. Quando vero revértitur in Iudæam, nec nox nec ténebræ in Evangélio ponúntur: quia in fine mundi Iudæi fidem, tamquam Christum ab Ægýpto reverténtem, suscipiéntes, illuminabúntur.

℟. vii. Vidi sub altáre Dei ánimas interfectórum propter verbum Dei, quod habébant, et clara voce dicébant: Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, * Qui effúsus est. ℣. Sub throno Dei Sancti clamant: Víndica, Dómine, sánguinem nostrum. - Qui effúsus est.

Lectio viii

Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi fílium meum. Respóndeant qui hebræórum volúminum dénegant veritátem ubi hoc in Septuagínta legátur interprétibus. Quod cum non invénerint, nos eis dicémus, in Osée prophéta scriptum, sicut et exemplária probáre possunt, quæ nuper edídimus.

℟. viii. Sub throno Dei Sancti clamant: * Víndica sánguinem nostrum, Deus noster. ℣. Sub altáre Dei audívi voces occisórum, clamántium et dicéntium. - Víndica.

Lectio ix

Tunc adimplétum est quod dictum est per Ieremíam prophétam dicéntem: Vox in Rama audíta est, plorátus et ululátus multus: Rachel plorans fílios suos. De Rachel natus est Béniamin, in cuius tribu non est Béthlehem. Quæritur ergo quómodo Rachel fílios Iudæ, id est Béthlehem, quasi suos ploret. Respondébimus bréviter quia sepúlta sit iuxta Béthlehem in Ephrata, et ex matérno corpúsculi hospítio matris nomen accéperit. Sive quóniam Iuda et Béniamin duæ tribus iunctæ erant: et Heródes præcéperat non solum in Béthlehem intérfici púeros, sed et in ómnibus fínibus eius.

℟. ix. Centum quadragínta quátuor míllia, qui empti sunt de terra, hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim permansérunt: * Ideo regnant cum Deo, et Agnus Dei In illis. ℣. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno: et in ore ipsórum non est invéntum mendácium. - Ideo regnant. - Glória. - In illis.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Heródes irátus occídit multos púeros in Béthlehem Iudæ civitáte David.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. A bimátu et infra occídit multos púeros Heródes propter Dóminum.

3. Vox in Rama audíta est, plorátus et ululátus: Rachel plorans fílios suos.

4. Sub throno Dei Sancti clamant: Víndica sánguinem nostrum, Deus noster.

5. Cantábant Sancti cánticum novum ante sedem Dei et Agni: et resonábat terra in voces eórum.

Capitulum Apoc. 14

Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen eius et nomen Patris eius scriptum in fróntibus suis.

Hymnus

Catérva matrum pérsonat
Collísa deflens pignora,
Quorum tyránnus míllia
Christo sacrávit víctimas.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Bened. ant. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt et sequúntur Agnum quocúmque íerit.

Oratio

Deus, cuius hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Per.

Memoria de Nativitate

Ant. Nésciens Mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum: ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat úbere de cælo pleno.

℣. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. ℟. Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet, quos sub peccáti iugo vetústa sérvitus tenet. Per eúndem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, * Allelúia, allelúia. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Capitulum Apoc. 14

Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit.

℟. Exsúltent iusti in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capitulum Apoc. 14

Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore ipsórum non est invéntum mendácium.

℟. Iusti autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Iusti autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Iusti autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD VESPERAS

Antiphonæ et psalmi de Nativitate 77.

Capitulum Apoc. 14

Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia habéntes nomen eius et nomen Patris eius scriptum in fróntibus suis.

Hymnus

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te, summa Déitas úna que, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. ant. Innocéntes pro Christo infántes occísi sunt, ab iníquo rege lacténtes interfécti sunt: ipsum sequúntur Agnum sine mácula, et dicunt semper: Glória tibi, Dómine.

Memoria de Nativitate

Ant. Gaudeámus omnes fidéles, Salvátor noster natus est in mundo: hódie procéssit proles magnífici gérminis, et persevérat pudor virginitátis.

℣. Tamquam sponsus. ℟. Dóminus procédens de thálamo suo.

Oratio Concéde, ut supra 862.

Die 29 decembris

S. Thomæ

Episcopi et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Deus, pro cuius Eccléssia gloriósus Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus, ut omnes, qui eius implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per.

Die 31 decembris

S. Silvestri I

Papæ et Confessoris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Silvéstri Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

Die 14 ianuarii

S. Hilarii

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Hilárius, in Aquitánia nóbili génere natus, doctrína et eloquéntia excélluit. Pictavórum epíscopus creátus, tale munus sic gessit, ut a fidélibus summam laudem consequerétur. Ob cathólicam fidem, quam strénue propugnávit, quadriénnio apud Phrýgiam relegátus, interália mirácula, mórtuum suscitávit. Duódecim libros scripsit de Trinitáte contra Ariános, et Gálliam univérsam addúxit ut Arianórum impietátem condemnáret. Multos libros scripsit mira eruditióne; quos omnes sanctus Hierónymus ad Lætam sine ulla erróris suspicióne legi posse testátur illis verbis: Hilárii libros inoffénso decúrrat pede. Migrávit in cælum Idibus ianuárii, anno trecentésimo sexagésimo nono. Eum Pius nonus Póntifex máximus, instánte sýnodo Burdigalénsi, Doctórem universális Ecclésiæ declarávit et confirmávit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Hilárium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére meréamur in cælis. Per.

Memoria S. Felicis Presb. et Mart.

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent, quátenus, quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 15 ianuarii

B. Francisci de Capillas

Martyris O. P.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Francíscus de Capíllas, in óppido Baquerin de Campos, Palentínæ diœcésis, natus, annórum ferme septémdecim in órdinem Prædicatórum Vallisoléti cooptátus est. Vix diáconus missiónem in Insulas Philippínas impetrávit, Manilæque sacerdótio auctus fuit. Póstea in província Cagaian per annos decem, deínde in Fokiénsi, impérii Sinénsis, víneam Dómini fidéliter excóluit. Anno dein millésimo sexcentésimo quadragésimo octávo, cum civitátem Fogan armis imperatóris obséssam clam ingréssus esset ut Christiánis opem ferret, a Tártaris Manchu comprehénsus duréque increpátus, cápite truncáto martýrii palmam proméruit. Cuius corpus loco adhuc occúlto cónditum est, caput tamen Vallisoléti in convéntu sancti Pauli religióse asservátur. Protomártyrem Sinénsem Pius décimus Beatórum fastis adscrípsit.

℟. iii. Gloriósus Dei amícus Francíscus, Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro perítúris ætérna commútans. -

Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. - Glória. - Cælos petívit.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beáti Mártyris tui Francísci fidem mirábili constántia roborásti: concéde propítius Ecclésiæ tuæ ut, eius précibus adiúta, novos ubíque fídei triúmphos celebráre mereátur. Per.

Memoria S. Pauli primi Eremitæ, Confessoris.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius ut, cuius natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per.

Memoria S. Mauri Abbatis.

Ant. Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus et pulsáverit iánuam, invénerit vigilántem.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Mauri Abbátis commréndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Tu autem.

Die 16 ianuarii

S. Marcelli I

Papæ et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Marcélli Mártyris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per.

Die 17 ianuarii

S. Antonii

Abbatis

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Antónius Ægýptius, cum ingréssus ecclésiam ex Evangélio audivísset: Si vis perféctus esse, vade, et vende ómnia quæ habes et da paupéribus; tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperándum existimávit. Itaque, véndita re familiári, prétium distríbuit paupéribus, ipséque in vastam Ægýpti solitúdinem recéssit. Virtútum ómnium stúdio ita incénsus fuit, ut, quemcúmque vidéret áliqua virtútis laude excelléntem, illum imitári studéret. Nihil ígitur eo continéntius, nihil vigilántius. Tanto terróri dæmónibus erat, ut multi per Ægýptum ab illis agitáti, nómine Antónii super ipsos invocáto, liberaréntur. Ita, sanctitáte et miráculis clarus, cum innumerábiles sui institúti imitatóres habéret, annum agens quintum ultra centésimum, e vita migrávit décimo sexto Kaléndas februárias.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Antónii Abbátis commréndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Tu autem.

Die 18 ianuarii

S. Margaritæ ab Hungaria

Virginis O. P.

III classis

AD MATUTINUM

℣. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Hac margaríta Pánnonis
Ornáta tellus géstiat,
Patrísque Guzman ádsonet
Lætánter ordo pláusibus.

Periclitánte pátria,
Sacris Deo recéssibus
Piaculáris hóstia
Dicánda, voto expóscitur.

Recépta claustris, ócculit
Ortum decúsque régium,
Et corpus insons hórridis
Flagris faméque mácerat.

Amóre Christi férvida,
Inhæret ipsi iúgiter,
Eiúsque membris ímpigra
Servíre tendit lánguidis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Ab infántia sua Margaríta Deo laudem parávit, oratiónibus et pæniténtiis intenta.

Psalmi de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Desiderabília super aurum et obrýzum multum fuérunt Margarítæ præcépta Dómini, quia in eius dilectióne manébat.

Ant. 3 Hæc est virgo sápiens, quæ iugi oratióne fáciem Dei sui quærébat.

Ant. 4 Tota decóra fília regis, ideóque Rex regum eam concupívit.

Ant. 5 Torrénte deliciárum suárum lætificávit Altíssimus ánimam diléctæ sponsæ suæ.

Ant. 6 Gáudio et dulcédine cor Margarítæ affluébat, quando Panem angelórum suscipiébat.

Ant. 7 Cum esset dives, facta est egéna, ut Christum Iesum lucrifáceret.

Ant. 8 Ter Margaríta núptias regáles recusávit, Sponsus autem vírginum insolúbili connúbio eam sibi iunxit.

Ant. 9 Quæ ipsa regnáre atque imperáre pótuit, propter Deum aliórum voluntáti sese súbdidit.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi.

℟. i. Unum peto a Dómino, hoc requíro: ut hábitem in domo Dómini cunctis diébus vitæ meæ, * Ut fruar suavitáte Dómini et aspíciam templum eius. ℣. Deus dócuit me a iuventúte mea et abscóndit me in tentório suo. - Ut fruar.

Lectio ii

Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra huius mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. ii. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei, * Propter quem ómnia detriméntum feci, ut eum lucrifáciam. ℣. Regna mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi. - Propter quem.

Lectio iii

Margaríta, Belæ quarti Hungáriæ regis fília, quarto círciter ætátis anno a paréntibus pro pátria liberánda, uti fertur, in monastério moniálium órdinis Prædicatórum Deo oblàta, duodecénnis in mánibus venerábilis magístri Humbérti de Románis vota solémnia nuncupávit. Cum soli Regi regum Christo placére vellet, regálibus núptiis invícta constántia recusátis, ab archiepíscopo

Strigoniénsi sacrum velámen accípere festinávit. A prima ætáte mirábilis fuit pæniténtiæ. Vílibus semper amícta véstibus, ínfimis munéribus inhiábat. Ægrótis soróribus, quarum morbis ínfici céteræ aliquándo timébant, flagrantíssima inserviébat caritáte et abiectiónis desidério. Régiæ dignitátis prorsus oblíta, præpósitæ ad nutum obédiens et in paupertátis cultu sevéra erat. Oratióni assídue dédita, divínæ dilectiónis favóribus sæpe cumulári proméruit. Anno Dómini millésimo ducentésimo septuagésimo, ætátis vicésimo octávo, in festo sanctæ Priscæ, diadémati Christi inserénda in cælum migrávit. Eam Pius duodécimus sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. iii. Beáta Margaríta indúta est víscera misericórdiæ, benignitátem et humilitátem, * Omnibus ómnia facta est, Nec videbátur fília regis. ℣. Caritáte et humilitáte nulli sorórum secúnda apparébat. - Omnibus ómnia. - Glória. - Nec videbátur.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Margaríta. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Vestiméntis salútis Christus hódie sponsam suam índuit, quæ hic in terra non véstibus, sed móribus placére stúduit.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Margaríta nunc cum Christo in glória appáret, cuius vita erat cum ipso abscóndita in Deo.

3. Cum iis qui sequúntur Agnum quocúmque íerit, sine fine Margaríta nunc canit novum cánticum.

4. Spíritus et ánimæ iustórum, benedícite Dómino, qui húmilem corde sibi desponsávit in ætérnum.

5. Lauda in choro vírginum Dóminum Deum tuum, qui suam adimplévit misericórdiam in te, o beáta Margaríta.

Capitulum Apoc. 19

Venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se. Et datum est illi ut coopériat se býssino splendénti et cándido; býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum.

Hymnus

Votis revíncta, mýstice
Christi cruci confígitur,

Præítque cunctis frátribus
Exémplar et soróribus.
Iesum secúta páuperem,
Fastum perhórret sæculi,
Abiécta quæque quæritat
Cibo, cubíli, tégmine.
Sponso iugáta vírginum,
Ter régium connúbium
Detréctat, acris lílium
Sepíre spinis cándidum.
Regnáre nata, prætulit
Cunctis subésse ignóbilis;
Christo, iubénte præside,
Festína gaudet óbsequi.
Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. O Christi sponsa sanctíssima, quam diadéma vírginum ornávit, divína sanitátum grátia honestávit, intuéndi córdium secréta cæléste donum decorávit et dívini amóris incéndium consummávit.

Oratio

Deus, virginitátis amátor et custos, cuius múnere fámula tua Margaríta virginitátis decórem mérito bonórum óperum sociávit; concéde, quæsumus, ut mentis integritátem spíritu salutáris pæniténtiæ restauráre possímus. Per.

Memoria S. Priscæ Virginis et Martyris.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátæ Priscæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, et ánnua solemnitáte lætémur et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Oratio

Deus, virginitátis amátor et custos, cuius múnere fámula tua Margaríta virginitátis decórem mérito bonórum óperum sociávit; concéde, quæsumus, ut mentis integritátem spíritu salutáris pæniténtiæ restauráre possímus. Per.

AD SEXTAM

Capitulum Osee 2

Sponsábo te mihi in sempitérnum, et sponsábo te mihi in fide: et scies quia ego Dóminus.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

AD NONAM

Capitulum Prov. 31

Fallax grátia et vana est pulchritúdo: múlier tímens Dóminum ipsa laudábitur.

℟. Adiuvábit eam Deus * Vultu suo. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adiuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Vestiméntis salútis Christus hódie sponsam suam índuit, quæ hic in terra non véstibus, sed móribus placére stúduit.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum Apoc. 19

Venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se. Et datum est illi ut coopériat se býssino splendénti et cándido: býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum.

Hymnus

Deo canámus débitum
Præcónium, qui vírginem
Ditávit hanc humíllimam
Donis supérnis áffatim.

Quam sæpe, Manna cælicum
Dum corde hiánte súscipit
Iesúmque amóre déperit,
Abrépta lánguet sénsibus!

Leváre curas sédula,
Mæstas sodáles érigit
Scrutáta cordis ábdita,
Morbísque diris éximit.

Mors ipsa nimbo glóriæ
Suffúndit ora vírginis,

Virtútis, afflat, índice,
Suavíssimâ fragrántiâ.

O Margaríta, pátriæ
Adésse perge cælitus,
Tuísque da cliéntulis
Portum salútis tángere.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Margaríta. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. O beáta Margaríta, quæ hic in terra ómnibus afflíctis caritátis solátium impendísti, nobis e cælo succúrre míseris et vitam óbtine cum súperis.

Completorium de feria.

Die 20 ianuarii

Ss. Fabiani Papæ et Sebastiani

Martyrum

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Fabiánus Románus, a Maximíno usque ad Décium regens Ecclésiam, septem diáconis regiónes divísit, qui páuperum curam habérent. Tótidem subdiáconos creávit, qui res gestas Mártyrum a septem notáriis scriptas collígerent. Idem státuit, ut quotánnis féria quinta in Cena Dómini, vétere combústo, chrisma renovarétur. Dénique, décimo tértio Kaléndas februárii martýrio coronátus, in cœmetério Callísti via Appia sepelítur. Sebastiánus, ob géneris nobilitátem et virtútem Diocletiáno carus, dux primæ cohórtis, Christiános, quorum fidem clam colébat, ópera et facultátibus adiuvábat et in Christi confessióne confirmábat. Quibus Diocletiáno delátis, Sebastiánum ómnibus artifíciis a Christi fide conátur avértere. Sed, cum nihil nec pollicéndo, nec terréndo proficeret, ad palum alligátum sagíttis confígi iubet. Verum Dei servus, ómnium opinióne mórtuus iudicátus, cum paulo post, sanus Diocletiáno óbviam factus, eius impietátem libérius accusáret, iussu tyránni támdiu virgis cæsus est, donec spíritum rédderet.

℟. iii. Lavérunt stolas suas et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. - In sánguine Agni. - Glória. - In sánguine Agni.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Fabiánum atque Sebastiánum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex eórum nobis imitatióne tríbue pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla eius advérsa formidáre. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 6

In illo témpore: Descéndens Iesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum eius et multitúdo copiósa plebis ab omni Iudæa et Ierúsalem et marítima et Tyri et Sidónis, qui vénerant ut audírent eum et sanaréntur a languóribus suis. Tu autem.

Die 21 ianuarii

S. Agnetis

Virginis et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus de Communi unius Virginis [124].

In Nocturno

Ant. 1 Discéde a me, pábulum mortis, quia iam ab álio amatóre prævénta sum.

Psalmi de eodem Communi [125].

Ant. 2 Anulo suo subarrhávit me Dóminus meus Iesus Christus: et tamquam sponsam decorávit me coróna.

Ant. 3 Dexteram meam et collum meum cinxit lapídibus pretiósis: trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas.

Ant. 4 Christus circúmdedit me vernántibus atque coruscántibus gemmis pretiósis.

Ant. 5 Induit me Dóminus cyclade auro texta, et imménsis monílibus ornávit me.

Ant. 6 Pósuit signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amatórem admíttam.

Ant. 7 Mel et lac ex eius ore suscépi, et sanguis eius ornávit genas meas.

Ant. 8 Cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur, ipsi soli servo fidem.

Ant. 9 Ipsi soli servo fidem: ipsi me tota devotióne commítto.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adiútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta; de altitúdine ventris ínferi et a lingua coinquináta et a verbo mendácii, a rege iníquo et a lingua iniústa.

℟. i. Diem festum sacratíssimæ Vírginis celebrémus: quáliter passa sit beáta Agnes ad memóriam revocémus: tertiodécimo ætátis suæ anno mortem pérdidit et vitam invénit: * Quia solum vitæ diléxit Auctórem. ℣. Infántia quidem computabátur in annis, sed erat senéctus mentis imménsa. - Quia solum.

Lectio ii

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adiuváret. Respíciens eram ad adiutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium. Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ et in témpore superbórum sine adiutório. Laudábo nomen tuum assídue et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. ii. Induit me Dóminus vestiménto salútis, et induménto lætítiæ circúmdedit me: * Et tamquam sponsam decorávit me coróna. ℣. Trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas, et circúmdedit me vernántibus atque coruscántibus gemmis. - Et tamquam sponsam.

Lectio iii

Ex libro sancti Ambrósii Epíscopi de Virgínibus

Liber 1, post initium

Hódie natális est Vírginis, integritátem sequámur. Natális est Mártyris, hóstias immolémus. Natális est sanctæ Agnétis, miréntur viri, non despérent párvuli, stúpeant nuptæ, imiténtur innúptæ. Sed quid dignum ea loqui póssumus, cuius ne nomen quidem vácuum laudis est? Devótio supra ætátem, virtus supra natúram: ut mihi videátur non hóminis habuísse nomen, sed orácu-lum Mártyris, quod indicávit quid esset futúra. Nomen Vírginis títulus est pudóris. Appellábo Mártyrem: prædicávi satis. Prolíxa laudátio est, quæ non quæritur, sed tenétur. Nemo est laudabílior, quam qui ab ómnibus laudári potest. Quot hómines, tot præcónes, qui Mártyrem prædicant, dum loquúntur. Hæc trédecim annórum martýrium fecísse tráditur. Quo detestabílior crudélitas, quæ nec minúsculæ pepércit ætáti; immo magna vis fídei, quæ étiam ab illa testimónium invénit ætáte.

℟. iii. Omnípotens, adoránde, colénde, treménde, benedíco te, * Quia per Fílium tuum unigénitum evási minas hóminum impiórum, et spurcítias diáboli impollúto calle transívi. ℣. Te confíteor lábiis, te corde: te totis viscéribus concupísco. - Quia. - Glória. - Quia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Agnes. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Ingréssa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Mecum enim hábeo custódem córporis mei Angelum Dómini.

3. Ipsi sum desponsáta, cui Angeli sérviunt: cuius pulchritúdinem sol et luna miránt.

4. Benedíco te, Pater Dómini mei Iesu Christi, quia per Fílium tuum ignis exstínctus est a látere meo.

5. Congaudéte mecum et congratulámini, quia cum his ómnibus lúcidas sedes accépi.

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum.

Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus

Iesu, coróna vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque pergis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. Stans beáta Agnes in médio flammárum, expánsis mánibus orábat ad Dóminum: Omnípotens, adoránde, colénde, treménde, benedíco te et glorífico nomen tuum in ætérnum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius ut, qui beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, eius apud te patrocínia sentiámus. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Virginis [136].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Ingréssa Agnes turpitúdinis locum, Angelum Dómini præparátum invénit.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [138].

Ad Magnif. ant. Ecce quod concupívi, iam vídeo: quod sperávi, iam téneo: illi sum iuncta in cælis, quem in terris pósita tota devotióne diléxi.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius ut, qui beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, eius apud te patrocínia sentiámus. Per.

Completorium de feria.

Die 22 ianuarii

S. Vincentii

Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Vincéntem mundum adorémus Dóminum, * In quo pressúram mundi Martyr vicit Vincéntius.

Hymnus de Communi unius Martyris [52].

In Nocturno

Ant. 1 Sanctus Vincéntius a puerítia stúdiis litterárum tráditus, supérna sibi providénte cleméntia, gémina sciéntia efficacíssime cláruit.

Psalmi de eodem Communi [52].

Ant. 2 Sanctitáte quoque insígnis, Diacónii arce suscépta, vices Pontíficis diligénter exsequebátur.

Ant. 3 Valérius ígitur Epíscopus et Levíta Vincéntius, spe fruéndi victória divínitus subníxi, in confessióne Deitátis alácriter cucurrérunt.

Ant. 4 Tanto namque felicióres se esse credébant, quanto acrióra tyránni supplícia pia longanimitáte certássent evíncere.

Ant. 5 Levíta Vincéntius dixit beáto Valério: Si iubes, Pater sancte, respónsis iúdicem aggrédiar.

Ant. 6 Iam tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commíseram: nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa commítto.

Ant. 7 Beátus Vincéntius, cuius iam mens cónscia corónæ, dixit Daciáno: Háctenus a te hábitus sermo de negánda fide perorávit.

Ant. 8 Nefárium tamen apud Christianórum prudéntiam esse cognósce, Deitátis cultum abnegándo, blasphemáre.

Ant. 9 Profitémur enim christiánæ religiónis nos esse cultóres, ac uníus veri Dei, permanéntis in sæcula, fámulos et testes.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 8

Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei expéctat. Vanitáti enim creatúra subiécta est non volens, sed propter eum qui subiécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. i. Sacram præséntis diéi solemnitátem húmili celebrémus devotióne, qua invíctus Christi Martyr Vincéntius, tyránno devícto, * Insígnem victóriæ palmam cælo gaudens íntulit. ℣. Perácto passiónis suæ venerándo triúmpho, Angelórum cœtibus comitátur. - Insígnem.

Lectio ii

Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ vidétur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus: per patiéntiam exspectámus. Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

℟. ii. Levíta Vincéntius dixit beáto Valério: Si iubes, Pater sancte, respónsis iúdicem aggrédiar. Iam tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commíseram: * Nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa commítto. ℣. Tibi enim, gémina sciéntia pollénti ac supérni amóris igne fervénti, cæléstis olim doctrínæ ministérium delegávi. - Nunc quoque.

Lectio iii

Vincéntius, Oscæ in Hispánia citerióre natus, a prima ætáte stúdiis déditus, sacras lítteras a Valério Cæsaraugustáno epí-

scopo dídicit; cuius étiam partes suscépit prædicándi Evangélium, quod epíscopus, propter linguæ impediméntum, prædicatiónis offício fungi non póterat. Ea re ad Daciánum impiíssimum præsidem deláta, Vincéntius ab eódem Valéntiam addúcitur; et cárceres, famem, equúleum aliáque tormentórum génera perpéssus, ad martýrii corónam advolávit undécimo Kaléndas februárii.

℟. iii. Vir ínclitus Vincéntius, Martyr Dómini pretiósus, succénsus igne divíni amóris, constánter sustínuit supplícia passiónis: * Et per immanitátem tormentórum Pervénit ad societátem Angelórum. ℣. Cuius intercéssio nobis obtíneat véniam, qui per torménta passiónis ætérnam méruit palmam et sempitérnam corónam. - Et per immanitátem. - Glória. - Pervénit.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Vincénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Assúmptus ex equúleo Levíta Vincéntius atque ad patíbulum raptus, moras carnificum arguéndo, ad pœnam alácriter properábat.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Intrépidus ítaque candéntis ferri máchinam ultro conscéndit: ac manens immótus, eréctis in cælum lumínibus, Dóminum precabátur.

3. Hinc horréndo cárceris clausus ergástulo, Dei athléta Angelórum venerándo fovebátur obséquio et mulcebátur allóquio.

4. Agnósce, o Vincénti invictíssime, quia pro cuius nómine fidéliter decertásti, ipse tibi corónam præparátam servat in cæléstibus.

5. Dantur ergo laudes Deo altíssimo, et resonánte órgano vocis angélicæ moduláta suávitas procul diffúnditur.

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Martyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus:

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,

Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt iam víncula
Tui sacráti córporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Bened. ant. Egrégius Dei Martyr Vincéntius, diris tormentórum supplíciis pro Christo alácriter superátis ac felícis pugnæ agóne constánter expléto, tandem pretiósam resolútus in mortem, cælo triúmphans spíritum réddidit.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii Mártyris tui intercessióne liberémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris [62].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Assúmptus ex equúleo Levíta Vincéntius atque ad patíbulum raptus, moras carnificum arguéndo, ad pœnam alácriter properábat.

Psalmi de Communi unius Martyris [63].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [65].

Ad Magnif. ant. Beátus Vincéntius applicátus torméntis, álacri vultu Dei præséntia roborátus dixit: Hoc est quod semper optávi et votis ómnibus exquisívi.

Completorium de feria.

Die 23 ianuarii

S. Raymundi de Pennafort

Confessoris O. P.

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Mirábilem in sanctis suis adorémus Dóminum, * Qui in conspéctu príncipum magnificávit Raymúndum.

Hymnus

Pulchra, quæ mundus peritúra pandit,
Fórtiter spernens, inhiánsque cælo,
Prædicatórum iúbilans adívit
Claustra Raymúndus.
Ordinis magnum récolens Paréntem,
Atque divíno stúdio replétus,
Nítitur sanctam similémque Patri
Dúcere vitam.
Non satis linguæ póterunt referre
Cordis ardóres, quibus ipse terram
Réspuens, summo cupiébat æstu
Prémia cæli.
Sæpius corpus lácerans flagéllis,
Pérvigil custos ánimi pudíci,
Tactus ingénti pietáte flebat
Crímina mundi.
Ipse doctrína meritísque clarus,
Prædicans verbo simul atque factis,
Duxit errántes ad ovíle Christi,
Míraque gessit.
Annuat nobis, húmiles precámur,
Unus et trinus sine fine Rector:
Cuius illústres cánimus triúmphos,
Facta sequámur. Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Raymúndus viam iustítiæ ingréssus ab adolescéntia sua, ambulávit in ea ómnibus diébus vitæ suæ.

Psalmi de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Doctrína illíus erudíti, apprehendérunt disciplínam magnátes et pópuli.

Ant. 3 In servum sibi fidélem Dóminus elégit eum: et Mater pulchræ dilectiónis fuit consolátio eius.

Ant. 4 In signis atque porténtis mirificávit Dóminus Sanctum suum, et transvéxit illum per aquam nímiam.

Ant. 5 Dedúxit eum Dóminus in iustítia sua: erudívit eum sciéntia et viam prudéntiæ osténdit ei.

Ant. 6 Siccis pédibus perámbulans sémitas maris, clausis fóribus se sistit frátribus suis.

Ant. 7 Honóris múnera non accépit, neque ánimum illíus fléctere pótuit ínfula aut grátia príncipis.

Ant. 8 Prævéntus in benedictiónibus dulcédinis, divínæ Matris mulcétur allóquiis.

Ant. 9 Consúmptus ætáte, plenus diérum et meritórum, ascéndit in montem

Dómini, ínnocens mánibus et mundo corde.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 39

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsídis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. i. Raymúndus ortu nóbilis, magnum decus Ordinis, * Móribus ac lítteris splendórem auxit géneris. ℣. A téneris annis pietátem cóluit, et omni mentem virtúte ímbuit. - Móribus ac lítteris.

Lectio ii

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium eius et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit ecclésia. Si permánserit, nomen derelínquet plus quam mille: et si requiéverit, próderit illi.

℟. ii. Edóctus viam Dómini, doctor erat honorábilis univérsæ plebi: * Et stupébant omnes super prudéntia et respónsis eius. ℣. Príncipes ab ore eius pendébant et faciébant illíus cuncta consílio. - Et stupébant omnes.

Lectio iii

Raymúndus Barcinonénsis, ex nóbili família de Pénnafort, Bonóniæ pietátis offíciis ac pontifício

civilíque iuri sédulo incúmbens ac doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum laude est interpretátus. Mox Barcinonénsis ecclésiæ canonicátu et præpositúra ab antístite Berengário ornátus, virtúte, doctrína et morum suavitáte præfúlsit, ac Deíparæ Vírginis cultum pro víribus auxit. Annum agens quadragésimum quintum inter fratres Prædicatóres adscítus, auctor fuit, ut sanctus Petrus Noláscus, cuius ipse confessiónes audiébat, una cum Iacóbo primo Aragóniæ rege, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum fundáverit, cui ipse Raymúndus probatíssimas vivéndi leges præscrípsit. Iussu Gregórii noni Romæ summórum Pontíficum decréta in unum Decretálium volúmen redégit. Tarraconénsi archiepiscopátu constantíssime recúsato, et magistério generáli órdinis Prædicatórum, quod per biénnium sanctíssime administráverat, dimísso, prope centenárius obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto. Quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. iii. Factum est sepúlcrum eius gloriósum: creávit in eo Altíssimus medicaméntum de terra, thesáurum sine defectióne, * Ad sanitátem géntium. ℣. Catervátim ruunt pópuli, súmere cupiéntes de sepúlcro púlverem. - Ad sanitátem géntium. - Glória. - Ad sanitátem géntium.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Raymúnde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Raymúndus cælo rédditur et Angelórum iúbilo: Doctórum cœtui iúngitur et Vírginum consórtio.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Defúncti corpus túmulo læta recóndit pátria: favénte Dei fámulo, signa corúscant vária.

3. De tumba pulvis náscitur ad sanitátem géntium: morbus omnis expéllitur de córpore credéntium.

4. Felix Raymúndi pátria, tanto ditáta fílio, qui te replévit glória et fovet patrocínio!

5. Laudémus cæli Dóminum et Sancti sui méritum, ut per eius suffrágia nos ferat ad cæléstia.

Capitulum Eccli. 24

Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli gloriábitur.

Hymnus

Sacra Raymúndi veneré-
mur omnes
Gesta, quæ toto résonant
in orbe:
Et chorus noster réferat
canóro
Cármine laudes.

Ille, qui claris méritis refértus
Duxit in terris sine labe
vitam,
Cælico lætus iubilánte cœtu
Sídera scandit.

Doctor et Virgo dúplici
coróna
Fulget in cælis: sed amóre
plenus,
Quotquot hic languent míseri fidéles,
Réspicit omnes.

Hinc adest cunctis medicína morbis
Pulvis e sacro túmulo renáscens,
Quo salus, celsis méritis
Beáti,
Rédditur ægris.

Laus, honor, virtus Dómino perénnis,
Qui, Deus simplex paritérque trinus,
Nostra, Raymúndi précibus, remíttat
Crímina vitæ. Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. ant. Vinctos liberávit de manu inimicórum, et edúxit pérditos de via iniquitátis, ut dirígerent pedes suos in viam pacis.

Oratio

Deus, qui beátum Raymúndum pæniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti: concéde ut eius intercessióne dignos pæniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per.

Memoria S. Emerentianæ Virginis et Martyris.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta Emerentiána Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Raymúndum pæniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti: concéde ut eius intercessióne dignos pæniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 43

Noli timére, quia redémi te et vocávi te nómine tuo: meus es tu. Cum transíeris per aquas, tecum ero, et flúmina non opérient te.

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM

Capitulum Is. 49

Reges vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt propter Dóminum, quia fidélis est, et Sanctum Israël qui elégit te.

℟. Iustus ut palma florébit * In domo Dómini. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Raymúndus cælo rédditur et Angelórum iúbilo: Doctórum cœtui iúngitur et Vírginum consórtio.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Eccli. 24

Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli gloriábitur.

Hymnus

Grande Raymúndi celebráte nomen,
Præsules, reges populíque terræ,
Cuius ætérnæ fuit univérsis
Cura salútis.

Quidquid est alta pietáte mirum
Exhibet purus niveúsque morum:
Omne virtútum rutiláre cernis
Lumen in illo.

Sparsa summórum moniménta Patrum
Cólligit mira studiósus arte:
Quæque sunt prisci sacra digna cedro
Dógmata iuris.

Doctus infídum solidáre pontum
Currit invéctus stádio paténti:
Veste compónens baculóque cymbam
Æquora calcat.

Da, Deus, nobis sine labe mores:
Da viæ tutum sine clade cursum:
Da perennántis sine fine vitæ
Tángere portum.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Raymúnde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. O beáte Raymúnde, quem doctrínæ comméndat véritas et virgínális exórnat cástitas, salútis sémitam nos édoce et puritátem cordis nobis óbtine, ut per tua suffrágia consequámur ætérna gáudia.

Completorium de feria.

Die 24 ianuarii

S. Timothei

Episcopi et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Timóthei Mártyris tui atque Pontíficis confísa suffrágiis: atque eius précibus gloriósis et devóta permáneat, et secúra consístat. Per.

Die 25 ianuarii

In Conversione S. Pauli Apostoli

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Laudémus Deum nostrum * In conversióne Apóstoli Pauli.

Hymnus

Doctor egrégie, Paule, mores instrue,
Et mente polum nos transférre sátage:
Donec perféctum largiátur plénius,
Evacuáto quod ex parte gérimus.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque iubilátio,
In unitáte, cui manet impérium
Ex tunc et modo per ætérna sæcula. Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, ábiit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab eo ut ubicúmque inveníret huius viæ viros, vinctos perdúceret in Ierúsalem.

Psalmi de Communi Apostolorum [38].

Ant. 2 Ibat ígitur Saulus fúriis invéctus, dirum toto péctore virus efflábat, et sanctórum sánguinem sine intermissióne sitiébat.

Ant. 3 Et súbito circumfúlsit eum lux de cælo: et cécidit in terram, nihílque vidébat.

Ant. 4 Saule, Saule, quid me perséqueris? Quis es, Dómine? Ego sum Iesus, quem tu perséqueris: durum est tibi contra stímulum calcitráre.

Ant. 5 Saulus autem trémens ac stupens dixit ad Iesum: Dómine, quid me vis fácere? Ait autem Dóminus ad eum: Surge et ingrédere civitátem, et dicétur tibi quid te opórteat fácere.

Ant. 6 A Christo de cælo vocátus et in terram prostrátus, ex persecutóre factus est vas electiónis.

Ant. 7 Viri autem, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, sed némine vidéntes.

Ant. 8 Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum: et erat tribus diébus non videns, et non manducávit neque bibit.

Ant. 9 Vade, Ananía, et quære Saulum: ecce enim orat, quia vas electiónis est mihi, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus et fíliis Israël.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 9

Saulus, adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas: ut, si quos invenísset huius viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Ierúsalem. Et, cum iter fáceret, cóntigit ut appropinquáret Damásco: et súbito circumfúlsit eum lux de cælo. Et cadens in terram audívit vocem dicéntem sibi: Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit: Quis es, Dómine? Et ille: Ego sum Iesus, quem tu perséqueris. Durum est tibi contra stímulum calcitráre.

℟. i. Saulus, adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, ábiit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab illo * Ut ubicúmque inveníret huius viæ viros, vinctos perdúceret in Ierúsalem. ℣. Ibat ígitur Saulus fúriis invéctus, dirúmque toto péctore virus efflábat. - Ut ubicúmque.

Lectio ii

Et trémens ac stupens dixit: Dómine, quid me vis fácere? Et Dóminus ad eum: Surge et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, némine autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit neque bibit.

℟. ii. Ibat ígitur Saulus fúriis invéctus, dirúmque toto péctore virus efflábat: * Et sanctórum sánguinem sine intermissióne sitiébat. ℣. Per totam Iudæam insánia ferebátur, ut Christi membra laniáret in terris. - Et sanctórum sánguinem.

Lectio iii

Erat autem quidam discípulus Damásci nómine Ananías: et dixit ad illum in visu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge et vade in vicum, qui vocátur Rectus: et quære in domo Iudæ Saulum nómine Tar-

sénsem: ecce enim orat. (Et vidit virum Ananíam nómine, introëúntem et imponéntem sibi manus, ut visum recípiat). Respóndit autem Ananías: Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Ierúsalem: et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus et fíliis Israël.

℟. iii. Celebrémus Conversiónem sancti Pauli Apóstoli, * Quia hódie ex persecutóre efféctus est vas electiónis. ℣. Gaudent Angeli et exsúltant Archángeli, et colláudant in cælis Fílium Dei. - Quia hódie. - Glória. - Quia hódie.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum, Dómine.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, a Deo confortátus, convalescébat et confundébat Iudæos.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Saule frater, Dóminus misit me Iesus, qui appáruit tibi in via qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto.

3. Sub manu contínuo Ananíæ cecidérunt squamæ ab óculis eius: et surgens baptizátus est, et accípiens cibum confortátus est.

4. Prostrátus est sævíssimus persecútor, sed eréctus est fidelíssimus prædicátor. Quos, Dómine, verbis édocet de te, méritis ducat ad te.

5. Ingréssus Paulus in synagógas, prædicábat Iudæis Iesum, affírmans quia hic est Christus.

Capitulum Act. 9

Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut, si quos invenísset huius viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Ierúsalem.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

Ad Bened. ant. Celebrémus Conversiónem sancti Pauli Apóstoli, quia hódie ex persecutóre efféctus est vas electiónis: ídeo gaudent Angeli, lætántur Archángeli et colláudant in cælis Fílium Dei.

Oratio

Deus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quæsumus, ut, qui eius hódie Conversiónem cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 19

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Capitulum Act. 9

Vade, Anania, quóniam vas electiónis mihi est iste, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus et fíliis Israël.

℟. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Super. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis

confortátus est princípátus eórum.

Oratio

Deus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quæsumus, ut, qui eius hódie Conversiónem cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

AD NONAM

Capitulum Act. 9

Et ábiit Ananías et introívit in domum, et impónens ei manus dixit: Saule frater, Dóminus misit me Iesus, qui appáruit tibi in via qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto.

℟. Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Saulus, qui et Paulus, magnus prædicátor, a Deo confortátus, convalescébat et confundébat Iudæos.

Psalmi de Communi Apostolorum [47].

Capitulum Act. 9

Saulus adhuc spirans minárum et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut, si quos invenísset huius viæ viros ac mulíeres, vinctos perdúceret in Ierúsalem.

Hymnus

Doctor egrégie, Paule, mores ínstrue,
Et mente polum nos transférre sátage:
Donec perféctum largiátur plénius,
Evacuáto quod ex parte gérimus.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque iubilátio,
In unitáte, cui manet impérium
Ex tunc et modo per ætérna sæcula. Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Ad Magnif. ant. Cum autem complácuit ei qui me segregávit ex útero matris meæ et vocávit per grátiam suam, ut reveláret in me Fílium suum in géntibus, contínuo non acquiévi carni et sánguini.

Completorium de feria.

Die 26 ianuarii

S. Polycarpi

Episcopi et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Polycárpi Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

Die 27 ianuarii

S. Ioannis Chrysostomi

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ioánnes Antiochénus, propter áureum eloquéntiæ flumen cognoménto Chrysóstomus, présbyter Antiochénæ ecclésiæ factus, mórtuo Nectário, Arcádii imperatóris ópera, invítus Constantinopolitánæ ecclésiæ præfícitur. Quo in múnere, cum depravátos mores et nobílium hóminum vivéndi licéntiam veheméntius obiurgáret, magnam multórum súbiit invídiam. Apud Eudóxiam étiam, quod eam propter Callítropæ víduæ pecúniam et alterius víduæ agrum reprehendísset, gráviter offéndit. Quare exsuláre cógitur, víduis et egéntibus ómnibus communis paréntis eiectiónem lugéntibus. Incredíbile dictu est quanta mala in exsílio perpéssus sit, et quam multos ad Iesu Christi fidem convérterit. Multitúdinem, pietátem ac splendórem conciónum ceterorúmque eius scriptórum, omnes admirántur. Animam Deo réddidit décimo octávo Kaléndas octóbris, eiúsque corpus in basílica Vaticána cónditum est. Hunc præclárum totíus Ecclésiæ Doctórem Pius Papa décimus cæléstem prædicatórum patrónum constítuit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando revertátur a núptiis.

AD LAUDES

Oratio

Ecclésiam tuam, quæsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet, quam beáti Ioánnis Chrysóstomi Confessóris tui atque Pontíficis illustráre voluísti gloriósis méritis et doctrínis. Per.

Memoria S. Iuliani Episc. et Conf.

Ant. Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus et pulsáverit iánuam, invénerit vigilántem.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Iuliáni Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: ut, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 28 ianuarii

S. Petri Nolasci

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Petrus Nolascus, Recáudi prope Carcasónam in Gállia nóbili génere natus, adoléscens paréntibus orbátus, Albigénsium hæresim éxsecrans, divéndito património, in Hispániam secéssit, ubi noctu oránti beáta Virgo appárens, Fílio suo sibíque acceptíssimum fore suggéssit, si ordo religiosórum instituerétur pro captívis ab infidélium tyránnide liberándis. Quare una cum sancto Raymúndo de Pénnafort et Iacóbo primo, rege Aragóniæ, de eádem re a Dei Genetríce ipsa nocte præmónitis, religiónem beátæ Maríæ de Mercéde redemptiónis captivórum instítuit; sodálibus quarto voto obstrictis, manéndi in pignus sub paganórum potestáte, si pro Christiánis liberándis opus esset. Angeli Custódis ac Deíparæ Vírginis apparitiónibus sæpe recreátus, cum ad bonam senectútem pervenísset, piíssime óbiit média nocte vigíliæ Nativitátis Dómini, anno millésimo ducentésimo quinquagésimo sexto.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando revertátur a núptiis.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui, in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fecundáre divínitus docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde, a peccáti servitúte solútis, in cælésti pátria perpétua libertáte gaudére: Qui vivis.

Memoria S. Agnetis Virg. et Mart. secundo.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte lætíficas: da ut, quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Tu autem.

Die 29 ianuarii

S. Francisci Salesii

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Franciscus in óppido Salésio, unde famíliæ cognómen, piis et nobílibus paréntibus natus et liberálibus disciplínis erudítus, philosophíæ ac theológiæ Parísiis óperam dedit, et láuream in utróque iure Patávii obtínuit. Sacerdótio initiátus et Genevénsis ecclésiæ præpositúram adéptus, eius múneris partes tam bene explévit, ut eum Granérius episco-

pus vindicándis ab hæresi Calviniána Chaballicénsibus divíni verbi præcónem destináverit. Quam expeditiónem álacri ánimo suscípiens, tot difficultátibus ac perículis Dei ope superátis, septuagínta duo míllia hæreticórum ad cathólicam fidem reduxísse dícitur. Mórtuo Granério, epíscopus consecrátus, novum órdinem sanctimoniálium instítuit, a Visitatióne beátæ Vírginis nuncupátum. Suis scriptis cæléstí doctrína refértis Eccléstam illustrávit. Lugdúni, gravi morbo corréptus, migrávit in cælum, anno millésimo sexcentésimo vigésimo secúndo, et a Summo Pontífice Pio nono universális Ecclésiæ Doctor fuit declarátus.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos símiles. - Glória. - Quando revertátur a núptiis.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui ad animárum salútem beátum Francíscum Confessórem tuum atque Pontíficem ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propítius ut, caritátis tuæ dulcédine perfúsi, eius dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, ætérna gáudia consequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 30 ianuarii

S. Martinæ

Virginis et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius ut, qui beátæ Martínæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

Die 31 ianuarii

S. Ioannis Bosco

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ioánnes Bosco, húmili loco natus, post ærumnósam innocentissimámque puerítiam, stúdiis Chérii óperam dedit, quo quidem témpore ingénii et virtútum laude enítuit. Sacérdos creátus, Augústam Taurinórum pétiit, ubi ómnibus ómnia factus est; sed præsértim in adolescéntulos eósque páuperes ac derelíctos adiuvándos curam impéndit. Liberálibus disciplínis, opíficum scholis, festórum diérum ascetériis, a venenátis errórum vitiorúmque pábulis puerílem ætátem removére omni ope stúduit: quam ad rem duas in Ecclésia virórum virginúmque famílias excitávit. Plúrimos ipse édidit libros christiána sapiéntia refértos. De ætérna étiam infidélium salúte per sacras suórum sodálium expeditiónes óptime méruit. Mente in Deum constánter erécta, nullis homo sanctíssimus nec minis terréri, nec labóribus fatigári, nec curis ópprimi, nec rebus advérsis perturbári videbátur. Obiit anno salútis millésimo octingentésimo octogésimo octávo, ætátis septuagésimo tértio. A Pio undécimo Pontífice máximo in Sanctórum número relátus est.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui sanctum Ioánnem Confessórem tuum adolescéntium patrem et magístrum excitásti, ac per eum, auxiliatríce Vírgine María, novas in Ecclésia tua famílias floréscere voluísti: concéde, quæsumus, ut eódem caritátis igne succénsi, ánimas quærere, tibíque soli servíre valeámus. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 18

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Iesum, dicéntes: Quis, putas, maior est in regno cælórum? Et ádvocans Iesus párvulum, státuit eum in médio eórum et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Tu autem.

Die 1 februarii

S. Ignatii

Episcopi et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ignátius, Antiochíæ post Petrum secúnda successióne episcopátum sortítus est, et Traiáni témpore accusátus, quod Christiánus esset, ad béstias damnátur, Romam mitténdus. Quo cum a Sýria vinctus deportarétur, omnes Asiæ civitátes, ad quas appulísset, evangélicis cohortatiónibus edocébat, remotióres étiam epístolis erúdiens. In quarum una, quam Smyrnæ, dum apud Polycárpum diversarétur, ad Romános scripsit, inter cétera hæc de sua damnatióne refert: O salutáres béstias, quæ præparántur mihi! Quando vénient? Quando emitténtur? Quando eis frui licébit cárnibus meis? Quas et ego opto acrióres parári, ne forte, ut in nonnúllis fecérunt, tímeant contíngere corpus meum. Nunc incípio discípulus esse Christi. Ignes, cruces, béstiæ, discerptiónes membrórum ac totíus córporis pœnæ et ómnia in me unum supplícia diáboli arte quæsíta cumuléntur, dúmmodo Iesum Christum mérear adipísci. Romam ígitur perdúctus, cum rugiéntes audíret leónes, ardóre martýrii incénsus, in hæc verba prorúpit: Fruméntum Christi sum; déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar. Passus est autem undécimo anno Traiáni.

℟. iii. Gloriósus Dei amícus Ignátius, Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. - Glória. - Cælos.

AD LAUDES

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Ignátii Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Tu autem.

DIE 2 FEBRUARII

In Purificatione B. M. V.

II classis

Festum Purificationis B. Mariæ Virg. habetur tamquam festum Domini.

AD I VESPERAS, quando festum occurrit in dominica vel gradu I classis celebratur.

Super psalmos ant. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine largítus est nobis suam Deitátem.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Malach. 3

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum sanctum suum Dóminátor, quem vos quæritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis.

℟. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti: * Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo inviolata permansísti. ℣. Gabriélem Archángelum scimus divínitus te esse affátum: úterum tuum de Spíritu Sancto crédimus imprægnátum: erubéscat Iudæus infélix, qui dicit

Christum ex Ioseph sémine esse natum. - Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, et post partum Virgo invioláta permansísti. - Glória Patri et Fílio et Spirítui Sancto.

Omissa resumptione, statim dicitur ab utroque choro alternatim prosa sequens:

Invioláta, intácta et casta es, María,
Quæ es effécta fúlgida cæli porta.

O Mater alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.

Nostra ut pura péctora sint et córpora,
Te nunc flágitant devóta corda et ora.

Tua per precáta dulcísona
Nobis concédas véniam per sæcula,
O benígna, quæ sola invioláta permansísti.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto.
℟. Non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Ad Magnif. ant. Cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum dicens: Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, maiestátem tuam súpplices exorámus: ut, sicut unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúndem.

Completorium de B. M. V. 908.

AD MATUTINUM

Invit. Ecce venit ad templum sanctum suum Domínator Dóminus: * Gaude et lætáre, Sion, occúrrens Deo tuo.

In I Nocturno

Ant. 1 Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi ut in festis B. M. V. [21].

Ant. 2 Sicut myrrha elécta odórem dedísti suavitátis, sancta Dei Génetrix.

Ant. 3 Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

℣. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María.
℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.
℟. Amen.

De libro Exodi

Lectio i Cap. 13

Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Sanctífica mihi omne primogénitum quod áperit vulvam in fíliis Israël, tam de homínibus quam de iuméntis: mea sunt enim ómnia. Et ait Móyses ad pópulum: Cum introdúxerit te Dóminus in terram Chananæi, sicut iurávit tibi et pátribus tuis, et déderit tibi eam: separábis omne quod áperit vulvam Dómino, et quod primitívum est in pecóribus tuis: quidquid habúeris masculíni sexus, consecrábis Dómino. Primogénitum ásini mutábis ove: quod, si non redémeris, interfícies. Omne autem primogénitum hóminis de fíliis tuis, prétio rédimes.

℣. i. Adórna thálamum tuum, Sion, et súscipe Regem Christum: * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit adorávit.
℣. Accípiens Símeon Púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. - Quem Virgo concépit.

Benedictio Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

De libro Levítici

Lectio ii Cap. 12

Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël et dices ad eos: Múlier, si suscépto sémine pepérerit másculum, immúnda erit septem diébus iuxta dies se-

paratiónis ménstruæ. Et die octávo circumcidétur infántulus: ipsa vero trigínta tribus diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingrediétur in Sanctuárium, donec impleántur dies purificatiónis suæ. Sin autem féminam pepérerit, immúnda erit duábus hebdomádibus iuxta ritum fluxus ménstrui, et sexagínta sex diébus manébit in sánguine purificatiónis suæ.

℟. ii. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Iesum in Ierúsalem, ut sísterent eum Dómino, * Sicut scriptum est in lege Dómini: Quia omne masculínum adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. ℣. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum aut duos pullos columbárum. - Sicut scriptum est.

Benedictio Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iii

Cumque expléti fúerint dies purificatiónis suæ pro fílio sive pro fília, déferet agnum annículum in holocáustum et pullum colúmbæ sive túrturem pro peccáto, ad óstium tabernáculi testimónii, et tradet sacerdóti. Qui ófferet illa coram Dómino et orábit pro ea, et sic mundábitur a proflúvio sánguinis sui. Ista est lex pariéntis másculum aut féminam. Quod si non invénerit manus eius, nec potúerit offérre agnum, sumet duos túrtures vel duos pullos columbárum, unum in holocáustum et álterum pro peccáto: orabítque pro ea sacérdos, et sic mundábitur.

℟. iii. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum aut duos pullos columbárum, * Sicut scriptum est In lege Dómini. ℣. Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt illum in Ierúsalem. - Sicut scriptum est. - Glória. - In lege Dómini.

In II Nocturno

Antiphonæ, psalmi et versiculus ut in festis B. M. V. [24].

Benedictio Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génetrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 13 de Tempore

Lectio iv

Sic olim prædíctum est: Mater Sion dicet: Homo et homo factus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus. O omnipoténtia nascéntis! o magnificéntia de cælo ad terram descendéntis! Adhuc in útero portabátur, et ex útero matris a Ioánne Baptísta salutabátur. In templo præsentabátur, et a Simeóne sene famóso, annóso, probáto, coronáto agnoscebátur. Tunc cognóvit, tunc adorávit, tunc dixit: Nunc, Dómine, dimíttis servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

℟. iv. Símeon iustus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël, * Et Spíritus Sanctus erat in eo. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. - Et Spíritus.

Benedictio Iesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v

Differebátur exíre de sæculo, ut vidéret natum, per quem cónditum est sæculum. Agnóvit Infántem senex, factus est in Púero puer; innovátus in ætáte, qui plenus erat pietáte. Símeon senex ferébat Christum infántem: Christus regébat Simeónis senectútem. Dictum ei fúerat a Dómino quod non gustáret mortem, nisi vidéret Christum Dómini natum. Natus est Christus, et implétum est desidérium senis in mundi ipsíus senectúte. Ipse ad senem hóminem venit, qui mundum inveterátum invénit.

℟. v. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini: et benedíxit Deum et dixit: * Nunc dimíttis servum tuum in pace: quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. ℣. Cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, accépit eum Símeon in ulnas suas, et dixit. - Nunc dimíttis.

Benedictio Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vi

In isto quidem sæculo diu esse nolébat, et Christum in hoc sæculo vidére cupiébat, cantans cum prophéta et dicens: Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis. Dénique, ut novéritis ita esse istíus lætítiam, conclúsit dicens: Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. Pro-

phétæ cecinérunt Conditórem cæli et terræ in terra cum homínibus futúrum: Angelus nuntiávit Creatórem carnis et spíritus in carne ventúrum. Salutávit Ioánnes ex útero in útero Salvatórem: Símeon senex Deum agnóvit infántem.

℟. vi. Cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum et dixit: * Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace. ℣. Suscípiens Símeon Púerum in mánibus, exclamávit dicens. - Nunc dimíttis, Dómine. - Glória. - Nunc dimíttis, Dómine.

In III Nocturno

Antiphonæ, psalmi et versículus ut in festis B. M. V. [28].

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 2

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ secúndum legem Móysi, tulérunt Iesum in Ierúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 2 Comm. in c. 2 Luc.

Et ecce homo erat in Ierúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste iustus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël. Non solum ab Angelis et Prophétis et pastóribus, sed étiam a senióribus et iustis generátio Dómini áccipit testimónium. Omnis ætas et utérque sexus eventorúmque mirácula fidem ástruunt. Virgo génerat, stérilis parit, mutus lóquitur, Elísabeth prophétat, magus adórat, in útero clausus Ioánnes exsúltat, vídua confitétur, iustus exspéctat.

℟. vii. Suscípiens Iesum in ulnas suas Símeon, exclamávit et dixit: * Tu es vere lumen ad illuminatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israël. ℣. Símeon in mánibus Infántem accépit: sed maiestátem intus agnóvit, et dixit. - Tu es vere lumen.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viii

Et bene iustus, qui non suam, sed pópuli grátiam requirébat: cúpiens ipse corpóreæ vínculis fragilitátis exsólvi, sed exspéctans vidére promíssum: sciébat enim quia beáti óculi qui eum vidérent. Et accépit eum in mánibus suis, et benedíxit Deum et dixit: Nunc, Dómine, dimítte servum tuum in pace. Vide iustum, velut corpóreæ cárcere molis inclúsum, velle dissólvi, ut incípiat esse cum Christo. Dissólvi enim, et esse cum Christo, multo mélius est.

℟. viii. Senex Púerum portábat, Puer autem senem regébat, * Quem Virgo concépit, Virgo péperit, Virgo post partum, quem génuit adorávit. ℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini. - Quem Virgo.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix

Sed qui vult dimítti, véniat in templum, véniat in Ierúsalem, exspéctet Christum Dómini, accípiat in mánibus Verbum Dei, complectátur opéribus velut quibúsdam fídei suæ bráchiis. Tunc dimittétur, ut non vídeat mortem, qui víderit Vitam. Vides úberem in omnes grátiam, Dómini generatióne diffúsam; et prophetíam incrédulis esse negátam, non iustis. Ecce et Símeon prophétat, in ruínam et resurrectiónem multórum venísse Dóminum Iesum Christum.

℟. ix. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti, quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti: * Dum Virgo Deum et hóminem genuísti, Et post partum Virgo inviolata permansísti. ℣. Gabriélem Archángelum scimus divínitus te esse affátum: úterum tuum de Spíritu Sancto crédimus imprægnátum: erubéscat Iudæus infélix, qui dicit Christum ex Ioseph sémine esse natum. - Dum Virgo. - Glória. - Et post partum Virgo inviolata permansísti.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Símeon iustus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël, et Spíritus Sanctus erat in eo.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto non visúrum se mortem, nisi vidéret Dóminum.

3. Accípiens Símeon Púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum.

4. Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum aut duos pullos columbárum.

5. Lumen ad revelatiónem géntium et glóriam plebis tuæ Israël.

Capitulum Malach. 3

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum sanctum suum Dominátor, quem vos quæritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.
Quod Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.
Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.
María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Bened. ant. Senex Púerum portábat, Puer autem senem regébat: quem Virgo péperit, et post partum Virgo permánsit, ipsum quem génuit adorávit.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, maiestátem tuam súpplices exorámus: ut, sicut unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúndem.

Ad Horas antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

¶ Quando hoc festum in dominicis in Septuagesima aut Sexagesima aut Quinquagesima occurrit, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi vero de dominica, ad Primam tamen psalmus Confitémini cum ceteris.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta Dei Génetrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Virgo semper María. Glória. Sancta Dei Génetrix. ℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

AD SEXTAM

Capitulum Malach. 3

Ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullónum: et sedébit conflans et emúndans argéntum, et purgábit fílios Levi.

℟. Post partum, Virgo, * Invioláta permansísti. Post partum, Virgo. ℣. Dei Génetrix, intercéde pro nobis. Invioláta permansísti. Glória. Post partum, Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix.

AD NONAM

Capitulum Malach. 3

Et colábit eos quasi aurum et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in iustítia.

℟. Speciósa facta es * Et suávis. Speciósa facta es. ℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix. Et suávis. Glória. Speciósa facta es.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Símeon iustus et timorátus exspectábat redemptiónem Israël, et Spíritus Sanctus erat in eo.

Psalmi ut in festis B. Mariæ V. [33].

Capitulum Malach. 3

Ecce ego mitto Angelum meum, qui præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum sanctum suum Dominátor, quem vos quæritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.
Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto. ℟. Non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Ad Magnif. ant. Hódie beáta Virgo María púerum Iesum præsentávit in templo, et Símeon replétus Spíritu Sancto accépit eum in ulnas suas et benedíxit Deum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, maiestátem tuam súpplices exorámus: ut, sicut unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

Die 3 februarii

S. Blasii

Episcopi et Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Blásii Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

Die 4 februarii

S. Andreæ Corsini

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Andréam, Floréntiæ ex nóbili Corsinórum família natum, paréntes précibus a Deo impetrárunt et Deíparæ spopondérunt. Adoléscens pie educátus, sensim ad vítia proclívis, sæpe a matre increpátus fuit. Ubi autem cognóvit se paréntum voto beátæ Vírgini dicátum fuísse, Dei amóre succénsus, Carmelitárum institútum ampléxus est, cuius regímini in Etrúria præféctus fuit. Intérea Fesulána ecclésia, suo viduáta pastóre, eum sibi epíscopum elégit: quod munus, ne divínæ contradíceret voluntáti, tandem suscépit, et summo cum animárum zelo et pastorali sollicitúdine adimplévit. Ab Urbáno quinto ad sedándas Bonóniæ turbas legátus missus, mortália cívium ódia summa prudéntia restínxit. Assíduis labóribus ac pœnis confectus, quiévit in pace, anno millésimo tercentésimo septuagésimo tértio, ætátis suæ septuagésimo primo. Quem Urbánus octávus Sanctórum número adscrípsit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pópulo tuo beáti Andréæ Confessóris tui atque Pontíficis ita sequi vestígia, ut assequátur et prémia. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum. Tu autem.

Die 5 februarii

S. Agathæ

Virginis et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus de Communi unius Virginis [124].

In Nocturno

Ant. 1 Ingénua sum et spectábilis génere, ut omnis parentéla mea testátur.

Psalmi de eodem Communi [125].

Ant. 2 Ancílla Christi sum: ídeo me osténdo servílem persónam.

Ant. 3 Summa ingenúitas ista est, in qua sérvitus Christi comprobátur.

Ant. 4 Agatha lætíssime et glorián̄ter ibat ad cárcerem, quasi ad épulas invitáta: et agónem suum Dómino précibus commendábat.

Ant. 5 Si ignem adhíbeas, rorem mihi salvíficum de cælo Angeli minístrábunt.

Ant. 6 Nisi diligénter perféceris corpus meum a carnifícibus attrectári, non potest ánima mea in paradísum Dómini cum palma intráre martýrii.

Ant. 7 Agatha sancta dixit: Si feras mihi promíttis, audíto Christi nómine, mansuéscunt.

Ant. 8 Vidísti, Dómine, agónem meum, quómodo pugnávi in stádio: sed quia nólui obedíre mandátis príncipum, iussa sum in mamílla torquéri.

Ant. 9 Propter fidem castitátis iussa sum suspéndi in equúleo: ádiuva me, Dómine Deus meus, in tortúra mamillárum meárum.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi.

℟. i. Dum torquerétur beáta Agatha in mamílla gráviter, dixit ad iúdicem: * Impie, crudélis et dire tyránne, non es confúsus amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? ℣. Ego hábeo mamíllas íntegras intus in ánima mea, quas ab infántia Dómino consecrávi. - Impie, crudélis.

Lectio ii

Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra huius mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. ii. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi: nihil in me dúbites, fília: ipse me misit ad te, * Quem dilexísti mente et puro corde. ℣. Nam et ego Apóstolus eius sum, et in nómine eius scias te esse curándam. - Quem dilexísti mente.

Lectio iii

Agatha, in Sicília nobílibus paréntibus nata, in persecutióne Décii imperatóris, Cátanæ gloriósum martýrium fecit. Nam, cum Quintiánus, Sicíliæ prætor, ómnibus modis eius pudicítiam frustra tentásset, Agatha, superstitiónis christiánæ nómine comprehénsa, primum cólaphis cæditur, dein admótis candéntibus láminis in equúleo torquétur, tum ei mamílla abscínditur. Mox coniécta in víncula, a beáto Petro Apóstolo, noctu ei apparénte, sanátur. Rursum evocáta a prætóre et in Christi confessióne persevérans, in acútis téstulis et candéntibus carbónibus ei subiéctis volutátur. Sed ob ingéntem terræmótum veheménter commóta civitáte, Quintiánus, véritus pópuli tumúltum, eam semimórtuam clam redúci ímperat in cárcerem; ubi paulo post migrávit in cælum, Nonis februárii.

℟. iii. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Agathæ vírginis, * De cuius passióne gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. ℣. Immaculátus Dóminus immaculátam sibi fámulam, in hoc fragilitátis córpore pósitam, misericórditer consecrávit. - De cuius passióne. - Glória. - De cuius passióne.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Agatha. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi: nihil in me dúbites, fília.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Medicínam carnálem córpori meo numquam exhíbui, sed hábeo Dóminum Iesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa.

3. Grátias tibi ago, Dómine, quia memor es mei, et misísti ad me Apóstolum tuum curáre vúlnera mea.

4. Benedíco te, Pater Dómini mei Iesu Christi, quia per Apóstolum tuum mamíllam meam meo péctori restituísti.

5. Qui me dignátus est ab omni plaga curáre et mamíllam meam meo péctori restitúere, ipsum invoco Deum vivum.

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus

Iesu, coróna vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque pergis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. Paganórum multitúdo fúgiens ad sepúlcrum Vírginis tulérunt velum eius contra ignem: ut comprobáret Dóminus quod a periculis incéndii, méritis Agathæ Mártyris suæ, eos liberáret.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius ut, qui beátæ Agathæ Vírginis et Mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 19

In illo témpore: Accessérunt ad Iesum Pharisæi tentántes eum et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam, quacúmque ex causa? Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Virginis [136].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Quis es tu, qui venísti ad me curáre vúlnera mea? Ego sum Apóstolus Christi: nihil in me dúbites, fília.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum, hymnus et ℣. de eodem Communi [138].

Ad Magnif. ant. Mentem sanctam, spontáneam, honórem Deo, et pátriæ liberatiónem.

Completorium de feria.

Die 6 februarii

Ss. Vedasti et Amandi

Episcoporum et Conf.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arǽntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Oratio

Deus, qui nos sanctórum Confessórum tuórum Vedásti et Amándi confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis: da nobis eórum imitatióne proficere, et intercessióne gaudére. Per.

Die 7 februarii

S. Romualdi Abbatis

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Romuáldus, Ravénnæ, Sérgio patre, nóbili génere natus, adoléscens in propínquum monastérium Classénse pæniténtiæ causa secéssit; ubi ad pietátis stúdium veheméntius incénsus et beáti Apolliná-ris apparitióne recreátus, mónachus effícitur. Ieiú-

niis et oratiónibus assídue se exércuit, vultu tamen ádeo lætus, ut intuéntes exhilaráret. Martýrii cupiditáte flagrans, dum in Pannóniam proficíscitur, morbo corréptus, revérti cógitur. Institúti monachórum Camaldulénsium auctor fuit, quos tamquam Angelos scalam cælum pertingéntem ascéndere per visum conspéxit. Dénique cum annos centum et vigínti ágeret, et centum ipsos in summa vitæ asperitáte Deo servísset, ad eum migrávit, anno salútis millésimo vigésimo séptimo, et Fabriáni in ecclésia sui órdinis honorífice cónditus est.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos símiles. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Romuáldi Abbátis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 19

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Tu autem.

Die 8 februarii

S. Ioannis de Matha

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ioánnes de Matha, Falcóne in Província piis et nobílibus paréntibus natus, cum primum Deo Sacrum offérret, per visiónem intelléxit, se ad rediméndos ab infidélibus captívos destinári. Quare divíno nutu in erémum secéssit, ubi Felícem Valésium in ea iam multis annis degéntem réperit. Ibi fervéntius cum oratióni vacárent, ter in somnis admóniti, Romam profécti, ab Innocéntio Papa tértio approbatiónem novi órdinis sanctíssimæ Trinitátis pro rediméndis captívis obtinuérunt. Tum primum cœnóbium in diœcési Meldénsi construxérunt, cui regéndo Felix remánsit. Ioánnes vero Romam cum áliquot sóciis revérsus est, ubi Innocéntius domum, ecclésiam et hospitále sancti Thomæ de Formis in monte Cælio eis donávit. Datis quoque lítteris ad Miramolínum regem Maróchii, opus redemptiónis felíciter inchoátum fuit. Tum Ioánnes ad Hispánias, sub iugo Saracenórum magna ex parte oppréssas, proféctus, ómnium ánimis ad captivórum commiseratiónem commótis, hospitália eréxit et plures captívos redémit. Romam demum revérsus, assíduis fractus labóribus et morbo conféctus, óbiit in Dómino, sextodécimo Kaléndas ianuárii, anno millésimo ducentésimo décimo tértio.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui per sanctum Ioánnem órdinem sanctíssimæ Trinitátis ad rediméndum de potestáte Saracenórum captívos cælitus institúere dignátus es: præsta, quæsumus, ut, eius suffragántibus méritis, a captivitáte córporis et ánimæ, te adiuvánte, liberémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei. Tu autem.

Die 9 februarii

S. Cyrilli

Episcopi Alexandrini

Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Cyríllus Alexandrínus, Theóphili episcopi

Alexandríni nepos, étiam adoléscens præcelléntis ingénii specímina dedit. Theóphilo vita functo, ad illíus Sedem evéctus, et factus forma gregis ex ánimo, óptimi pastóris glóriam adéptus est. Singuláre eius pro cathólicæ fídei incolumitáte stúdium enítuit contra Nestórium Constantinopolitánum epíscopum, asseréntem Iesum Christum ex María Vírgine hóminem tantum et non Deum natum, eíque divinitátem pro méritis esse collátam; cuius emendatiónem cum frustra tentásset, eum sancto Cælestíno Papæ denuntiávit. Huius Pontíficis delegáta auctoritáte, nonnúllis sessiónibus præfuit concílii Ephesíni, in quo hæresis Nestoriána pénitus proscrípta est, damnátus Nestórius et a sua Sede deiéctus, ac dogma cathólicum de una in Christo eáque divína persóna, et divína gloriósæ Vírginis Maríæ maternitáte assértum. De sola fide sollícitus, et proptérea plura perpéssus, máximis pro Ecclésia Dei perfúnctus labóribus, plurimísque scriptis éditis, sancto fine quiévit, anno quadringentésimo quadragésimo quarto, episcopátus trigésimo secúndo.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Cyríllum Confessórem tuum atque Pontíficem divínæ maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ assertórem invíctum effecísti: concéde, ipso intercedénte, ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus; matérna eiúsdem protectióne salvémur. Per eúndem.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 10 februarii

S. Scholasticæ

Virginis

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Scholástica, venerábilis patris Benedícti soror, ut scribit sanctus Gregórius Papa in libro secúndo Dialogórum, omnipoténti Dómino ab ipso infántiæ témpore dedicáta, ad eum semel per annum veníre consuéverat; ad quam vir Dei non longe extra iánuam in possessióne monastérii descendébat. Quadam vero die, cum ob repentínam plúviæ inundatiónem, quam a Deo Scholástica obtínuit, incumbéntibus iam noctis ténebris, venerábilis frater extra tectum exíre non posset, factum est, ut totam noctem pervígilem dúcerent atque per sacra spirítális vitæ collóquia sese vicária relatióne satiárent. Cumque die áltero éadem venerábilis fémina ad cellam própriam recessísset, vir Dei ad monastérium rédiit. Cum ecce post tríduum, in cella consístens, elevátis in áëra óculis vidit eiúsdem soróris suæ ánimam de córpore egréssam in colúmbæ spécie cæli secréta penetráre. Tum Benedíctus fratres misit, ut eius corpus in sepúlcro, quod sibi ipsi paráverat, pónerent. Quo facto cóntigit, ut, quorum mens una semper in Deo fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret.

℟. iii. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui ánimam beátæ Vírginis tuæ Scholásticæ ad ostendéndam innocéntiæ viam in colúmbæ spécie cælum penetráre fecísti: da nobis eius méritis et précibus ita innocénter vívere, ut ad ætérna mereámur gáudia pervenire. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum de-

cem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. Tu autem.

Die 11 februarii

In Apparitione B. Mariæ Virginis Immaculatæ

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Immaculátam Conceptiónem Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus

Te dícimus præcónio,
Intácta Mater Núminis,
Nostris benígna láudibus
Tuam repénde grátiam.

Sontes Adámi pósteri
Infécta proles gígnimur:
Labis patérnæ néscia
Tu sola, Virgo, créderis.

Caput dracónis ínvidi
Tu cónteris vestígio,
Et sola glóriam refers
Intaminátæ oríginis.

O gentis humánæ decus,
Quæ tollis Hevæ oppróbrium,
Tu nos tuére súpplices,
Tu nos labántes érige.

Serpéntis antíqui potens
Astus retúnde et ímpetus,
Ut cælitum perénnibus
Per te fruámur gáudiis.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Ave, grátia plena: Dóminus tecum.

Psalmi ut in festis B. Mariæ V. [21].

Ant. 2 Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui.

Ant. 3 Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum.

Ant. 4 Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius.

Ant. 5 Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: Deus in médio eius, non commovébitur.

Ant. 6 Dóminus possédit te in inítio viárum suárum: et in caritáte perpétua diléxit te.

Ant. 7 Manus Dómini confortávit te, et ídeo eris benedícta in ætérnum.

Ant. 8 Noli metúere: non enim pro te, sed pro ómnibus hæc lex constitúta est.

Ant. 9 Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Benedictiones de B. Maria V. secundum ordinem feriarum.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 8 et 9

Ego sapiéntia hábito in consílio, et erudítis intérsum cogitatiónibus. Timor Dómini odit malum: arrogántiam et supérbiam et viam pravam et os bilíngue detéstor. Meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo. Per me reges regnant et legum conditóres iusta decérnunt. Per me príncipes ímperant et poténtes decérnunt iustítiam. Ego diligéntes me díligo: et qui mane vígilant ad me, invénient me.

℟. i. Sapiéntia, quæ attíngit a fine usque ad finem fórtiter et dispónit ómnia suáviter, ædificávit sibi domum: * Ecce tabernáculum Dei cum homínibus. ℣. Vidi sanctam civitátem, Ierúsalem novam, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. - Ecce tabernáculum.

Lectio ii

Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et iustítia. Mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso, et genímina mea argénto elécto. In viis iustítiæ ámbulo, in médio semitárum iudícii, ut ditem diligéntes me et thesáuros eórum répleam. Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego iam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant; necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar. Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino: qui autem in me peccáverit, lædet ánimam suam. Omnes qui me odérunt, díligunt mortem. Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. Immolávit víctimas suas, míscuit vinum et propósuit mensam suam. Misit ancíllas suas, ut vocárent ad arcem et ad mœnia civitátis: Si quis est párvulus, véniat ad me. Et insipiéntibus locúta est: Veníte, comédite panem meum et bíbite vinum quod míscui vobis.

℟. ii. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea, * Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis. ℣. Vox túrturis audíta est in terra nostra. - Osténde mihi.

Lectio iii

Anno quarto a dogmática definitióne de immaculáto beátæ Vírginis Concéptu, ad Gavi flúminis oram prope óppidum Lourdes diœcésis Tarbiénsis in Gállia, cum puélla quædam, nómine Bernadétte, in rupis sinu plúries se immaculátam Dei Genetrícem conspexísse asséreret, tot et tanta mirabília facta sunt, ut dígitum Dei ibi esse prudens quisque et pius Christifidélis fácile intellígeret. Quæ inter illud est célebre, quod ægri hauriéntes aquam e fonte in specu tunc primo mirabíliter scaténte, sæpe sæpius sanitátem recípiant. Percrebrescénte ítaque fama beneficiórum, quæ in sacro specu recepísse fidéles dicebántur, et aucto in dies hóminum concúrsu, Tarbiénsis epíscopus, post iurídicam factórum inquisitiónem, cultum eiúsdem Vírginis immaculátæ in eódem specu permísit. Mox ædificáto templo, innúmeræ fidélium turbæ quovis anno illuc advéniunt, noménque Deíparæ immaculátæ ubíque terrárum in dies inclaréscit; eo magis, quod síngulis annis, duránte processióne sanctíssimi Sacraménti, infírmis úndique eo delátis, nonnúlli, sanatiónem a Dómino per intercessiónem immaculátæ Matris peténtes, íllico convaléscunt. Quibus iure commótus summus Póntifex Pius décimus festum, a Leóne décimo tértio alíquibus locis concéssum, ad univérsam exténdit Ecclésiam.

℟. iii. Elégit Maríam Deus, et præelégit eam, et creávit eam in Spíritu Sancto: * Ideo nihil inquinátum in eam incúrrit. ℣. Dedit Maríæ Dóminus protectiónem salútis suæ, et déxtera sua suscépit eam. - Ideo nihil inquinátum. - Glória. - Ideo nihil inquinátum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

3. Tu glória Ierúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

4. Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso præ ómnibus muliéribus super terram.

5. Hódie nomen tuum ita magnificávit Dóminus, ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Capitulum Cant. 2

Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus

Auróra soli prævia,
Felix salútis núntia,
In noctis umbra plebs tua
Te, Virgo, supplex ínvocat.
Torrens nefástis flúctibus
Cunctos trahens vorágine,
Leni resídit æquore
Cum transit Arca fœderis.
Dum torret aréscens humus,
Tu rore sola spárgeris;
Tellúre circum rórida,
Intácta sola pérmanes.
Fatále virus évomens
Attóllit anguis vérticem;
At tu dracónis túrgidum
Invícta cónteris caput.
Mater benígna, réspice
Fletus precésque súpplicum,
Et dimicántes, tártari
Victrix, tuére ab hóstibus.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Bened. ant. Præclára salútis auróra, ex te, Virgo María, exívit Sol iustítiæ, qui visitávit nos óriens ex alto.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quæsumus ut, eiúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúndem.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 1

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Io-

seph, de domo David, et nomen Vírginis María. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Quæ est ista quæ ascéndit de desérto * Delíciis áffluens? Quæ est ista. ℣. Innixa super diléctum suum. Delíciis áffluens. Glória. Quæ est ista.

℣. Vidérunt eam fíliæ Sion. ℟. Et beatíssimam prædicavérunt.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quæsumus ut, eiúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúndem.

AD SEXTAM

Capitulum Prov. 8

Mecum sunt divítiæ et glória, opes supérbæ et iustítia: mélior est enim fructus meus auro et lápide pretióso.

℟. Ego Mater * Pulchræ dilectiónis. Ego Mater. ℣. Et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. Pulchræ dilectiónis. Glória. Ego Mater.

℣. In me omnis grátia viæ et veritátis. ℟. In me omnis spes vitæ et virtútis.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 24

In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini.

℟. Qui me invénerit, * Invéniet vitam. Qui me invénerit. ℣. Et háuriet salútem a Dómino. Invéniet vitam. Glória. Qui me invénerit.

℣. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me. ℟. Et a generatiónibus meis implémini.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Candor est lucis ætérnæ et spéculum sine mácula.

Psalmi ut in festis B. Mariæ V. [33].

Capitulum Cant. 2

Surge, amica mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis.

Hymnus

Omnis expértem mácu-
læ Maríam
Edocet summus fídei Ma-
gíster:
Vírginis gaudens célebrat
fidélis
Terra triúmphum.

Ipsa se præbens húmili
puéllæ
Virgo spectándam, récreat
pavéntem,
Seque concéptam sine la-
be, sancto
Prædicat ore.

O specus felix, decoráte
divæ
Matris aspéctu! veneránda
rupes,
Unde vitáles scatuére pleno
Gúrgite lymphæ!

Huc catervátim pia turba
nostris,
Huc ab extérnis peregrí-
na terris
Affluit supplex, et opem
poténtis
Vírginis orat.

Excipit Mater lácrimas
precántum,
Donat optátam míseris sa-
lútem:
Compos hinc voti pátrias
ad oras
Turba revértit.

Súpplicum, Virgo, miseráta casus,
Semper o nostros réfove labóres,
Impetrans mæstis bona sempitérnæ
Gáudia vitæ.

Glória Patri, genitáque
Proli,
Et tibi, compar utriúsque
semper
Spíritus alme, Deus unus,
omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Hódie gloriósa cæli Regína in terris appáruit; hódie pópulo suo verba salútis et pignora pacis áttulit; hódie Angelórum et fidélium chori immaculátam Conceptiónem celebrántes gáudio exsúltant, (allelúia).

¶ Post Septuagesimam omittitur allelúia.

AD COMPLETORIUM

Antiphona et psalmi de feria.

Ad Nunc dimittis ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte pæcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

Die 12 februarii

Ss. Septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V.

Confessorum

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Bella dum late fúrerent, et urbes
Cæde fratérna gémerent cruéntæ,
Adfuit Virgo, nova semper edens
Múnera matris.
En vocat septem fámulos, fidéles
Ut sibi in luctu récolant dolóres,
Quos tulit Iesus, tulit ipsa consors
Sub cruce Nati.
Illico parent Dóminæ vocánti:
Spléndidis tectis opibúsque spretis,
Urbe secédunt procul in Senári
Abdita montis.
Córpora hic pœnis crúciant acérbis,
Sóntium labes hóminum piántes:
Hic prece avértunt lacrimísque fusis
Núminis iram.
Pérdolens Mater fovet, atque amíctum
Ipsa lugúbrem monet induéndum:
Agminis sancti pia cœpta surgunt,
Mira patéscunt.
Palmes in bruma víridans honóres
Núntiat patrum: próprios Maríæ
Ore lacténti vócitant puélli
Nómine Servos.
Glória Patri, genitáque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

In Nocturno

Lectio iii

Sæculo tértio décimo, septem e Florentína nobilitáte viri, nimírum Bonfílius Monáldius, Bonaiúncta Manéttus, Manéttus Antellénsis, Amidéus de Amidéis, Ugúccio Ugucciónum, Sostenéus de Sostenéis et Aléxius Falconérius, in rurálem quandam ædículam secessére, Christi passiónem ac mæstíssimæ eiúsdem Matris dolóres assídue recoléntes. Illis beáta Virgo, sacra Parascéves die appárens, lúgubrem vestem, quam indúerent, osténdit; sibíque acceptíssimum fore significávit ut novum regulárem órdinem excitárent, qui iugem recóleret ac promovéret memóriam dolórum, quos ipsa pértulit sub cruce Dómini. Tunc sancti illi viri, beáto Petro órdinis Prædicatórum Mártyre adiutóre, órdinem Servórum beátæ Vírginis instituérunt, et cum sóciis civitátes et óppida excúrrere cœpérunt, ubíque

Christum crucifíxum verbo et exémplo prædicántes. Quos vero unus veræ fraternitátis amor in vita sociáverat, unum páriter demórtuos contéxit sepúlcrum, unáque pópuli venerátio prosecúta est. Quare Clemens undécimus et Benedíctus décimus tértius delátum iísdem indivíduum cultum confirmavérunt; Leo autem décimus tértius eos albo Sanctórum accénsuit.

℟. iii. Dóminus electórum suórum spes, et turris fortitúdinis eórum * Dedit hereditátem timéntibus nomen suum. ℣. Habitábunt iusti in tabernáculo Dei in sæcula. - Dedit hereditátem. - Glória. - Dedit hereditátem.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

AD LAUDES

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Sic patres vitam péragunt in umbra,
Lília ut septem nívei decóris,
Vírgini excélsæ bene grata, Petro
Visa nitére.
Iamque divína rapiénte flamma,
Cúrsitant urbes, loca quæque obérrant,
Si queant cunctis ánimis dolóres
Fígere Matris.
Hinc valent iras domuísse cæcas,
Néscia et pacis fera corda iungunt,
Erigunt mæstos, révocant nocéntes
Dicta piórum.
At suos Virgo comitáta Servos
Evehit tandem súperas ad oras:
Gémmeis sertis décorat per ævum
Omne beátos.
Eia, nunc cœtus gémitum precántis
Audiant, duros vídeant labóres,
Semper et nostris fáveant benígno
Lúmine votis.
Glória Patri, genitáque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Bened. ant. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui, ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genetrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum eius família Eccl̃siam tuam fecundásti: concéde propítius ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis: Qui vivis.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 19

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Tu autem.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi plurimorum Martyrum [85].

AD VESPERAS

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Matris sub almæ númine
Septéna proles náscitur:
Ipsa vocánte, ad árduum
Tendit Senári vérticem.

Quos terra fructus próferet,
Dum sacra proles gérminat,
Uvis repénte túrgidis
Onústa vitis prǽmonet.

Virtúte claros nóbili
Mors sancta cælo cónsecrat:
Tenent Olýmpi límina
Servi fidéles Vírginis.

Cohors beáta, Núminis
Regno potíta, réspice
Quos hinc recédens fráudibus
Cinctos relínquis hóstium.

Ergo per almæ vúlnera
Matris rogámus súpplices,
Mentis tenébras dísice,
Cordis procéllas cómprime.

Tu nos, beáta Trínitas,
Perfúnde sancto róbore,
Possímus ut felíciter
Exémpla patrum súbsequi.
Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. ant. Fulgébunt iusti et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; iudicábunt natiónes et regnábunt in ætérnum.

Die 13 februarii

S. Catharinæ de Ricciis

Virginis O. P.

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Regi, sponso vírginum, exsultémus: * Sponsæ vírgini Catharínæ iubilémus.

Hymnus

O virgo, cui præcórdia
Sanctus perússit Spíritus,
Raptóque corde cárneo,
Dedit supérno vívere!

Beáta, cui Rex mártyrum
Spinas crucémque cóntulit,
Et sacra virgínálibus
Membris inússit stígmata.

Beáta, quam Rex vírginum,
Alma Parénte prónuba,
Plaudénte cæli cúria,
Sacro recépit thálamo.

O iam perénni vínculo
Coniúncta Regi glóriæ,
Fac nos amóris néxibus
Iungi suprémo Númini.

Te, Sponse Iesu vírginum,
Castæ Paréntis Unice,
Laudent beáti Spíritus
In sæculórum sæcula.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Ex ore infántis Catharínæ perfecísti tibi laudem, Deus, sapiéntiam præstans párvulis.

Psalmi de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Exsultávit ut gigas ad curréndam viam mandatórum tuórum, Dómine, cum dilatásti cor eius.

Ant. 3 Innocens mánibus et mundo corde, accépit benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

Ant. 4 Oblíta es pópulum tuum et domum patris tui: et concupívit Rex decórem tuum.

Ant. 5 Sanctificávit in te tabernáculum suum Altíssimus: Deus in médio eius, non commovébitur.

Ant. 6 Gloriósa dicta sunt de te, Virgo mirábilis, quam Dóminus diléxit super ómnia tabernácula Iacob.

Ant. 7 Annuntiáte inter gentes Catharínæ glóriam, in ómnibus pópulis mirabília eius.

Ant. 8 Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: et vidérunt omnes pópuli glóriam sanctitátis eius.

Ant. 9 In conspéctu géntium revelávit Dóminus mirabília sponsæ suæ.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 8

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris et deósculer te, et iam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adiúro vos, fíliæ Ierúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, inníxa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génetrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio: dura sicut inférnus æmulátio, lámpades eius lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. i. Sponsábo te mihi in sempitérnum, et sponsábo te in iustítia et iudício et * In misericórdia et in miseratiónibus. ℣. Despóndi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. - In misericórdia et in miseratiónibus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas

Lectio ii Cap. 6

Mihi autem absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. In Christo enim Iesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto.

℟. ii. Secúndum exspectatiónem et spem meam, * Magnificábitur Christus in córpore meo. ℣. Ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto. - Magnificábitur Christus.

Lectio iii

Catharína, Floréntiæ nóbili Ricciórum família nata, tértio décimo ætátis anno régulam tértii órdinis sancti Domínici in monastério Praténsi sancti Vincéntii proféssa est. Corpus ut in servitútem redígeret, ieiúniis, flagéllis aliísque cruciátibus iúgiter affligébat. Exímia prudéntia et reguláris observántiæ zelo soróres diu rexit. Caritáte in Deum fervens, oratióni fere assídue vacábat et Christi passiónem magno cum fructu spirituáli contemplabátur. Supernórum charísmatum cópia singuláris in ea enítuit, desponsatiónis ánulo sacrísque stigmátibus accéptis: plúrium annórum spátio, quinta et sexta féria, síngulos cruciátus a Redemptóre in passióne tolerátos in suo córpore mirabíliter sentíre consuévit. Prati degens, sanctum Philíppum Nérium, Romæ commorántem, vidére proméruit eiúsque collóquio frui. Grávibus morbis corrépta, anno millésimo quingentésimo nonagésimo Prati in cælum migrávit, sexagésimo octávo ætátis anno. Benedíctus décimus quartus eam Vírginum fastis adscrípsit.

℟. iii. O sponsa Christi amábilis, quæ sacra Sponsi stígmata expréssa refers córpore, eiúsque charismátibus pleno redúndas spíritu: * Nos te coléntes prótege, Et quæ precámur óbtine. ℣. Fac Crucifíxi vúlnera recogitémus pérpetim, eiúsque mortis prétio tuum assequámur prǽmium. - Nos te. - Glória. - Et quæ precámur óbtine.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Indue te decóre sempitérnæ glóriæ: Deus enim osténdet splendórem suum in te.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

3. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulces gústuri meo.

4. Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? His plagáta sum in domo eius qui diligébat me.

5. Veni de Líbano, sponsa, veni, coronáberis.

Capitulum Apoc. 19

Regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se.

Hymnus

Iam noctis umbras Lúcifer
Fugat, diémque prævenit,
Quæ Catharínæ méritis
Corúscat et prodígiis.

Ave, Crucis discípula
Et passiónis ámula:
Divíni amóris víctima,
Casti pudóris lílium.

Fac te sequámur régiam
Per caritátis sémitam:
Et quibus ardes, ígnibus
Accénde nostra péctora.

Quæ tibi Sponsus sánguinum
Dedit, salútis sýmbola
Inscúlpe nostris méntibus,
Nostrísque fige córdibus.

Te, Sponse Iesu vírginum,
Castæ Paréntis Unice,
Laudent beáti Spíritus
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. Visitávit ex alto Dóminus sponsam suam in sanctitáte et iustítia incedéntem coram ipso ómnibus diébus vitæ suæ.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem, tui amóre succénsam, passiónis contemplatióne claréscere voluísti: eius intercessióne concéde ut, passiónis mystéria devóte recoléntes, eius fructum percípere mereámur: Qui vivis et regnas.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem vírgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ et quinque prudéntes. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM

Capitulum Osee 2

Sponsábo te mihi in sempitérnum: et sponsábo te in iustítia et iudício et in misericórdia et in miseratiónibus.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

AD NONAM

Capitulum Gal. 6

Mihi autem absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo.

℟. Adiuvábit eam Deus * Vultu suo. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adiuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Indue te decóre sempitérnæ glóriæ: Deus enim osténdet splendórem suum in te.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum Apoc. 19

Regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se.

Hymnus

Solémne laudis cánticum
Pangámus almæ Vírgini,
Quam Sponsus Agnus évocat
Ad sempitérnas núptias.

Regális hanc Etrúria,
Senénsis instar, prótulit,
Donis refértam grátiæ,
Totóque plenam Númine.

Oráre docta ab Angelo
Cælum puélla tránsvolat,
Corpusculíque mótibus
Christi dolóres éxprimit.

Sertum dat illi spíneum,
Dat ánnulum, cor, stígmata,
Vulsísque Sponsus bráchiis
E cruce eam compléctitur.

O sponsa felix, áffluens
Cæléstibus delíciis,
Votis tuórum súpplicum
Aures benígnas ádmove.

Te, Sponse Iesu vírginum,
Castæ Paréntis Unice,
Laudent beáti Spíritus
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. O supérni sponsa amóris, Christi plagis decoráta, ante thronum Redemptóris esto supplex advocáta pro cœtu fidélium.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem, tui amóre succénsam, passiónis contemplatióne claréscere voluísti: eius intercessióne concéde ut, passiónis mystéria devóte recoléntes, eius fructum percípere mereámur: Qui vivis et regnas.

Completorium de feria.

Die 14 februarii

B. Iordani Saxonis

Confessoris O. P.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Iordánus, in óppido Botérgæ in Saxóniæ fínibus natus, dum Parísiis lítteris studet beáto Domínico valde familiáriter usus est, atque ad eius voluntátem diaconátus offícium suscépit. Anno millésimo ducentésimo vigésimo órdinem Prædicatórum ingréssus, eiúsdem primo generáli capítulo intérfuit. Póstmodum Lombardíæ provínciæ præféctus, antíphonam Salve Regína post Completórium canéndam decrévit. Déinque primus Domínici succéssor renuntiátus, per annos quíndecim frátribus sororibúsque verbo, exémplis, lítteris, constitutiónum redactióne, visitatiónibus crebérrimis, singulári mansuetúdine provídit. Anno tandem millésimo ducentésimo trigésimo séptimo, cum a Terra Sancta redíret, ad oras Pamphýliæ naufrágium fecit, undísque summérsus gloriósum sepúlcrum in convéntu Accónis accépit. Eius cultum iam inde vigéntem Leo duodécimus benígne confirmávit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui salútis animárum zelo et ampliándæ Religiónis grátia beátum Iordánum mirábilem effecísti: eius intercedéntibus méritis fac nos in eódem semper spíritu vívere, ac repósitam in cælis glóriam invenire. Per.

Memoria S. Valentini Presb. et Martyris.

Ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eius intercessióne liberémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Tu autem.

Die 15 februarii

B. Henrici Susonis

Confessoris O. P.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Henrícus de Monte, e matris cognómine Suso dictus, trédecim annórum adoléscens Constántiæ órdinem Prædicatórum elégit. Quinquénnio autem remíssius acto, firmiórem íniit disciplínam, carnis maceratiónibus cum siléntii custódia et intérnis ærúmnis severíssimam. Passiónis imitándæ assíduus, Iesu nomen péctori inscúlpsit, mysteriorúmque Salútis et intelléctu profécit et cultu. Ætérnæ Sapiéntiæ servus ac Deíparæ óbsequens fílius mýsticos libros scripsit, dum vívido ingénio mentes divínam sciéntiam edócuit. Húmilis atque mansuétus, nec calúmniis fractus, evangélica prædicatióne innúmeros fere ad pæniténdum indúxit. Ulmæ, anno millésimo tercentésimo sexagésimo sexto, quiévit in Dómino miráculis clarus. Eius vero sepúlcrum Lutheráni diruérunt. Festum Beáti, Gregórii décimi sexti auctoritáte órdini Prædicatórum prius, ac póstea

diœcésibus Friburgénsi et Rottenburgénsi indúltum est.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Henrícum, Confessórem tuum, córporis mortificatióne et caritáte mirábilem effecísti: concéde ut Christum crucifíxum ópere in nobis exprímere, et corde dilígere valeámus: Qui tecum vivit et regnat.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 11

In illo témpore: Respóndens Iesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Tu autem.

Die 17 februarii

B. Reginaldi

Confessoris O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Confessórem tuum Regináldum singulári sanctíssimæ Genetrícis tuæ protectióne donásti; illíus nobis méritis et précibus concéde ut eiúsdem gloriósæ semper Vírginis Maríæ perpétuo muniámur auxílio: Qui vivis et regnas.

Die 22 februarii

Cathedræ S. Petri Ap.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur: Omnia de Communi unius Confessoris [94] præter hic posita.

℟. Quodcúmque ligáveris 938.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnif. ant. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum: tibi tráditæ sunt claves regni cælórum.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Tu es pastor óvium, princeps Apostolórum: * Tibi trádidit Deus claves regni cælórum.

Hymnus

Iam, bone pastor, Petre, clemens áccipe
Vota precántum, et peccáti víncula
Resólve, tibi potestáte trádita,
Qua cunctis cælum verbo claudis, áperis.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque iubilátio,
In unitáte, cui manet impérium
Ex tunc et modo per ætérna sæcula. Amen.

Antiphonæ, psalmi et ℣℣. de Communi unius Confessoris [95].

In I Nocturno

Incipit Epístola prima beáti Petri Apóstoli

Lectio i Cap. 1

Petrus Apóstolus Iesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ et Bithýniæ secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam et aspersiónem sánguinis Iesu Christi: grátia vobis et pax multiplicétur. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Iesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem et incontaminátam et immarcescíbilem, conservátam in cælis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo.

℟. i. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. - Intra in gáudium.

Lectio ii

In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem et glóriam et honórem in revelatióne Iesu

Christi: quem, cum non vidéritis, dilígitis: in quem nunc quoque non vidéntes créditis: credéntes autem exsultábitis lætítia ineenarrábili et glorificáta: reportántes finem fídei vestræ, salútem animárum.

℟. ii. Iustus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. - Et florébit.

Lectio iii

De qua salúte exquisiérunt atque scrutáti sunt prophétæ, qui de futúra in vobis grátia prophetavérunt: scrutántes in quod vel quale tempus significáret in eis Spíritus Christi: prænúntians eas quæ in Christo sunt passiónes et posterióres glórias: quibus revelátum est quia non sibimetípsis, vobis autem ministrábant ea quæ nunc nuntiáta sunt vobis per eos, qui evangelizavérunt vobis, Spíritu Sancto misso de cælo, in quem desíderant Angeli prospícere.

℟. iii. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum: * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et avidítate In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. - Quóniam. - Glória. - In illa ætérna pátria conversátus est.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Sermo 15 de Sanctis

Lectio iv

Institútio solemnitátis hodiérnæ a senióribus nostris Cáthedræ nomen accépit, ídeo quod primus Apostolórum Petrus hódie episcopátus cáthedram suscepísse referátur. Recte ergo Ecclésiæ natálem Sedis illíus colunt, quam Apóstolus pro Ecclesiárum salúte suscépit, dicénte Dómino: Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. - Et dedit illi.

Lectio v

Petrum ítaque fundaméntum Ecclésiæ Dóminus nominávit: et ídeo digne fundaméntum hoc Ecclésia colit, supra quod ecclesiástici ædifícii altitúdo consúrgit. Unde conveniénter psalmus, qui lectus est, dicit: Exáltent eum in ecclésia plebis, et in cáthedra seniórum laudent eum. Benedíctus Deus, qui beátum Petrum Apóstolum in Ecclésia exaltári præcépit: quia dignum est ut fundaméntum hoc in Ecclésia honorétur per quod ad cælum conscénditur.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Quod natális ergo Cáthedræ hódie cólitur, sacerdotále honorátur offícium. Sibi hoc Ecclésiæ ínvicem præstant: quia tanto necésse plus habet Ecclésia dignitátis, quanto sacerdotále offícium plus honóris. Cum solemnitátem hanc Ecclésiis mérito religiósa observátio introdúxerit, miror cur apud quosdam infidéles hódie tam perniciósus error incréverit, ut super túmulos defunctórum cibos et vina cónferant, quasi egréssæ de corpóribus ánimæ carnáles cibos requírant.

℟. vi. Sancte Petre, Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte Petre, sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. - Et impetrátam cælitus. - Glória. - Tu defer indulgéntiam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16

In illo témpore: Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philíppi: et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Comm. in Matth. cap. 16 post initium

Dóminus a discípulis requírit, quem se hómines esse dícerent: et adiécit, Hóminis Fílium. Hæc enim confessiónis tenénda rátio est, ut sicut Dei Fílium, ita et Fílium hóminis meminérimus: quia álterum sine áltero nihil spei tríbuit ad salútem. Editis ítaque, quæ divérsæ de eo erant, hóminum opiniónibus, quid de se ipsi séntiant quærit. Pe-

trus respóndit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Sed Petrus conditiónes propositiónis expénderat. Dóminus enim díxerat: Quem me hómines esse dicunt, Fílium hóminis? Et certe Fílium hóminis contemplátio córporis præferébat. Sed addéndo, Quem me esse dicunt: significávit præter id quod in se videbátur, esse áliud sentiéndum: erat enim hóminis Fílius.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Quod ígitur de se opinándi iudícium desiderábat? Non illud arbitrámur, quod de se ipso conféssus est: sed occúltum erat, de quo quærebátur, in quod se credéntium fides debébat exténdere. Et dignum plane conféssio Petri prémium consecúta est, quia Dei Fílium in hómine vidísset. Beátus hic est, qui ultra humánum óculos intendísse et vidísse laudátus est: non id quod ex carne et sánguine erat cóntuens; sed Dei Fílium cæléstis Patris revelatióne conspíciens: dignúsque iudicátus qui, quod in Christo Dei esset, primus agnósceret.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit illum.

Lectio ix

O in nuncupatióne novi nóminis felix Ecclésiæ fundaméntum, dignáque ædificatióne illíus petra, quæ inférnas leges et tártari portas et ómnia mortis claustra dissólveret! O beátus cæli iánitor, cuius arbítrio claves ætérni áditus tradúntur, cuius terréstre iudícium præiudicáta auctóritas sit in cælo: ut quæ in terris aut ligáta sint aut solúta, statúti eiúsdem conditiónem obtíneant et in cælo!

℟. ix. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: * Et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et In cælis. ℣. Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. - Et quodcúmque. - Glória. - In cælis.

Ante Laudes ℣. Exáltent eum in ecclésia plebis. ℟. Et in cáthedra seniórum laudent eum.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus et pulsáverit iánuam, invénerit vigilántem.

3. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

4. Ecce vere Israëlita, in quo dolus non est.

5. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iesu, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus,

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cuius celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Qui, rite mundi gáudia
Huius cadúca réspuens,
Cum Angelis cæléstibus
Lætus potítur prémiis.

Huius benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia:
Huius precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. ant. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis; et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis, dicit Dóminus Simóni Petro.

Oratio

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde ut, intercessiónis eius auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Confessoris [106].

AD VESPERAS

Antiphona et psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iam, bone pastor, Petre, clemens áccipe
Vota precántum, et peccáti víncula
Resólve, tibi potestáte trádita,
Qua cunctis cælum verbo claudis, áperis.
Sit Trinitáti sempitérna glória,
Honor, potéstas atque iubilátio,
In unitáte, cui manet impérium
Ex tunc et modo per ætérna sæcula. Amen.

℣. Tu es Petrus. ℟. Et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Ad Magnif. ant. Simon Bar Iona, tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. Iánitor cæli, pulsántibus áperi. Supra modum peccávimus omnes, dimítte septuágies sépties.

Oratio

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde ut, intercessiónis eius auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis.

Completorium de dominica.

Die 23 februarii

S. Petri Damiani

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Petrus, Ravénnæ ortus, utróque orbátus paréntе, Damiáni fratris cura lítteris et sciéntiis est erudítus eo proféctu ut eas cum laude álios docúerit. Perficiéndæ magis vitæ causa, in Avellanénsi cœnóbio, órdini monachórum sanctæ Crucis Fontis Avellánæ a beáto Ludúlpho, sancti Romuáldi discípulo, fundáto, nomen dedit, quem póstea ita rexit et auxit, ut alter eius órdinis parens ac præcípuum ornaméntum iure sit hábitus. Eum Stéphanus nonus, invítum et reluctántem, Románæ Ecclésiæ cardinálem creávit et Ostiénsem epíscopum. Difficíllimo témpore, Summis Pontifícibus doctrína, legatiónibus multísque susceptis labóribus mirífice ádfuit. Henrícum quartum, Germániæ regem, ab iníquo uxóris divórtio detérruit. Demum, sanctis opéribus clarus, dum e Ravennáte legatióne redíret, Favéntiæ migrávit ad Dóminum.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arténtes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Concéde nos, quæsumus, omnípotens Deus, beáti Petri Confessóris tui atque Pontíficis mónita et exémpla sectári; ut per terréstrium rerum contémptum ætérna gáudia consequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 24 februarii
(anno vero bissextili 25)

S. Matthiæ Apostoli

II classis

Omnia de Communi Apostolorum [37], præter ea quæ hic habentur propria.

In I Nocturno

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 1

In diébus illis: Exsúrgens Petrus in médio fratrum dixit (erat autem turba hóminum simul fere centum vigínti): Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram, quam prædíxit Spíritus Sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eórum qui comprehendérunt Iesum: qui connumerátus erat in nobis et sortítus est sortem ministérii huius. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, et suspénsus crépuit médius: et diffúsa sunt ómnia víscera eius.

℟. i. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes

sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. - Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ.

Lectio ii

Et notum factum est ómnibus habitántibus Ierúsalem, ita ut appellarétur ager ille, língua eórum, Hacéldama, hoc est Ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commorátio eórum desérta, et non sit qui inhábitet in ea: et episcopátum eius accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris, qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Iesus, incípiens a baptísmate Ioánnis usque in diem qua assúmptus est a nobis, testem resurrectiónis eius nobíscum fíeri unum ex istis.

℟. ii. Tóllite iugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. - Iugum enim meum.

Lectio iii

Et statuérunt duos, Ioseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Iustus: et Matthíam. Et orántes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde quem elégeris ex his duóbus unum accípere locum ministérii huius et apostolátus, de quo prævaricátus est Iudas ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, et cécidit sors super Matthíam, et annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

℟. iii. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. - Dábitur enim vobis. - Glória. - Dábitur.

In II Nocturno

De Expositióne sancti Augustíni Epíscopi super psalmum octogésimum sextum

Ante medium

Lectio iv

Fundaménta eius in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion. Quare sunt fundaménta

Apóstoli et Prophétæ? Quia eórum auctóritas portat infirmitátem nostram. Quare sunt portæ? Quia per ipsos intrámus ad regnum Dei: prædicant enim nobis: et, cum per ipsos intrámus, per Christum intrámus; ipse est enim iánua. Et cum dicúntur duódecim portæ Ierúsalem, et una porta Christus, et duódecim portæ Christus, quia in duódecim portis Christus: et ídeo duodenárius número Apostolórum.

℟. iv. Vidi coniúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem et dicéntem. - Isti sunt.

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi

In Encom. duodecim Apostolorum apud Metaph. mense iunio

Lectio v

O beátum et præclárum vestrum, o Apóstoli, cœtum, quod ómnia facti estis ómnibus Dei grátia, non arúndine, sed sermóne greges hóminum períte capiéntes! Vos enim estis immóbiles colúmnæ rectæ fídei, sceptra Ecclésiæ et huius máxime Patóris vígiles defensóres, morbi humanitátis gratúiti médici, et nostræ ad Deum pæniténtiæ susceptóres misericórdes. Cum enim essétis véluti quædam animátæ incúdes, dum verberarémini, eos qui verberábant fabricáti estis ad agnitiónem.

℟. v Isti sunt triumphatóres, et amíci Dei, qui contemnéntes iussa príncipum, meruérunt præmia ætérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Modo coronántur.

Lectio vi

Non cessant omnes ómnibus ubíque benefácere. Púlverem immortálem reliquérunt in sepúlcris: nunc quidem pii cultóres, paulo post autem, sedéntes mundi iúdices. Cum huic appropinquásset claudus, revérsus est sanis et íntegris pédibus. Cum in illum incidísset paralýticus, iussus est ferre grabátum. Alius vocábat mórtuos: illi vero statim obtemperárunt. Alterius autem umbra sola fugábat morbos. Alterius invocatiónem ex-

horrébant dæmones, et eórum sudária distillábant medicínam.

℟. vi. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. - Qui in patiéntia vestra. - Glória. - Possidébitis ánimas vestras.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 11

In illo témpore: Respóndens Iesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 39 in Matth.

Quod hic, Confíteor, dixit, idem valet quod, Grátias ago. Grátias, inquit, tibi ago, quóniam a prudéntibus et sapiéntibus hæc celásti. An ígitur perditióne illórum gaudére ipsum dicémus, et quóniam illi hæc non didicére? Mínime. Non ergo quia sapiéntes non cognovérunt, gaudet: sed quia párvuli percepérunt, lætátur. Ita et Paulus dicit: Grátias ago Deo meo: quóniam fuístis servi peccáti: obedístis autem ex corde in quam tráditi estis formam doctrínæ. Non ergo Paulus proptérea gaudet, quia erant servi peccáti; sed quia, cum essent huiúsmodi, veritátis cultóres facti sunt.

℟. vii. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum. - Quorum doctrína.

Lectio viii

Prudéntes autem hic scribas et pharisæos appéllat: quibus verbis alacrióres reddit discípulos: cum intélligant illa se piscatóres esse consecútos, a quibus illi summi, ut videbántur, viri excidérunt. Cum autem Sapiéntes díxerit: non illam veram laudábilem sapiéntiam intélligit: sed hanc quæ sæculári doctrína præstátur. Idcírco étiam non dixit, Stultis revelásti, sed Párvulis: quasi non formátis adhuc, sed simplícibus.

℟. viii. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. - Et quasi colúmbæ.

Lectio ix

Ita osténdit non indígne illos, sed iure his rebus fuísse privátos: ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omníno esse fugiéndum ac simplicitátem æmulándam. Quod Paulus amplióribus verbis scribit, dicens: Si quis in vobis vidétur in hoc sæculo sápiens esse, is fiat stultus, ut sápiens efficiátur: sic enim grátia Dei monstrátur. Cur vero grátias agit Patri, cum ipse illud fécerit? Sicut orat et intercédit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declárans caritátem, sic étiam et hoc ex caritátis fervóre péragit.

℟. ix. Gregem tuum, Pastor ætérne, non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege, Dómine, pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. - Perpétua. - Glória. - Perpétua.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociásti; tríbue, quæsumus, ut eius interventióne tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per.

Die 1 martii

S. Albini

Episcopi et Confessoris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Albíni Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

Die 4 martii

S. Casimiri Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Casimírus, Polóniæ regis fílius, a puerítia

pietáte et bonis ártibus instrúctus, iuveníles artus áspero domábat cilício et assíduis extenuábat ieiúniis. In Christi contemplánda passióne assíduus, oratiónis spíritum non relaxábat. Cathólicam fidem promovére et Ruthenórum schisma abolére summópere stúduit. Erga páuperes et calamitátibus oppréssos benéficus et miséricors, patris et defensóris egenórum nomen obtínuit. Virginitátem usque ad extrémum vitæ términum constánter servávit illæsam. Consummátus in brevi, virtútibus et méritis plenus, prænuntiáto mortis die, spíritum Deo réddidit, anno ætátis vigésimo quinto. Eum, miráculis clarum, Leo décimus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui inter regáles delícias et mundi illécebras sanctum Casimírum virtúte constántiæ roborásti: quæsumus ut eius intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cæléstia semper aspírent. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Tu autem.

DIE 7 MARTII

S. Thomæ de Aquino

Confessoris O. P. et Ecclesiæ Doctoris

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Felix Thomas, Doctor Ecclésiæ, lumen mundi, splendor Itáliæ, candens virgo flore mundítiæ, bina gaudet coróna glóriæ.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 45

Elégit eum Dóminus ex omni carne, et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ, docére Iacob testaméntum suum et iudícia sua Israël. ℟. Sertum gestans cum torque dúplici, cappa gemmis ornáta cérnitur: ex moníli fulgóris cælici lux emíssa mundo diffúnditur: * Augustínus Fratri sic lóquitur: ℣. Thomas mihi par est in glória, virginali præstans mundítia. - Augustínus Fratri sic lóquitur. - Glória. - Augustínus Fratri.

Hymnus

Exsúltet mentis iúbilo
Laudans turba fidélium,
Errórum pulso núbilo
Per novi solis rádium.

Thomas in mundi véspere
Fudit thesáuros grátiæ,
Donis plenus ex æthere
Morum et sapiéntiæ.

De cuius fonte lúminis
Verbi corúscant fáculæ,
Scriptúræ sacræ Núminis
Et veritátis régulæ.

Fulgens doctrínæ rádiis,
Clarus vitæ mundítia,
Splendens miris prodígiis,
Dat toti mundo gáudia.

Laus Patri sit ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cæli iungat ágmini.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Scandit Doctor civis cæléstium, orbis decor, dux, lux fidélium, norma, limes, lex morum ómnium, vas virtútum ad vitæ brávium.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui atque Doctóris mira eruditióne clarificas et sancta operatióne fecúndas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne complére. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Adsunt Doctóris cælici Thomæ festa solémnia: * Devotióne súpplici laudes promat Eccl*é*sia.

Hymnus

Thomas insígnis génere,
Claram ducens orígi-
nem,
Subit ætátis téneræ
Prædicatórum órdinem.

Typum gessit lucíferi,
Splendens in cœtu nú-
bium,
Plusquam doctóres céteri
Purgans dogma gentílium.

Profúnda scrutans flúmi-
num,
In lucem pandit ábdita,
Dum supra sensus hómi-
num
Obscúra facit cógnita.

Fit paradísi flúvius
Quadripartíte pérvius:
Fit Gedeónis gládius,
Tuba, lagéna, rádius.

Laus Patri sit ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cæli iungat ágmini.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Doctor Thomas replétus grátia, prædemonstrátus sacris oráculis, mundi, carnis hostísque vítia fugat, exémplar datum sæculis.

Psalmi de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Mentis innocéntia, flosque puritátis, exstitérunt prævia luci veritátis.

Ant. 3 Ope Doctóris cælici tota gaudet Eccl*é*sia: fulget Ordo Domínici peculiári glória.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 39

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sápiens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsidis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. i. Sancti viri verbum prophéticum præmonstrávit mundo mirificum sanctum Thomam, Doctórem cælicum, * Sectatúrum sanctum Domínicum. ℣. Nam vir sanctus hunc matri grávidæ ducem prompsit doctrínæ lúcidæ. - Sectatúrum sanctum Domínicum.

Lectio ii

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium eius et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

℟. ii. Christi pia tractus dulcédine, mundum linquens probátur túrbine: * Pugil fortis raptus de Ordine, vicit prorsus pulsa libídine. ℣. Orat pressa cruce mirífica: renes cingit manus angélica. - Pugil fortis.

Lectio iii

Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit eccl*é*sia. Si permánserit, nomen derelínquet plus quam mille: et si requiéverit, próderit illi.

℟. iii. O ánima sanctíssima, qua contemplánte dúlciter, corpus linquébat ínfima, * Stans sursum mirabíliter! ℣. Nullo prorsus fultus subsídio, levabátur in raptus gáudio. - Stans sursum mirabíliter. - Glória. - Stans sursum mirabíliter.

In II Nocturno

Ant. 4 O munus Dei grátiæ, vincens quodvis miráculum! pestíferæ supérbiæ numquam persénsit stímulum.

Ant. 5 Prece curat sócium febrem patiéntem, et in ora véstium sánguine fluéntem.

Ant. 6 Stella candens émicat, stupórem dans insólitum: quæ instántem

índicat beáti Thomæ tránsitum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Lectio iv

Præclárum christiáni orbis decus et Ecclésiæ lumen, beatíssimus vir Thomas, Landúlpho cómite Aquináte et Theodóra Neapolitána nobílibus paréntibus natus, futúræ in Deíparam devotiónis afféctum adhuc infántulus osténdit. Nam chártulam ab eo invéntam, in qua Salutátio Angélica scripta erat, frustra adniténte nutríce, compréssa manu válide retínuit, et a matre per vim abréptam plorátu et gestu repétiit, ac mox rédditam deglutívit. Quintum annum agens, mónachis sancti Benedícti Cassinátibus custodiéndus tráditur. Inde Neápolim studiórum causa missus, iam adoléscens Fratrum Prædicatórum órdinem suscépit. Sed matre ac frátribus id indígne feréntibus, Lutétiam Parisiórum míttitur. Quem fratres, in itínere per vim raptum, in arcem castri sancti Ioánnis perdúcunt: ubi várie exagitátus, ut sanctum propósitum mutáret, mulíerem étiam, quæ ad labefactándam eius constántiam introdúcta fúerat, titióne fugávit. Mox beátus iúvenis flexis génibus ante signum Crucis orans, ibíque somno corréptus, per quiétem sentíre visus est sibi ab Angelis constríngi lumbos: quo ex témpore omni póstea libídinis sensu cáruit. Soróribus, quæ ut eum a pio consílio removérent, in castrum vénerant, persuásit ut, contémptis curis sæculáribus, ad exercitatiónem cæléstis vitæ se conférrent.

℟. iv. De excélsis Fons sapiéntiæ sancto Thomæ infúdit cópiam, tamquam flumen claræ sciéntiæ: qui suscéptam refúdit grátiam, dum fluéntis summæ perítiæ * Rigat totam sanctam Ecclésiam. ℣. Stilus brevis, grata facúndia: celsa, clara, firma senténtia. - Rigat totam sanctam Ecclésiam.

Lectio v

Emíssus e castro per fenéstram, Neápolim redúcitur: unde Romam, póstea Parísios a fratre Ioánne Teutónico, órdinis Prædicatórum generáli Magístro, ductus, sancto Albérto Magno doctóre, philosophíæ ac theologíæ óperam dedit. Vigínti quinque annos natus, Magíster est appellátus, publicéque philósophos ac theólogos summa cum laude est interpretátus. Numquam se lectióni aut scriptióni dedit, nisi post oratiónem. In difficultátibus locórum sacræ Scriptúræ, ad oratiónem ieiúnium adhibébat. Quin étiam sodáli suo fratri Reginaldo dícere solébat, quidquid sciret non tam stúdio aut labóre suo peperísse quam divínitus tráditum accepísse. Neápoli cum ad imáginem Crucifíxi vehemèntius oráret, hanc vocem audívit: Bene scripsísti de me, Thoma: quam ergo mercédem accípies? Cui ille: Non áliam, Dómine, nisi teípsum. Collatiónes Patrum assídue pervolutábat; et nullum fuit scriptórum genus, in quo non esset diligentíssime versátus. Scripta eius et multitúdine et varietáte et facilitáte explicándi res difficíles ádeo excéllunt, ut ubérrima atque incorrúpta illíus doctrína, cum revelátis veritátibus mire conséntiens, aptíssima sit ad ómnium témporum erróres pervincéndos.

℟. v. Felix Doctor, cuius solátio Angelórum servit atténtio: Petrus, Paulus favent obséquio: * Dei Mater mulcet allóquio.

℣. Elevátus a terra cérnitur, Crucifíxus eum allóquitur. - Dei Mater mulcet allóquio.

Lectio vi

A Summo Pontífice Urbáno quarto Romam vocátus, eius iussu ecclesiásticum lucubrávit Offícium in Córporis Christi solemnitáte celebrándum. Oblátos vero honóres et Neapolitánum archiepiscopátum, étiam deferénte Cleménte quarto, recusávit. A prædicatióne divíni verbi non desistébat; quod cum fáceret per octávam Paschæ in basílica sancti Petri, mulíerem, quæ eius fímbriam tetígerat, a fluxu sánguinis liberávit. Missus a beáto Gregório décimo ad concílium Lugdunénse, in monastério Fossæ Novæ in morbum incidit, ubi ægrótus Cántica canticórum explanávit. Ibídem óbiit quinquagenárius, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quarto, Nonis mártii. Miráculis étiam mórtuus cláruit; quibus probátis, a Ioánne vigésimo secúndo in Sanctórum númerum relátus est, anno millésimo tercentésimo vigésimo tértio: transláto póstea eius córpore Tolósam, ex mandáto beáti Urbáni quinti.

Cum sanctis angélicis spirítibus non minus innocéntia quam ingénio comparátus, Doctóris angélici nomen iure est adéptus, eídem auctoritáte sancti Pii quinti confirmátum. Leo autem décimus tértius, libentíssime excípiens postulatiónes et vota ómnium pæne sacrórum Antístitum orbis cathólici, ad tot præcípue philosophicórum systématum a veritáte aberrántium luem propulsándam, ad increménta scientiárum et commúnem humáni géneris utilitátem, eum, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, per apostólicas lítteras cæléstem patrónum scholárum ómnium catholicárum declarávit et instítuit.

℟. vi. Sidus missum Thomæ de súperis, novo signo divíni múneris, * Hunc cæléstem demónstrat céteris, Verbo, vita, doctrína, lítteris. ℣. Quam excélsus, quem cæli prædicant: quam præclárus, quem stellæ índicant! - Hunc cæléstem. - Glória. - Verbo, vita, doctrína, litteris.

In III Nocturno

Ant. 7 Instánte vitæ término, vidit regna cæléstia: et revelánte Dómino, novit paráta prémia.

Ant. 8 Seminávit hic lárgiter Doctor virtuósus: metit illic felíciter victor gloriósus.

Ant. 9 Sidus de nube tráhitur, de feno flos elícitur, salque de terra tóllitur, dum Thomas cælo rédditur.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comm. in c. 5 Matth.

Sal appellántur Apóstoli et Doctóres: quia per illos univérsum hóminum conditur genus. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Si doctor erráverit, a quo álio doctóre emendábitur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Exémplum de agricultúra sumptum est. Sal étenim, sicut in cibórum condiméntum et ad siccándas carnes necessárium est: ita álium usum non habet. Certe légimus in

Scriptúris urbes quasdam, ira victórum, sale seminátas, ut nullum in ipsis germen orirétur.

℟. vii. Scholas Thomæ Paulus ingréditur, sacra simul fantur mystéria: digne tandem per raptum tráhitur * Vir cæléstis ad cæli prémia. ℣. Clamor fratris trinus emíttitur: Doctor noster a nobis tóllitur. - Vir cæléstis ad cæli prémia.

Lectio viii

Cáveant ergo Doctóres et Epíscopi, et vídeant poténtes poténter torménta sustinére: nihílque esse remédii, sed maiórum ruínam ad tártarum dúcere. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Docet fidúciam prædicándi, ne Apóstoli abscondántur ob metum et sint símiles lucérnæ sub módio: sed tota libertáte se prodant, ut quod audiérunt in cubículis, prædicent in tectis.

℟. viii. Beáti Thomæ glória divo fulsit miráculo, dum odóris fragrántia mira fluxit ex túmulo: * Qui nitens pudicítia, vixit absque piáculo. ℣. Hic speciáli grátia, lustráto mentis óculo, celsa novit mystéria, cæli doctus oráculo. - Qui nitens pudicítia.

Lectio ix

Nolíte putáre quóniam veni sólvere Legem aut Prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Sive quod de se per álios prophetáta compléverit: sive quod ea, quæ ante, propter infirmitátem audiéntium, rúdia et imperfécta fúerant, sua prædicatióne compléverit, iram tollens et vicem taliónis exclúdens et occúltam in mente concupiscéntiam damnans. Donec tránseat cælum et terra. Promittúntur nobis cæli novi et terra nova, quæ factúrus est Dóminus Deus. Si ergo nova creánda sunt, consequénter vétera transitúra.

℟. ix. Sertum gestans cum torque dúplici, cappa gemmis ornáta cérnitur: ex moníli fulgóris cælici lux emíssa mundo diffúnditur: * Augustínus Fratri sic lóquitur: ℣. Thomas mihi par est in glória, virgináli præstans mundítia. - Augustínus Fratri sic lóquitur. - Glória. - Augustínus Fratri sic lóquitur.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Thoma. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Adest dies lætítiæ, quo Thomas Doctor ínclitus fit civis cæli cúriæ, bina coróna prædítus.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Aurum sub terra tégitur et lucérna sub módio, sed virtus Dei cérnitur miraculórum rádio.

3. Alma mater Ecclésia, Christi fundáta sánguine, sceptra conscéndit grándia, novi Doctóris lúmine.

4. Pressus vi dæmónii cito liberátur, raptu mersus flúvii vitæ restaurátur.

5. Tumor gulæ péllitur, leprósus mundátur, cæco lumen rédditur, claudo gressus datur.

Capitulum Eccli. 45

Elégit eum Dóminus ex omni carne, et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ, docére Iacob testaméntum suum et iudícia sua Israël.

Hymnus

Lauda, mater Ecclésia,
Thomæ felícem éxitum,
Qui pérvenit ad gáudia
Per verbi vitæ méritum.

Fossa Nova tunc súscipit
Thecam thesáuri grátiæ,
Cum Christus Thomam éfficit
Herédem regni glóriæ.

Manens doctrínæ véritas,
Et fúneris intégritas,
Mira fragrans suávitas,
Ægris colláta sánitas

Monstrant hunc dignum láudibus
Terræ, ponto et súperis:
Nos iuvet suis précibus,
Deo comméndat méritis.

Laus Patri sit ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cæli iungat ágmini.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. ant. Viror carnis flore mundítiæ, vigor vitæ fructu iustítiæ, splendor verbi dono sciéntiæ te décorant stantem in ácie, te corónant in statu glóriæ.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui atque Doctóris mira eruditióne clarificas et sancta operatióne fecúndas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne complére. Per.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Adest dies lætítiæ, quo Thomas Doctor ínclitus fit civis cæli cúriæ, bina coróna prædítus.

AD TERTIAM

Ant. Aurum sub terra tégitur et lucérna sub módio, sed virtus Dei cérnitur miraculórum rádio.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM

Ant. Alma mater Ecclésia, Christi fundáta sánguine, sceptra conscéndit grándia, novi Doctóris lúmine.

Capitulum Eccli. 39

Ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et palam fáciet disciplínam doctrínæ eius: collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur.

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM

Ant. Tumor gulæ péllitur, leprósus mundátur, cæco lumen rédditur, claudo gressus datur.

Capitulum Sap. 7

Lætátus sum, quóniam antecedébat me ista sapiéntia: quam sine fictióne dídici et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo.

℟. Iustus ut palma florébit * In domo Dómini. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Adest dies lætítiæ, quo Thomas Doctor ínclitus fit civis cæli cúriæ, bina coróna prædítus.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Eccli. 45

Elégit eum Dóminus ex omni carne, et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ,

docére Iacob testaméntum suum et iudícia sua Israël.

Hymnus

Exsúltet mentis iúbilo
Laudans turba fidélium,
Errórum pulso núbilo
Per novi solis rádium.
Thomas in mundi véspere
Fudit thesáuros grátiæ,
Donis plenus ex æthere
Morum et sapiéntiæ.
De cuius fonte lúminis
Verbi corúscant fáculæ,
Scriptúræ sacræ Núminis
Et veritátis régulæ.
Fulgens doctrínæ rádiis,
Clarus vitæ mundítia,
Splendens miris prodígiis,
Dat toti mundo gáudia.
Laus Patri sit ac Génito,
Simúlque sancto Flámini,
Qui sancti Thomæ mérito
Nos cæli iungat ágmini.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Thoma. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Militántis Doctor Ecclésiæ, virgináli florens mundítia, triumphántis optáta cúriæ, sancte Thoma, largíre gáudia.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui atque Doctóris mira eruditióne claríficas et sancta operatióne fecúndas: da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intelléctu conspícere, et quæ egit imitatióne complére. Per.

Completorium de dominica.

Die 8 martii

S. Ioannis a Deo

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ioánnes a Deo, cathólicis písque paréntibus in óppido Montis Maióris Iunióris, regni Lusitániæ, natus, in sortem Dómini fuit eléctus. A laxióri vivéndi ratióne divína ope revocátus, magnæ sanctitátis spécimen exhíbuit. Gémino atque amplo valetudinário ex piórum eleemósynis in civitáte Granaténsi exstrúcto, órdinem fratrum Hospitalitátis infírmis inserviéntium instítuit. Misericórdia in páuperes et sui despiciéntia fuit célebris. In beátam Vírginem pietáte mirífice excélluit, et lacrimárum dono enítuit. Gravi morbo corréptus, manu et corde Christum Dóminum e cruce pendéntem perstríngens, octávo Idus mártii anno millésimo quingentésimo quinquagésimo, óbiit in Dómino. Eum Alexánder octávus Póntifex máximus in Sanctórum númerum rétulit; Leo vero décimus tértius cæléstem ómnium hospitálium et infirmórum ubíque degéntium patrónum declarávit, ipsiúsque nomen in agonizántium litaníis invocári præcépit.

℟. iii. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Ioánnem, tuo amóre succénsum, inter flammas innóxium incédere fecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fecundásti: præsta, ipsíus suffragántibus méritis, ut igne caritátis tuæ vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 22

In illo témpore: Accessérunt ad Iesum pharisæi, et interrogávit eum unus ex eis Legis doctor, tentans eum: Magíster, quod est mandátum magnum in Lege? Tu autem.

Die 9 martii

S. Franciscæ Romanæ

Viduæ

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Francísca, nóbilis matróna Romána, úndecim annos nata, virginitátem suam Deo consecráre et monastérium íngredi státuit; sed paréntum voluntáti obédiens, Lauréntio de Pontiánis, iúveni díviti æque ac nóbili, nupsit. In matrimónio arctióris vitæ propósitum, quantum lícuit, semper retínuit, patiéntia in advérsis semper mirábilis. Ut vero matrónas Románas a pompis sæculi et ornátus vanitáte revocáret, domum Oblatárum, sub régula sancti Benedícti congregatiónis Montis Olivéti, in Urbe instítuit; eóque, defúncto viro, cónvolans, supplíciter eárum número adscríbi postulávit. Voti compos facta, licet esset ómnium mater, título ancíllæ et vilíssimæ féminæ gloriabátur. Diáboli astus numquam quiescéntis semper elúsit et, sui Angeli præsídio, gloriósum de eo

triúmphum rétulit. Méritis et miráculis insígnis, migrávit ad Dóminum, anno ætátis suæ quinquagésimo sexto: quam Paulus quintus Póntifex máximus catálogo Sanctórum adscrípsit. ℟. iii. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera eius. - Múlier. - Glória. - Múlier.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátam Franciscam fámulam tuam, inter cétera grátiæ tuæ dona, familiári Angeli consuetúdine decorásti: concéde, quæsumus, ut intercessiónis eius auxílio Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Tu autem.

Die 12 martii

S. Gregorii Magni

Papæ, Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Deus, qui nos beáti Gregórii Confessóris tui atque Pontíficis ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius ut, cuius ópere atque doctrína Scriptúræ tuæ mystéria multa cognóvimus, eius apud te semper patrocínia sentiámus. Per.

Die 17 martii

S. Patricii

Episcopi et Confessoris

III classis

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam beátum Patrícium

Confessórem atque Pontíficem míttere dignátus es: eius méritis et intercessióne concéde ut, quæ nobis agénda præcípis, te miseránte adimplére possímus. Per.

Die 18 martii

S. Cyrilli

Episcopi Hierosolymitani

Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus. ℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Da nobis, quæsumus, omnípotens Deus, beáto Cyrílo Pontífice intercedénte: te solum verum Deum et quem misísti Iesum Christum ita cognóscere, ut inter oves, quæ vocem eius áudiunt, perpétuo connumerári mereámur. Per eúndem.

DIE 19 MARTII

S. Ioseph, Sponsi B. Mariæ V.

Confessoris et Ecclesiæ universalis Patroni

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Missus est Angelus Gábriel a Deo ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph. T. P. Allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capit. Prov. 28 et 27

Vir fidélis multum laudábitur: et qui custos est dómini sui glorificábitur.

℟. Angelus Dómini appáruit Ioseph, dicens: Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est: * Páriet autem filium: Et vocábis nomen eius Iesum. T. P. Allelúia. ℣. Cum esset desponsáta Mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. - Páriet autem. - Glória. - Extra T. P. Et vocábis nomen eius Iesum. T. P. Allelúia.

Hymnus

Te, Ioseph, célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis iunctus es ínclitæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cóniugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos sors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Ioseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. T. P. Allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Exsúrgens Ioseph a somno, fecit sicut præcépit ei Angelus Dómini et accépit cóniugem suam. T. P. Allelúia.

Oratio

Beáti Patriárchæ Ioseph, sanctíssimæ Genetrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adiuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, eius nobis intercessióne donétur: Qui vivis.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Dei Fílium, qui putári dignátus est fílius Ioseph, * Veníte, adorémus. T. P. Allelúia.

Hymnus

Cælitum, Ioseph, decus, atque nostræ
Certa spes vitæ, columénque mundi,
Quas tibi læti cánimus, benígnus
Súscipe laudes.

Te Sator rerum státuit pudícæ
Vírginis sponsum, voluítque Verbi
Te Patrem dici: dedit et minístrum
Esse salútis.

Tu Redemptórem stábulo iacéntem,
Quem chorus Vatum cécinit futúrum,
Aspicis gaudens, humilísque natum
Numen adóras.

Rex Deus regum, Domínator orbis,
Cuius ad nutum tremit inferórum
Turba, cui pronus famulátur æther,
Se tibi subdit.

Laus sit excélsæ Tríadi perénnis,
Quæ tibi præbens súperos honóres,
Det tuis nobis méritis beátæ
Gáudia vitæ. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ascéndit Ioseph a Galiláea de civitáte Názareth in Iudæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María.

Psalmi de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam et Ioseph et Infántem pósitum in præsépio.

Ant. 3 Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph, dicens: Surge et áccipe Púerum et Matrem eius, et fuge in Ægýptum.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Génesis

Lectio i Cap. 39

Ioseph ígitur ductus est in Ægýptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægýptius, de manu Ismaëlitárum, a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat Dóminum esse cum eo et ómnia, quæ géreret, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Ioseph grátiam coram dómino suo, et ministrábat ei: a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum et univérsa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægýptii propter Ioseph.

℟. i. Fuit Dóminus cum Ioseph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos. ℣. Quidquid fiébat, sub ipso erat: Dóminus enim erat cum illo et ómnia ópera eius dirigébat. - Qui trádidit.

Lectio ii Cap. 41

Plácuit Pharaóni consílium Ioseph et cunc-

tis minístris eius: locutúsque est ad eos: Num invenire potérimus talem virum, qui Spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem et consímilem tui invenire pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantum regni sólio te præcédam.

℟. ii. Esuriénte terra Ægýpti, clamávit pópulus ad regem aliménta petens: quibus ille respóndit: * Ite ad Ioseph, et quidquid vobis dixerit fácite. ℣. Crescébat quotídie fames in omni terra: aperuítque Ioseph univérsa hórrea et vendébat Ægýptiis. - Ite ad Ioseph.

Lectio iii

Dixítque rursus Phárao ad Ioseph: Ecce, constítui te super univérsam terram Ægýpti. Tulítque ánulum de manu sua et dedit eum in manu eius: vestivítque eum stola býssina et collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne ut omnes coram eo genu flécterent et præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægýpti. Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægýpti.

℟. iii. Fecit me Dóminus quasi patrem regis et dóminum univérsæ domus eius: nolíte pavére: * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægýptum. ℣. Veníte ad me: et ego dabo vobis ómnia bona Ægýpti, et comedétis medúllam terræ. - Pro salúte enim vestra. - Glória. - Pro salúte enim vestra.

In II Nocturno

Ant. 4 Consúrgens Ioseph accépit Púerum et Matrem eius nocte et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis.

Ant. 5 Defúncto Heróde, Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph in Ægýpto, dicens: Surge et áccipe Púerum et Matrem eius, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim qui quærébant ánimam Púeri.

Ant. 6 Accépit Ioseph Púerum et Matrem eius, et venit in terram Israël. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Homilia 2 super Missus est, prope finem

Lectio iv

Quis et qualis homo fúerit beátus Ioseph, cónice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári, ádeo ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónice et ex próprio vocábulo, quod Augméntum non dúbites interpretári. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. iv. Ascéndit Ioseph a Galiláea de civitáte Názareth in Iudæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: * Eo quod esset de domo et família David. ℣. Ut profiterétur cum María desponsáta sibi uxóre. - Eo quod esset.

Lectio v

Síquidem ille Ioseph, fratérna ex invídia vénditus et ductus in Ægýptum, Christi venditiónem præfigurávit: iste Ioseph, Herodiánam invídiam fúgiens, Christum in Ægýptum portávit. Ille, dómino suo fidem servans, dóminæ nóluit commiscéri: iste Dóminam suam, Dómini sui matrem, vírginem agnóscens, et ipse cóntinens, fidéliter custodívit. Illi data est intelligéntia in mystériis somniórum: isti datum est cónscium fíeri atque partícipem cæléstium sacramentórum.

℟. v. Surge et áccipe Púerum et Matrem eius, et fuge in Ægýptum, * Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum. - Et esto ibi.

Lectio vi

Ille fruménta servávit, non sibi, sed omni pópulo: iste Panem vivum e cælo servándum accépit tam sibi quam toti mundo. Non est dúbium quin bonus et fidélis homo fúerit iste Ioseph, cui Mater desponsáta est Salvatóris. Fidélis, inquam, servus et prudens, quem constítuit Dóminus suæ Matris solátium, suæ carnis nutrícium, solum dénique in terris magni consílii coadiutórem fidelíssimum.

℟. vi. Cum indúcerent púerum Iesum paréntes

eius, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo, * Accépit eum Símeon in ulnas suas et benedíxit Deum. ℣. Et erant Pater eius et Mater mirántes super his quæ dicebántur de illo. - Accépit eum Símeon. - Glória. - Accépit eum Símeon.

In III Nocturno

Ant. 7 Audiens Ioseph quod Archeláus regnáret in Iudæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire.

Ant. 8 Admónitus in somnis Ioseph secéssit in partes Galilææ: et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Ant. 9 Erat Pater Iesu et Mater mirántes super his quæ dicebántur de illo: et benedíxit illis Símeon.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 1

Cum esset desponsáta Mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 1 Comm. in cap. 1 Matth.

Quare non de símplici vírgine, sed de desponsáta concípitur? Primum, ut per generatiónem Ioseph orígo Maríæ monstrarétur: secúndo, ne lapidarétur a Iudæis ut adúltera: tértio, ut in Ægýptum fúgiens habéret solátium. Martyr Ignátius étiam quartam áddidit causam cur a desponsáta conséptus sit: Ut partus, ínquiens, eius celarétur diábolo, dum eum putat non de vírgine, sed de uxóre generátum.

℟. vii. Dicit Mater Iesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? * Ecce Pater tuus et ego doléntes quærebámus te. ℣. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt opórtet me esse? - Ecce Pater tuus.

Lectio viii

Antequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Non ab álio invénta est nisi a Ioseph, qui pæne licéntia maritáli futúræ uxóris ómnia nóverat. Quod autem dícitur, Antequam convenírent, non séquitur ut póstea convénerint: sed Scriptúra quod factum non sit osténdit.

℟. viii. Descéndit Iesus cum eis, et venit Názareth: * Et erat súbditus illis. ℣. Proficiébat sapiéntia et ætáte et grátia apud Deum et hómines. - Et erat súbditus illis.

Lectio ix

Ioseph autem vir eius, cum esset iustus et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Si quis fornicáriæ coniúngitur, unum corpus efficitur: et in lege præcéptum est, non solum reos, sed et cónscios críminum obnóxios esse peccáti: quómodo Ioseph, cum crimen celáret uxóris, iustus scríbitur? Sed hoc testimónium Maríæ est, quod Ioseph sciens illíus castitátem, et admírans quod evénerat, celat siléntio, cuius mystérium nesciébat.

℟. ix. Angelus Dómini appáruit Ioseph, dicens: Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est: * Páriet autem fílium: Et vocábis nomen eius Iesum. ℣. Cum esset desponsáta Mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. - Páriet autem. - Glória. - Et vocábis nomen eius Iesum.

Ante Laudes ℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. T. P. Allelúia. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die solémni Paschæ. T. P. Allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. T. P. Allelúia.

3. Non inveniéntes Iesum, regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem et interrogántem eos. T. P. Allelúia.

4. Dixit Mater eius ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. T. P. Allelúia.

5. Descéndit Iesus cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. T. P. Allelúia.

Capit. Prov. 28 et 27

Vir fidélis multum laudábitur: et qui custos est dómini sui glorificábitur.

Hymnus

Iste, quem læti cólimus fidéles,
Cuius excélsos cánimus triúmphos,
Hac die Ioseph méruit perénnis
Gáudia vitæ.

O nimis felix, nimis o beátus,
Cuius extrémam vígiles ad horam
Christus et Virgo simul astitérunt
Ore seréno!

Hinc Stygis victor, láqueo solútus
Carnis, ad sedes plácido sopóre
Migrat ætérnas, rutilísque cingit
Témpora sertis.

Ergo regnántem flagitémus omnes
Adsit ut nobis, veniámque nostris
Obtinens culpis, tríbuat supérnæ
Múnera pacis.

Sint tibi plausus, tibi sint honóres,
Trine, qui regnas, Deus, et corónas
Aureas servo tríbuis fidéli
Omne per ævum.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. T. P. Allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. T. P. Allelúia.

Ad Bened. ant. Ipse Iesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Ioseph. T. P. Allelúia.

Oratio

Beáti Patriárchæ Ioseph, sanctíssimæ Genetrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adiuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, eius nobis intercessióne donétur: Qui vivis.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

Tempore paschali ℟℟. Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD PRIMAM

Ant. Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die solémni Paschæ. T. P. Allelúia.

AD TERTIAM

Ant. Cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. T. P. Allelúia.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM

Ant. Non inveniéntes Iesum, regréssi sunt in Ierúsalem requiréntes eum; et post tríduum invenérunt illum in templo seléntem in médio doctórum, audiéntem et interrogántem eos. T. P. Allelúia.

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus: cuius memória in benedictióne est. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne.

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum dedúxit. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Iustum dedúxit.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM

Ant. Descéndit Iesus cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. T. P. Allelúia.

Capitulum Sap. 10

Prófugum iustum dedúxit Sapiéntia per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus.

℟. Iustus ut palma florébit * In domo Dómini. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Ibant paréntes Iesu per omnes annos in Ierúsalem in die solémni Paschæ. T. P. Allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capit. Prov. 28 et 27

Vir fidélis multum laudábitur: et qui custos est dómini sui glorificábitur.

Hymnus

Te, Ioseph, célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis iunctus es ínclitæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cóniugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.
Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris, et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.
Post mortem réliquos sors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.
Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Ioseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. T. P. Allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Ecce fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam. T. P. Allelúia.

Oratio

Beáti Patriárchæ Ioseph, sanctíssimæ Genetrícis tuæ Sponsi, quæsumus, Dómine, méritis adiuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, eius nobis intercessióne donétur: Qui vivis.

Completorium de dominica.

TEMPORE PASCHALI

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus ut supra 960.

In Nocturno

Ant. 1 Ascéndit Ioseph a Galilæa de civitáte Názareth in Iudæam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem, ut profiterétur cum María, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Venérunt pastóres festinántes: et invenérunt Maríam et Ioseph et Infántem pósitum in præsépio, allelúia.

Ant. 3 Ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Ioseph, dicens: Surge et áccipe Púerum et Matrem eius, et fuge in Ægýptum, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

De libro Génesis

Lectio i Cap. 39

Ioseph ígitur ductus est in Ægýptum, emítque eum Pútiphar eunúchus Pharaónis, princeps exércitus, vir Ægýptius, de manu Ismaelitárum, a quibus perdúctus erat. Fuítque Dóminus cum eo, et erat vir in cunctis próspere agens: habitavítque in domo dómini sui, qui óptime nóverat Dóminum esse cum eo et ómnia, quæ gérerent, ab eo dírigi in manu illíus. Invenítque Ioseph grátiam coram dómino suo, et ministrábat ei: a quo præpósitus ómnibus gubernábat créditam sibi domum et univérsa quæ ei trádita fúerant: benedixítque Dóminus dómui Ægýptii propter Ioseph.

℟. i. Fuit Dóminus cum Ioseph, et dedit ei grátiam in conspéctu príncipis cárceris: * Qui trádidit in manu illíus univérsos vinctos, allelúia. ℣. Quidquid fiébat, sub ipso erat: Dóminus enim erat cum illo et ómnia ópera eius dirigébat. - Qui trádidit.

Lectio ii Cap. 41

Plácuit Pharaóni consílium Ioseph, et cunctis minístris eius: locutúsque est ad eos: Num invenire potérimus talem virum, qui Spíritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia osténdit tibi Deus ómnia quæ locútus es, numquid sapientiórem et consímilem tui invenire pótero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris impérium cunctus pópulus obédiet: uno tantum regni sólio te præcédam. Dixítque rursus Phárao ad Ioseph: Ecce, constítui te super univérsam terram Ægýpti. Tulítque ánulum de manu sua, et dedit eum in manu eius: vestivítque eum stola býssina, et collo torquem áuream circumpósuit. Fecítque eum ascéndere super currum suum secúndum, clamánte præcóne ut omnes coram eo genu flécterent, et præpósitum esse scirent univérsæ terræ Ægýpti. Dixit quoque rex ad Ioseph: Ego sum Phárao: absque tuo império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægýpti.

℟. ii. Fecit me Dóminus quasi patrem regis et dóminum univérsæ domus eius: nolíte pavére: * Pro salúte enim vestra misit me Deus ante vos in Ægýptum, allelúia. ℣. Veníte ad me: et ego dabo vobis ómnia bona Ægýpti, et comedétis medúllam terræ. - Pro salúte enim vestra.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis

Homilia 2 super Missus est, prope finem

Lectio iii

Quis et qualis homo fúerit beátus Ioseph, cónice ex appellatióne, qua, licet dispensatória, méruit honorári, ádeo ut pater Dei et dictus et créditus sit: cónice et ex próprio vocábulo, quod Augméntum non dúbites interpretári. Simul et meménto magni illíus quondam Patriárchæ vénditi in Ægýpto, et scito ipsíus istum non solum vocábulum fuísse sortítum, sed et castimóniam adéptum, innocéntiam assecútum et grátiam.

℟. iii. Angelus Dómini appáruit Ioseph, dicens: Ioseph, fili David, noli timére accípere Maríam cóniugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est: * Páriet autem fílium: et vocábis nomen eius Iesum, Allelúia. ℣. Cum esset desponsáta Mater Iesu María Ioseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. - Páriet autem. - Glória. - Allelúia.

Cetera ut supra 965.

Die 20 martii

B. Ambrosii Sansedonii

Confessoris O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Ambrósii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per.

Die 21 martii

S. **Benedicti** Abbatis

III classis

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti Benedícti Abbátis commendet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per.

Die 24 martii

S. **Gabrielis Archangeli**

III classis

AD LAUDES

Ant. Gábriel Archángele, qui ante Deum semper assístis, admítte preces nostras intra sacrárium exauditiónis, et repórta nobis antídotum divínæ reconciliatiónis.

℣. Adoráte Deum. ℟. Omnes Angeli eius.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, cui Angelórum míllia minístrant: præsta, quæsumus, ut, qui beátum Gabriélem Archángelum humánæ restauratiónis præcípuum minístrum venerámur in terris, eiúsdem suffrágiis fructum nostræ redemptiónis consequámur in cælis. Per.

DIE 25 MARTII

In Annuntiatione B. M. V.

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. T. P. Allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Is. 7

Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum et elígere bonum.

℟. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. T. P. Allelúia. ℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. - Spíritus Sanctus. - Glória. - Extra T. P. Et virtus Altíssimi. T. P. Allelúia.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. T. P. Allelúia. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Oriétur sicut sol Salvátor mundi, et descéndet in úterum Vírginis sicut imber super gramen. T. P. Allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. T. P. Allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. T. P. Allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Ave, María, grátia plena: * Dóminus tecum. T. P. Allelúia.

Hymnus

Quem terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ báiulat.

Cui luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cuius supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fecúnda Sancto Spíritu,
Desiderátus géntibus
Cuius per alvum fusus est.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel.

Psalmi ut in festis B. Maríæ V. [21].

Ant. 2 Beáta es, María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Ant. 3 Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu Sancto.

℣. Ex Sion spécies decóris eius. ℟. Deus noster maniféste véniet.

Benedictio Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

De Isaía Prophéta

Lectio i Cap. 7

Et adiécit Dóminus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum et elígere bonum.

℟. i. Non auferétur sceptrum de Iuda et dux de fémore eius, donec véniat qui mitténdus est: * Et ipse erit exspectátio géntium. ℣. Pulchrióres sunt óculi eius vino, et dentes eius lacte candidióres. - Et.

Benedictio Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ii Cap. 11

Et egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis, et replébit eum spíritus timóris Dómini: non secúndum visiónem

oculórum iudicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed iudicábit in iustítia páuperes et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius: et fides cinctórium renum eius.

℟. ii. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur.

Benedictio Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Lectio iii Cap. 2

Deus autem, qui dives est in misericórdia, propter nímiam caritátem suam qua diléxit nos, et, cum essémus mórtui peccátis, convivificávit nos in Christo, cuius grátia estis salváti, et conresuscitávit et consedére fecit in cæléstibus in Christo Iesu: ut osténderet in sæculis superveniéntibus abundántes divítias grátiæ suæ in bonitáte super nos in Christo Iesu. Grátia enim estis salváti per fidem, et hoc non ex vobis: Dei enim donum est, non ex opéribus, ut ne quis gloriétur.

℟. iii. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: Quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. - Spíritus Sanctus. - Glória. - Quod enim.

In II Nocturno

Antiphonæ et psalmi ut in festis B. Mariæ V. [24].

℣. Egrediétur virga de radíce Iesse. ℟. Et flos de radíce eius ascéndet.

Benedictio Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génetrix Virgo. ℟. Amen.

Sermo sancti Basilii Magni

Homilia de humana Christi generatione, quæ est 25

Lectio iv

Postquam Dei grátia salutáris ómnibus appáruit et iustítiæ Sol ortus est: absórpta est mors

in victória, et veræ vitæ peregrinatiónem nequáquam sustínuit. O altitúdinem benignitátis humanitatísque Dei! Ex bonitátis cópia, a servitúte vindicámur. Sed cur Deus homo factus est ratiónem exquírunt hómines, cum magis eius bonitátem adoráre déceat quam divinitátem curiósius indagáre. Carnem suscépit Deus, quóniam exsecrábilem contaminatámque hanc, purgátam sanctámque reddi opórtuit: infírmam ac débilem corroborári: a Deo ob peccátum alienátam reconciliári: e paradíso prolápsam in cælum referri.

℟. iv. Súscipe verbum, Virgo María, quod tibi a Dómino per Angelum transmíssum est: concípies, et páries Deum páriter et hóminem, * Ut benedícta dicáris inter omnes mulíeres. ℣. Páries quidem fílium, et virginitátis non patiéris detriméntum: efficiéris grávida, et eris mater semper intácta. - Ut benedícta dicáris.

Benedictio Iesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v

Et quæ est dispensatiónis huius officína? Vírginis beátæ corpus. Quæ autem generatiónis princípia? Spíritus Sanctus virtúsque Altíssimi obúmbrans. Cum esset, inquit, María Mater ipsíus desponsáta Ioseph, priúsquam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Beáta, quæ Emmánuel péperit; et úbera, quæ lac præbuérunt. Cor mihi flóridum quid gérminat: mens est álacris, lingua vero módica et sermo exílis est ad hoc, ut tantum gáudium éxprimat.

℟. v. Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, dicit Dóminus: et vocábitur nomen eius * Admirábilis, Deus, Fortis. ℣. Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum. - Admirábilis, Deus, Fortis.

Benedictio Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vi

Cógita de Incarnatióne Dómini magnífice, intéllige Divinitátem esse intáctam et immaculátam: quæ etsi in materiáli sit natúra, ita illi inest, ut eius imperféctum fragiléque córrigat; non autem ut ipsa passiónum debilitáte inquinétur. Nonne solem cónspicis in luto se volutántem, miniméque contaminántem, et super cœno coruscántem míni-

me tamen fœtidum áliquid referéntem? Quid ígitur dúbitas de imménsa incorruptáque natúra, ne áliquam ex nobis máculam contráxerit?

℟. vi. Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet. * Et erit iustítia cíngulum lumbórum eius: Et fides cinctórium renum eius. ℣. Et requiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus. - Et erit iustítia. - Glória. - Et fides cinctórium renum eius.

In III Nocturno

Antiphonæ et psalmi ut in festis B. Mariæ V. [28].

℣. Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. ℟. Véniet, ut salvet pópulum suum.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 1

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galiléæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 in Lucam, in initio

Latent quidem divína mystéria, nec fácile, iuxta prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consílium Dei. Sed tamen ex céteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere, et hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimum elécta est ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur quod concéperat ex adultério.

℟. vii. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum: * Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ, de Petra desérti ad montem fíliæ Sion. - Aperiátur terra.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viii

Longius post prædicta

Et ingréssus ad eam Angelus. Disce vírginem móribus, disce vírginem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, et ad omnes

viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret: sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degéneri depravarétur affátu, ab Angelo salutátur.

℟. viii. Nascétur nobis párvulus, et vocábitur Deus, Fortis: ipse sedébit super thronum David patris sui et imperábit: * Cuius potéstas super húmerum eius. ℣. In ipso benedicéntur omnes tribus terræ. - Cuius potéstas.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix

Longius post prædicta

Tanti namque mandáti mystérium non hóminis fuit sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur: Spíritus Sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancílla Dómini: contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ Mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est.

℟. ix. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. ℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. - Spíritus Sanctus. - Glória. - Et virtus.

Ante Laudes ℣. Emítte Agnum, Dómine, dominatórem terræ. T. P. Allelúia. ℟. De Petra desérti ad montem fíliæ Sion. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

et per Horas antiphonæ

1. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph. T. P. Allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. T. P. Allelúia.

3. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries fílium. T. P. Allelúia.

4. Dabit ei Dóminus sedem David patris eius, et regnábit in ætérnum. T. P. Allelúia.

5. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. T. P. Allelúia.

Capitulum Is. 7

Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum et elígere bonum.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine;
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. T. P. Allelúia. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. T. P. Allelúia.

Ad Bened. ant. Quómodo fiet istud, Angele Dei, quia virum in concipiéndo non pértuli? Audi, María Virgo Christi: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. T. P. Allelúia.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

Tempore paschali ℟℟. Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD PRIMAM

Ant. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph. T. P. Allelúia, allelúia.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Ant. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. T. P. Allelúia.

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta Dei Génetrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Virgo semper María. Glória. Sancta Dei Génetrix.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

AD SEXTAM

Ant. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries fílium. T. P. Allelúia.

Capitulum Is. 11

Egrediétur virga de radíce Iesse, et flos de radíce eius ascéndet. Et requiéscet super eum spíritus Dómini.

℟. Post partum, Virgo, * Invioláta permansísti. Post partum, Virgo. ℣. Dei Génetrix, intercéde pro nobis. Invioláta permansísti. Glória. Post partum, Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix.

AD NONAM

Ant. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. T. P. Allelúia.

Capitulum Is. 45

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem: et iustítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

℟. Speciósa facta es * Et suávis. Speciósa facta es. ℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix. Et suávis. Glória. Speciósa facta es.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph. T. P. Allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festis B. Maríæ Virg. [33].

Capitulum Is. 7

Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum et elígere bonum.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant iustum. T. P. Allelúia. ℟. Aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Hæc est dies, quam fecit Dóminus: hódie Dóminus afflictiónem pópuli sui respéxit, et Redemptiónem misit: hódie mortem, quam fémina íntulit, fémina fugávit: hódie Deus homo factus id quod fuit permánsit et quod non erat assúmpsit. Ergo exórdium nostræ redemptiónis devóte recolámus, et exsultémus dicéntes: Glória tibi, Dómine. T. P. Allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. T. P. Allelúia, allelúia.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. T. P. Allelúia.

TEMPORE PASCHALI

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus ut supra 972.

In Nocturno

Ant. 1 Ecce Virgo concípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel, allelúia, allelúia.

Psalmi I Nocturni festorum B. Mariæ V. [21].

Ant. 2 Beáta es, María, quæ credidísti: perficiéntur in te quæ dicta sunt tibi a Dómino, allelúia.

Ant. 3 Angelus Dómini nuntiávit Maríæ, et concépit de Spíritu Sancto, allelúia.

℣. Ex Sion spécies decóris eius, allelúia. ℟. Deus noster maniféste véniet, allelúia.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio i Cap. 1

In illo témpore: Míssus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Liber 2 in Lucam, in initio

Latent quidem divína mystéria, nec fácile, iuxta prophéticum dictum, quisquam hóminum potest scire consílium Dei. Sed tamen ex céteris factis atque præcéptis Dómini Salvatóris póssumus intellígere et hoc propensióris fuísse consílii, quod ea potíssimum elécta est ut Dóminum páreret, quæ erat desponsáta viro. Cur autem non ántequam desponsarétur, impléta est? Fortásse ne dicerétur quod concéperat ex adultério.

℟. i. Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem desponsátam Ioseph, núntians ei verbum: et expavéscit Virgo de lúmine. Ne tímeas, María, invenísti grátiam apud Dóminum: ecce concípies et páries, * Et vocábitur Altíssimi Fílius, allelúia. ℣. Dabit ei Dóminus Deus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum. - Et vocábitur Altíssimi Fílius, allelúia.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio ii

Longius post prædicta

Et ingréssus ad eam Angelus. Disce Vírginem móribus, disce Vírginem verecúndia, disce oráculo, disce mystério. Trepidáre vírginum est, et ad omnes viri ingréssus pavére, omnes viri affátus veréri. Discant mulíeres propósitum pudóris imitári. Sola in penetrálibus, quam nemo virórum vidéret, solus Angelus reperíret: sola sine cómite, sola sine teste, ne quo degéneri depravarétur affátu, ab Angelo salutátur.

℟. ii. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur

Sanctum, vocábitur Fílius Dei, allelúia. ℣. Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus dixit ei. - Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi: quod enim ex te nascétur Sanctum, vocábitur Fílius Dei, allelúia.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio iii

Longius post prædicta

Tanti namque mandáti mystérium non hóminis fuit sed Angeli ore proméndum. Hódie primum audítur: Spíritus Sanctus supervéniet in te. Et audítur, et créditur. Dénique, Ecce, inquit, ancílla Dómini: contíngat mihi secúndum verbum tuum. Vide humilitátem, vide devotiónem. Ancíllam se dicit Dómini, quæ Mater elígitur: nec repentíno exaltáta promísso est.

℟. iii. Quómodo fiet istud, respóndens ait María, quia virum non cognósco? Angelus ad hæc: * Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, Allelúia. ℣. Ideóque quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. - Spíritus Sanctus. - Glória. - Allelúia.

Cetera ut supra 977.

Die 27 martii

S. Ioannis Damasceni

Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD LAUDES

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad cultum sacrárum imáginum asseréndum beátum Ioánnem cælésti doctrína et admirábili spíritus fortitúdine imbuísti: concéde nobis, eius intercessióne et exémplo, ut, quorum cólimus imágines, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. Per.

Feria sexta

post dom. I in Passione

In Compassione B. Mariæ Virg.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Ecce pósitus est hic in signum cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

℣. María Virgo, per virtútem tot dolórum. ℟. Fac nos gaudére in regno cælórum.

Oratio

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine Iesu Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam cleméntiam beáta Virgo María mater tua: cuius sacratíssimam ánimam in hora benedíctæ passiónis tuæ dolóris gládius pertransívit, et in gloriósa resurrectióne tua ingens gáudium lætificávit: Qui vivis.

Die 2 aprilis

S. Francisci de Paula

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Francíscus Paulæ in Calábria natus est. Adoléscens, divíno ardóre succénsus, in erémum secéssit, ubi annis sex victu ásperam sed meditatiónibus cæléstibus suávem vitam duxit. Cum autem virtútum eius fama longe manáret, multíque ad eum pietátis stúdio concúrrerent, caritátis causa e solitúdine egréssus, eccléssiam prope Paulam ædificávit, ibíque prima sui órdinis fundaménta iecit. Perpétuam virginitátem servávit: humilitátem sic cóluit, ut se ómnium mínimum díceret, suósque alúmnos Mínimos appellári volúerit. Rudi amíctu, nudis pédibus incédens, humi cubábat. Caritáti ita addíctus fuit, ut sui órdinis tésseram esse iússerit. Multis miráculis servi sui sanctitátem Deus comprobávit, quorum illud in primis célebre, quod a nautis reiéctus, Sicíliæ fretum strato super flúctibus pállio cum sócio transmísit. Multa étiam prophético spíritu prædíxit. Turónis migrávit ad Dóminum, anno salútis millésimo quingentésimo séptimo, ætátis anno nonagésimo primo.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die solemnitátis et lætítiæ, allelúia. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Francíscum Confessórem Sanctórum tuórum glória sublimásti; tríbue, quǽsumus, ut eius méritis et imitatióne promíssa humílibus prǽmia felíciter consequámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Tu autem.

Die 4 aprilis

S. Isidori

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Isidórus, natióne Hispánus, ex nova Carthágine Severiáno patre, provínciæ duce, natus, a sanctis epíscopis Leándro Hispalénsi et Fulgéntio Carthaginiénsi frátribus suis pie et liberáliter educátus, omni scientiárum et christianárum virtútum génere præstantíssimus evásit. Leándro vita functo, ad Hispalénsem cáthedram assúmptus, Sedis apostólicæ in tota Hispánia vicárius constitútus est. In episcopátu se ómnium bonórum óperum prǽbuit exémplar, et instaurándæ ecclesiásticæ disciplínæ sollícitus máxime fuit. Coácto Híspali concílio, Acephalórum hǽresim, Hispániæ iam minitántem, acri et eloquénti disputatióne fregit atque contrívit. Tantam apud omnes sanctitátis et doctrínæ famam adéptus est, ut, elápso vix ab eius óbitu anno sextodécimo, Doctor egrégius merúerit appellári. Libros scripsit perútiles et eruditióne plenos. Præfuit concílio Toletáno quarto, ómnium Hispániæ celebérrimo. Dénique, postquam quadragínta círciter annos suam rexísset ecclésiam, Híspali migrávit in cælum, anno sexcentésimo trigésimo sexto.

℣. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die solemnitátis et lætítiæ, allelúia. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Isidórum minístrum tribuísti: præsta, quǽsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 5 aprilis

S. Vincentii Ferrerii

Confessoris O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Diem novæ laudis et glóriæ lætum ducat cœtus fidélium, quo sublíme decus Hespériæ, gratulánte turba cæléstium, a Príncipe supérnæ cúriæ binæ sumpsit corónæ prǽmium. T. P. Allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Ephes. 3

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi: et illumináre omnes quæ sit dispensátio sacraménti absconditi a sæculis in Deo.

℟. Quátuor vecta rotis ágitur mirábilis quadríga Dómini, Vincéntius cum prisco iúngitur trino Prædicatórum cárdini, * Quorum virtúte fides régitur: Divíno sit pia laus nómini. T. P. Allelúia. ℣. Ducunt hi rædam Evangélii, velut equi fortes et várii. - Quorum virtúte. - Glória. - Extra T. P. Divíno sit pia laus nómini. T. P. Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 994.

Ad Magnif. ant. Qui prophético fretus lúmine mira de mundi fine dócuit, in occíduo terræ cárdine ut sol Vincéntius occúbuit: et septus Angelórum ágmine lúcidas cæli sedes ténuit. T. P. Allelúia.

Oratio

Deus, qui géntium multitúdinem mira beáti Vincéntii Confessóris tui

prædicatióne ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta, quǽsumus, ut, quem ventúrum Iúdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Venerémur Christi vultum, * Quem Vincéntius prædicávit Iúdicem esse ventúrum. T. P. Allelúia.

Hymnus

Lumen in terris pópuli fidélis,
Civis et cæli modo factus alti,
Acta, Vincénti, tua concinéntes
Dírige voces.

Flore primǽvo nítidæ iuvéntæ
Eligens puræ documénta vitæ,
Ordinis magnum ímitans Paréntem
Prædicatórum:

Luce doctrínæ rútilans serénæ,
Ambitum terræ pelagíque lustrans,
Semper ardénti resonándo sacrum
Péctore verbum:

Dum viam cunctis réseras salútis,
Orbis occásum canis et propínquum,
Iure te clarum genus omne reddit
Prodigiórum.

Hinc, velut solis rádius cadéntis,
Cónditus terra Brítonum remóta,
Púlchrior regnis óriens supérnis,
Æthera scandis.

Angelis septus, decorátus astris,
Doctor et Virgo, géminis corónis
Inter illústres ánimas refúlges,
Múnere Christi.

Sit Patri, Nato, páriter coævo
Flámini sancto salus una, cuius
Nomen in cælis sine fine laudat
Spíritus omnis.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Atténtam matrem réddidit latrans in ventre cátulus, ut quæreret, quem édidit, qualis esset infántulus.

Psalmi de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Vincéntii sublímitas quæ sit futúro témpore, matris monstrat agílitas, robúrque datum córpori.

Ant. 3 Religiónem ínclitam postquam subit Domínici, virtútem sibi præstitam laude monstrat multíplici.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 5

Scimus enim quóniam, si terréstris domus nostra huius habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

℟. i. Summus parens ac rector géntium, in véspere labéntis sæculi, novum vatem misit Vincéntium, christiáni magístrum pópuli: refert instáre Dei iudícium, * Quod spectábunt cunctórum óculi. ℣. Timéte Deum, clamat sæpius: venit hora iudícii eius. - Quod spectábunt.

Lectio ii

Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam, dum sumus in córpore, peregrinámur a Dómino: (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.

℟. ii. In urbe nóbili Valéntiæ generósis ortus natálibus, sincéræ puer innocéntiæ, ingénuis præpóllet móribus: natúræ páriter et grátiæ, * Opímis áffluens munéribus. ℣. Sub toga regulári cándida, vita cœpit florére spléndida. - Opímis áffluens munéribus.

Lectio iii

Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris

manifestos nos esse. Non iterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis: ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo: sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos.

℟. iii. Christi viam secútus árduam, a terrénis procul illécebris, veritátem reddit conspícuam, profligátis errórum ténebris: * Oram illúminat occíduam, toto factus In orbe célebris. ℣. Cuius doctrína sole grátior, sermo erat flammis ardéntior. - Oram illúminat. - Glória. - In orbe célebris.

In II Nocturno

Ant. 4 Imitans exercítia Ducis sui mirífici, purgávit mundi vítia, dono verbi salvífici.

Ant. 5 Bellávit cum victória, vincens mundána gáudia: hinc summa cæli cúria eum cepit cum glória.

Ant. 6 Emittébat ubérrimas sæpe plorándo lácrimas, Christi mortem consíderans, eiúsque Corpus cónsecrans.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ex Bulla Canonizationis et probatis auctoribus

Lectio iv

Vincéntius, honésta stirpe Valéntiæ in Hispánia natus, ab ineúnte ætáte cor gessit seníle. Qui, dum caliginósi huius sæculi lábilem cursum pro ingénii sui módulo consideráret, religiónis hábitum in órdine Prædicatórum décimo octávo ætátis suæ anno suscépit: et emíssa solémni professióne, sacris lítteris sédulo incúmbens, theologíæ láuream summa cum laude consecútus est. Mox, obténta a superióribus licéntia, verbum Dei prædicáre, Iudæórum perfídiam argúere, Saracenórum erróres confutáre tanta virtúte et efficácia cœpit, ut ingéntem ipsórum infidélium multitúdinem ad Christi fidem perdúxerit, et multa Christianórum míllia a peccátis ad pæniténtiam, a vítiis ad virtútem revocárit. Eléctus enim a Deo, ut mónita salútis in omnes gentes, tribus et linguas diffúnderet, et extrémi tremendíque iudícii diem appropinquáre osténderet, ómnium auditórum ánimos, terróre concússos atque a terrénis afféctibus avúlsos, ad Dei amórem excitábat.

℟. iv. Nocte sacris incúmbens lítteris, contemplátur vigil in stúdio: mane pulchri ad instar síderis, miro lucet doctrínæ rádio: * Morbos omnis véspere géneris salutári pellens remédio. ℣. Nulla præterit hora témporis, quo non recti quid agat óperis. - Morbos.

Lectio v

In hoc autem apostólico múnere hic vitæ eius tenor perpétuus fuit: Quotídie Missam summo mane cum cantu celebrávit, quotídie ad pópulum conciónem hábuit, inviolábile semper ieiúnium, nisi urgens adésset necéssitas, servávit. Sancta et recta consília nulli denegávit. Carnes numquam comédit, nec vestem líneam índuit. Populórum iúrgia sedávit, dissidéntia regna pace compósuit, et, cum vestis inconsútilis Ecclésiæ diro schísmate scinderétur, ut unirétur et uníta servarétur plúrimum laborávit. Virtútibus ómnibus cláruit, suósque detractóres et persecutóres, in simplicitáte et humilitáte ámbulans, cum mansuetúdine recépit et ampléxus est.

℟. v. Verba perénnis vitæ próferens, ánimos inflámmat astántium: pectóribus humánis ínserens amórem donórum cæléstium, de virtútibus alta dísserens, * Frenáre docet omne vítium. ℣. Illum ávida turba séquitur, dum hæc ore divíno lóquitur. - Frenáre docet omne vítium.

Lectio vi

Per ipsum divína Virtus, in confirmatiónem vitæ et prædicatiónis eius, multa signa et mirácula fecit. Nam frequentíssime super ægros manus impósuit, et sanitátem adépti sunt. Spíritus immúndos e corpóribus éxpulit. Surdis audítum, mutis loquélam, cæcis visum restítuit; leprósos mundávit, mórtuos suscitávit. Sénio tandem et morbo confectus infatigábilis Evangélii præco, plúrimis Europæ provínciis cum ingénti animárum fructu peragrátis, Venétiæ in Británnia minóri prædicatiónis et vitæ cursum felíciter consummávit, anno salútis millésimo quadringentésimo décimo nono. Quem Callístus tértius Sanctórum número adscrípsit.

℟. vi. Quátuor vecta rotis ágitur mirábilis quadríga Dómini, Vincéntius cum prisco iúngitur trino Prædicatórum cárdini, *

Quorum virtúte fides régitur: Divíno sit pia laus nómini. ℣. Ducunt hi rædam Evangélii, velut equi fortes et várii. - Quorum virtúte. - Glória. - Divíno sit pia laus nómini.

In III Nocturno

Ant. 7 Laude digna Valéntia ipsum mortálem édidit: sed felix hunc Británnia regno cælórum réddidit.

Ant. 8 Honóres omnes rénuit pro Christi sacro nómine: mentem constántem ténuit, sacro rigátus flúmine.

Ant. 9 In Christum semper rétulit quidquid fecit dum víveret; se a terrénis ábstulit, ut cælum tandem scánderet.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 15 in Matth. sub med.

Atténdite quid díxerit: Vos estis sal terræ. Per quod osténdit quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas: sed ad omnem terram prorsus ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

℟. vii. Res ágitur digna spectáculo, ab ignótis quando vectóribus allátos panes trádidit pópulo degénti secum in nemóribus: qui sæpe stupet hausto póculo, * Non consúmptis vini liquóribus. ℣. Tunc exsúltant virórum míllia, dum intuéntur viri magnália. - Non consúmptis vini liquóribus.

Lectio viii

Dicéndo enim, Vos estis sal terræ, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam: et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt atque útiles. Nam qui mansuétus est ac modéstus, et miséricors et iustus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta

conclúdit, verum in alió… quoque utilitátem prælcáros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. viii. Vincéntium doctórem ínclitum cum decóre semper et glória, sanctitáte illústri prædítum, venerátur omnis Hespéria: cuius celsum monstrátur méritum * In túmuli sacra memória. ℣. Hinc mirífica signa pródeunt: nam ad vitam defúncti rédeunt. - In túmuli sacra memória.

Lectio ix

Ne ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem. Vos estis sal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam: neque enim fíeri potest ut ea, quæ iam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita, atque ab illa iam putrédine liberáta aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino suscéperant. Liberáre a putrédine peccatórum, Christi virtútis est: ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

℟. ix. Prædicátor o Vincénti, doctor máxime, quem Angelórum cum ordínibus triumphántem felíces ánimæ prosequúntur iucúndis láudibus, * Te láureæ corónant plúrimæ, Sublímem in regnis cælestibus. ℣. Tu Christi potens grátia, nos tuis fove précibus: quem adscrípsit Ecclésia sacris Sanctórum cœtibus. - Te láureæ. - Glória. - Sublímem in regnis cæléstibus.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Vincénti. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Festíva vox psallántium colláudet Regem glóriæ, qui cum Sanctis Vincéntium glorificávit hódie. T. P. Allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Erat vir evangélicus, Christi præco cum prædicat: dux illíus Domínicus in terris ipsum vísitat. T. P. Allelúia.

3. Candens Virgo divínitus hostem pellit ab

obséssis: cunctis vivens humánitus salútem reddit oppréssis. T. P. Allelúia.

4. Infántulus lacerátur mox matris per excídium: vitæ alter restaurátur, quem clausit præcipítium. T. P. Allelúia.

5. Tunc sub paténti spécie Angelórum exércitus, odor, porténtum grátiæ, cum venit hora tránsitus. T. P. Allelúia.

Capitulum Ephes. 3

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi: et illumináre omnes quæ sit dispensátio sacraménti absconditi a sæculis in Deo.

Hymnus

Magne Vincénti, nova lux Olýmpi,
Noctis obscúræ ténebras resólve,
Ut tuas puro modulémur omnes
Cármine laudes.

Sidus extrémæ Veneténsis oræ,
Et Valentínæ decus urbis almæ,
Ordinis sacri nitor es et ævi
Glória nostri:

Cuius instrúcti mónitis Hebræi,
Una cum Mauris, véteri relícta
Lege, divínis renovántur undis,
Mente fidéli.

Signa, quæ multis patuére terris,
Te probant amplis méritis refértum,
Ac viris celsis fore comparándum
Témporis acti.

Dæmonum sævos réprimis furóres,
Pellis et morbos miserátus omnes:
Sæpe defúnctos révocas in auras
Lucis amœnas.

Inde, post claræ moniménta vitæ,
Ad poli regnum Superúmque cœtum
Lætus ascéndis, cápiens perénnes
Victor honóres.

Sit Patri, Nato, simul utriúsque
Flámini splendor, decus et potéstas:
Cuius ætérnum chorus Angelórum
Numen adórat.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. T. P. Allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum. T. P. Allelúia.

Ad Bened. ant. Cuius vitæ sincéra púritas virgináli candóre nítuit, salutáris doctrínæ véritas

prædicándo ubíque cláruit, illi summa Bónitas géminam pro méritis corónam tríbuit. T. P. Allelúia.

Oratio

Deus, qui géntium multitúdinem mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem ventúrum Iúdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Tempore paschali ℟℟. Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM

Capitulum Apoc. 10

Opórtet te íterum prophetáre géntibus et pópulis et linguis et régibus multis.

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM

Capitulum Is. 43

Noli timére, quia ego tecum sum: ab oriénte addúcam semen tuum et ab occidénte congregábo te. Dicam aquilóni: Da, et austro: Noli prohibére; affer fílios meos de longínquo et fílias meas ab extrémis terræ.

℟. Iustus ut palma florébit * In domo Dómini. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Festíva vox psallántium colláudet Regem glóriæ, qui cum Sanctis Vincéntium glorificávit hódie. T. P. Allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Ephes. 3

Mihi ómnium sanctórum mínimo data est

grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi: et illumináre omnes quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo.

Hymnus

Mente iucúnda iúbilent fidéles,
Vócibus hymnos résonent canéntes:
Nam datus mundo novus est precátor
Ante Tonántem.

Alme Vincénti, veneránda cuius
Hæc dies totum cólitur per orbem,
Quas tibi cantat chorus hic fidélis,
Accipe laudes.

Rite mox annis téneris peráctis,
Prædicatórum sítiens adísti
Ordinem, servans documénta Patrum
Mente pudíca.

Tactus e cælis óperam dedísti
Lítteris sacris utriúsque Legis:
Quas docens verbo, fídei replésti
Lúmine mundum.

Inde fervénter cito iam propínquum
Sæculi finem fore nuntiásti,
Ut Deum gentes tímeant paténter
Vociferándo.

Angelus alter pénitus fuísti
Ille, qui cæli médium volábat,
Núntians cunctis pópulis et linguis
Iúdicis horam.

Lingua quæ sancta pópulos docébas
Rebus et signis váriis probábas,
Lánguidis reddens Cruce sanitátis
Róbora membris.

Inter eléctos modo collocáris,
Semper in cælis mérito triúmphans,
Fúlgidis sertis redimítus omni
Témpore sæcli.

Summa sit Christo salus, et perénnis
Glória Patri paritérque Sancto
Flámini, quorum sine fine virtus
Regnat in orbe. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Vincénti. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Glorióse pater o Vincénti, cui arcem scandénti polórum cum honóre óbvius ingénti plaudens venit chorus Angelórum: canéntes te duc laude frequénti ad amœna regna Beatórum. T. P. Allelúia.

Oratio

Deus, qui géntium multitúdinem mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne ad agnitiónem tui nóminis venire tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem ventúrum Iúdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

Completorium de dominica.

TEMPORE PASCHALI

AD MATUTINUM

Invitatorium et hymnus ut supra 986.

In Nocturno

Ant. 1 Atténtam matrem réddidit latrans in ventre cátulus, ut quæreret, quem édidit, qualis esset infántulus, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Vincéntii sublímitas quæ sit futúro témpore, matris monstrat agílitas, robúrque datum córpori, allelúia.

Ant. 3 Religiónem ínclitam postquam subit Domínici, virtútem sibi præstitam laude monstrat multíplici, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 5

Scimus enim quóniam, si terréstris domus nostra huius habitatiónis dissolvátur, quod ædificatiónem ex Deo habémus, domum non manufáctam, ætérnam in cælis. Nam et in hoc ingemíscimus, habitatiónem nostram, quæ de cælo est, superíndui cupiéntes: si tamen vestíti, non nudi inveniámur. Nam et qui sumus in hoc tabernáculo, ingemíscimus graváti: eo quod nólumus exspoliári, sed supervestíri, ut absorbeátur quod mortále est, a vita.

℟. i. Summus parens ac rector géntium, in véspere labéntis sæculi, novum vatem misit Vincéntium, christiáni magístrum pópuli: refert instáre Dei iudícium, * Quod spectábunt cunctórum óculi, allelúia. ℣. Timéte Deum, clamat sæpius: venit hora iudícii eius. - Quod spectábunt.

Lectio ii

Audéntes ígitur semper, sciéntes quóniam, dum sumus in córpore, pere-

grinámur a Dómino: (per fidem enim ambulámus, et non per spéciem) audémus autem, et bonam voluntátem habémus magis peregrinári a córpore et præséntes esse ad Dóminum. Et ídeo conténdimus sive abséntes, sive præséntes placére illi. Omnes enim nos manifestári opórtet ante tribúnal Christi, ut réferat unusquísque própria córporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. Sciéntes ergo timórem Dómini homínibus suadémus, Deo autem manifésti sumus. Spero autem et in consciéntiis vestris maniféstos nos esse. Non íterum commendámus nos vobis, sed occasiónem damus vobis gloriándi pro nobis: ut habeátis ad eos, qui in fácie gloriántur et non in corde. Sive enim mente excédimus, Deo: sive sóbrii sumus, vobis. Cáritas enim Christi urget nos.

℟. ii. Christi viam secútus árduam, a terrénis procul illécebris, veritátem reddit conspícuam, profligátis errórum ténebris: * Oram illúminat occíduam, toto factus in orbe célebris, allelúia. ℣. Cuius doctrína sole grátior, sermo erat flammis ardéntior. - Oram.

Lectio iii

Vincéntius, honésta stirpe Valéntiæ in Hispánia natus, décimo octávo ætátis anno religiónis hábitum in órdine Prædicatórum índuit; in quo, sacris lítteris sédulo incúmbens, theologíæ láuream summa cum laude obtínuit. Mox verbum Dei tanta virtúte et efficácia prædicáre cœpit, ut ingéntem infidélium multitúdinem ad Christi fidem perdúxerit, et multa Christianórum míllia a peccátis ad pæniténtiam revocáverit. Quotídie Missam cum cantu celebrávit, quotídie ad pópulum conciónem hábuit, carnes numquam comédit, populórum iúrgia sedávit; et, cum vestis inconsútilis Ecclésiæ diro schísmate discinderétur, ut unirétur et uníta servarétur, plúrimum laborávit. Sénio tandem et morbo confléctus, ac miráculis appríme clarus, Venétiæ in Británnia minóri sanctíssime óbiit. Quem Callístus Papa tértius inter Sanctos rétulit.

℟. iii. Prædicátor o Vincénti, doctor máxime, quem Angelórum cum ordínibus triumphántem felíces ánimæ prosequúntur iucúndis láudibus, * Te láureæ corónant plúrimæ, sublímem in regnis cæléstibus, Allelúia. ℣. Tu Christi potens grátia, nos tuis fove précibus: quem adscrípsit Ecclésia sacris Sanctórum cœtibus. - Te láureæ. - Glória. - Allelúia.

Cetera ut supra 991.

Die 11 aprilis

S. Leonis Magni

Papæ, Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Leo primus, Etrúscus, eo témpore præfuit Ecclésiæ, cum rex Hunnórum Attila, cognoménto Flagéllum Dei, in Itáliam invádens, post captam et incénsam Aquiléiam, Romam petitúrus cópias paráverat. Cui occúrrens Leo, divína persuásit eloquéntia, ut regrederétur. Tum Romæ singulári ómnium lætítia excéptus, paulo post, invadénti Urbem Genseríco eádem eloquéntiæ vi persuásit, ut ab incéndiis, ignomíniis et cædibus abstinéret. Cum autem Ecclésiam a multis hærésibus maximéque a Nestoriánis et Eutychiánis exagitári vidéret, concílium Chalcedonénse indíxit; ubi sexcéntis trigínta coáctis epíscopis, Eutyches et Dióscorus, et íterum Nestórius condemnáti sunt; cuius concílii decréta auctoritáte sua firmávit. Multas sacras ædes exstrúxit, ac monastérium vicínum basílicæ sancti Petri ædificávit. His et áliis præcláre gestis, cum multa sancte et luculénter scripsísset, quarto Idus novémbris obdormívit in Dómino, anno pontificátus sui vigésimo secúndo.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Leónem minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 16

In illo témpore: Venit Iesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interro-

gábat discípulos suos dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Ioánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Ieremíam aut unum ex prophétis. Tu autem.

Die 14 aprilis

Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi

Martyrum

Memoria

AD LAUDES

Extra tempus paschale

Ant. Isti sunt sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt: sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

Tempore paschali

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus. T. P. Allelúia. ℟. In Sanctis suis. T. P. Allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi solémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per.

Die 20 aprilis

S. Agnetis de Monte Politiano

Virginis O. P.

III classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. In voce iucunditátis natálem celebrémus Agnétis, quam sublími decóram glória, sanctam venerátur mater Ecclésia, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Is. 61

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis quasi sponsam ornátam monílibus suis.

℟. Vírginem castam Agnétem benedícit Dóminus, Mater Virgo mulcet allóquio: * Honórant Apóstoli, minístrant Angeli, Allelúia. ℣. Speciósum forma præ fíliis hóminum in sinum Mater depónit Fílium. - Honórant Apóstoli. - Glória. - Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 1003.

Ad Magnif. ant. Vocáta est hódie Agnes ad núptias Agni, allelúia: accúmbit in iucunditáte cum Sponso suo, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátam Agnétem Vírginem tuam cælésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis eius loca divérsis enátis flóribus decoráre dignátus es: concéde propítius ut eius précibus, perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Agnum, sponsum vírginum, qui vírginem sibi desponsávit Agnétem, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus

Agnétis ortum cælitus
Accénsa produnt lúmina,
Quæ mira pandunt prótinus
Futúra vitæ mérita.

Ætáte vernans ténera,
Morum senécta prædita,
Servíre malens húmilis,
Invíta præest céteris.

Orans in altum tóllitur,
Florére terra cérnitur,
Guttæque roris cándidi
Decus redúndant pállii.

Lavácra tangens bálnei,
Fontem dedit remédii:
Fluénta fundit ólei,
Gaudent medéla lánguidi.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Senílem gerens ánimum, novénnis fugit sæculum: vestígia premens Domínici, virtúte fulsit multíplici, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Ut vita Iesu manifestarétur in carne sua, mortificatiónem eius iúgiter Agnes in se circúmtulit, allelúia.

Ant. 3 Collem purgat luxúriæ et dicat pudicítiæ: sedem déstruit dæmonis, templum cónstruit vírginis, allelúia.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 14

Et vidi: et ecce Agnus stabat supra montem Sion, et cum eo centum quadragínta quátuor míllia, habéntes nomen eius et nomen Patris eius scrip-

tum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cælo tamquam vocem aquárum multárum et tamquam vocem tonítrui magni; et vocem quam audívi sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis. Et cantábant quasi cánticum novum ante sedem et ante quatuor animália et senióres.

℟. i. Agnes devóta Dei fámula precabátur in conspéctu Dómini die ac nocte, * Corpúsque suum ieiúniis affligébat assídue, allelúia. ℣. Angelus autem Dómini Panem Angelórum ministrábat ei. - Corpúsque.

Lectio ii

Et nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadragínta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum quocúmque íerit. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo et Agno, et in ore eórum non est invéntum mendácium, sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

℟. ii. Dum preces fundit Altíssimo, corpus a terra in sublíme tóllitur, spectánte pópulo, * Rore cæli amíctus perfúnditur, allelúia. ℣. Oránti dat terra flores, dant cæli manna et rores. - Rore cæli.

Lectio iii

Agnes de Monte Politiáno, órdinis sancti Domínici, quintumdécimum annum necdum egréssa, Summi Pontíficis iussu, moniálibus invíta præfícitur. Eius léctulus nuda humus, cervical saxum fuit, et quíndecim annos in pane et aqua ieiunávit. Sæpe inter orándum, nec maior annis quatuórdecim, ut tráditur, a terra cúbito tollebátur; eiúsque pállium roris cándidi guttis respergebátur, ac locus, ubi génua fixísset, súbito pulchérrimis flóribus ornabátur. Virtútibus et miráculis illústris ac pretiósa virginitátis coróna redimíta, migrávit in cælum anno Salútis millésimo trecentésimo décimo séptimo. Cum sancta Catharína Senénsis (quæ a Deo præmónita iam ántea fúerat, parem se glóriam cum sancta Agnéte in cælis habitúram) eius corpus íntegrum atque incorrúptum in sepúlcro servátum inviseret, et eius pedes deosculári vellet, Agnes álterum pedem éxtulit ad os usque Catharínæ. Beátam vírginem Agnétem miráculis claram Benedíctus

décimus tértius órdinis Prædicatórum sanctárum Vírginum número adscrípsit.

℟. iii. Vírginem castam Agnétem benedícit Dóminus, Mater Virgo mulcet allóquio: * Honórant Apóstoli, minístrant Angeli, Allelúia. ℣. Speciósum forma præ fíliis hóminum in sinum Mater depónit Fílium. - Honórant. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Agnes, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Conscéndit Agnes hódie cæléstis regni sólium: stolam indúta glóriæ intrat in Sponsi thálamum, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Felícem Agnétis éxitum infántes statim núntiant: cælo docénte tránsitum, turbæ repénte cónvolant, allelúia.

3. Fúneris manet intégritas, odóris viget suávitas: in signis et prodígiis virtus monstrátur vírginis, allelúia.

4. Fontem salútis vívidum manus distíllant óleum: vitæ relúcet méritum, morbi cedunt languéntium, allelúia.

5. Laudántem Agnétis mérita, Deus, tuére pópulum: reis dimítte débita per ipsíus suffrágium, allelúia.

Capitulum Is. 61

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Hymnus

Magnæ dies lætítiæ:
Venérunt Agni núptiæ,
Et Agnes Agnum séquitur,
Sponsóque sponsa iúngitur.

Vox Angelórum cóncinit:
Lætánte cœtu súscipit
Virgo beáta vírginem,
Cæléstis Agni cómitem.

Signis corúscat váriis,
Miris micat prodígiis,
Confert salútem lánguidis,
Vitámque reddit mórtuis.

Dum Catharína vísitat
Agnétis almæ lóculum,
Repénte manna cándidum
Utrámque sanctam prædicat.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Ad Bened. ant. Agnétem cæli suscépit cúria, Sanctam Sanctis áddidit Eccĺesia. Sedénti in throno et Agno sit laus, honor et benedíctio, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátam Agnétem Vírginem tuam cælésti rore sæpe perfúndere, et oratiónis eius loca divérsis enátis flóribus decoráre dignátus es: concéde propítius ut eius précibus, perpétuo tuæ benedictiónis rore conspérsi, æternitátis fructus percípere mereámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cum autem créverit, maius est ómnibus oléribus. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Allelúia, allelúia. Diffúsa est. ℣. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia, allelúia. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúia. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Osee 2

Sponsábo te mihi in sempitérnum, sponsábo te mihi in fide: et scies quia ego Dóminus.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúia, allelúia. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia, allelúia. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo, allelúia. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Cant. 2

Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus eius dulcis gútturi meo.

℟. Adiuvábit eam Deus vultu suo, * Allelúia, allelúia. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Allelúia, allelúia. Glória. Adiuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Conscéndit Agnes hódie cæléstis regni sólium: stolam indúta glóriæ intrat in Sponsi thálamum, allelúia.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum Is. 61

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiméntis salútis quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Hymnus

Agnétis almæ vírginis
Lætémur in solémniis,
Et gratiárum cánticum
Sponso canámus vírginum.

Spreto novénnis sæculo
Cæli dicátur Dómino:
Mentem supérnis réficit,
Corpus sevére súbigit.

Virtúte magna prædita
Hostem fugat tartáreum:
Dotáta cæli grátia
Visu beátur cælitum.

Iesum in ulnis párvulum
Cordis tenet solátium,
Cibúmque Panis cælici
Manus minístrat Angeli.

Sit, Christe Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Agnes, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Ave, virgo óptima, insígne decus Ordinis: ave, virgo ínclita, illústre sidus ætheris: tua canéntes mérita tuis fove subsídiis, allelúia.

Completorium de feria.

Die 21 aprilis

S. Anselmi

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ansélmus, Augústæ Prætóriæ in fínibus Itáliæ, nobílibus et cathólicis paréntibus natus, adoléscens, pátria et bonis ómnibus derelíctis, in monastério Beccénsi órdinis sancti Benedícti emíssa regulári professióne, in lítteris et virtútibus assequéndis mirum in modum profécit. Régibus, episcopis veneratióni fuit, et sancto Gregório séptimo étiam accéptus, qui tunc, persecutiónibus agitátus, lítteras amóris plenas ad eum dedit, se et Ecclésiam eius oratiónibus comméndans. Defúncto Lanfránco archie-

píscopo Cantuariénsi, eius olim præceptóre, ad eiúsdem ecclésiæ régimen vocátus, verbo et exémplo, scriptis et concíliis celebrátis, prístinam pietátem et ecclesiásticam disciplínam redúxit. Sed cum mox Willelmus rex vi et minis iura Ecclésiæ usurpáre tentásset, ipséque invícte restitísset, bonórum direptiónem et exsílium passus, Romam ad Urbánum secúndum se cóntulit. A quo honorífice excéptus et summis láudibus ornátus, in Barénsi concílio Spíritum Sanctum étiam a Fílio procedéntem, contra Græcórum errórem, innúmeris Scripturárum et sanctórum Patrum testimóniis propugnávit. Post mortem Willélmi, ab Henríco rege eius fratre in Angliam revocátus, obdormívit in Dómino.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ansélmum minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 23 aprilis

S. Georgii

Martyris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Coróna áurea super caput eius, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii Mártyris tui méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per.

Die 24 aprilis

SS. Coronæ Spineæ Domini

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Adsunt Domínici Serti solémnia: * Laude multíplici plaudat Ecclésia, allelúia.

Hymnus

Ætérnæ Regi glóriæ
Devóta laudum cántica
Fidéles solvant hódie
Pro Coróna Domínica.
Corónat Regem ómnium
Coróna contuméliæ,
Cuius nobis oppróbrium
Corónam confert glóriæ.
De spinárum acúleis
Christi Coróna pléctitur,
Qua minístris tartáreis
Mundi potéstas tóllitur.
Coróna Christi cápitis
Sacro perfúsa sánguine,
Pœnis solútis débitis,
Reos purgat a crímine.
Laus Christo, Regi glóriæ,
Pro Corónæ virtútibus,
Qua nos reformans grátiæ
Corónet in cæléstibus.
Amen.

In Nocturno

Super psalmos ant. Christum sub Serto spíneo derídet plebs perfídiæ: cuius cruóre róseo Sertum confértur glóriæ, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Martyris [52].

℣. Tuam Corónam adorámus, Dómine, allelúia. ℟. Tuum gloriósum recólimus triúmphum, allelúia.

De Epístola
beáti Pauli Apóstoli
ad Hebræos

Lectio i Cap. 2

Non ángelis subiécit Deus orbem terræ futúrum de quo lóquimur. Testátus est autem in quodam loco quis dicens: Quid est homo, quod memor es eius, aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum? Minuísti eum paulo minus ab ángelis; glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum: ómnia subiecísti sub pédibus eius. In eo enim quod ómnia ei subiécit, nihil dimísit non subiéctum ei; nunc autem necdum vidémus ómnia subiécta ei. Eum autem, qui módico quam ángeli minorátus est, vidémus Iesum propter passiónem mortis glória et honóre coronátum, ut grátia Dei pro ómnibus gustáret mortem.

℟. i. Spina carens Flos spina púngitur, per quam

culpæ spina confríngitur: * Spina mortis spinis retúnditur, dum Vita móritur, allelúia. ℣. Per hoc ludíbrium hostis delúditur: mortis domínium per mortem tóllitur. - Spina mortis.

Lectio ii

Decébat enim eum, propter quem ómnia et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat et qui sanctificántur, ex uno omnes; propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis, in médio ecclésiæ laudábo te; et íterum: Ego ero fidens in eum; et íterum: Ecce ego et púeri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni et sánguini, et ipse simíliter participávit eísdem, ut per mortem destrúeret eum qui habébat mortis impérium, id est diábolum; et liberáret eos qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti.

℟. ii. Corónat Regem ómnium Iudæa Serto spíneo: stat inter spinas lílium vernans cruóre róseo, * Spinárum culpæ néscium, spinæ punctum acúleo, allelúia. ℣. Sub decóre fulget purpúreo corpus nitens candóre níveo. - Spinárum culpæ néscium.

Lectio iii

Cum sanctus Ludovícus, rex Francórum, a Balduíno secúndo, Constantinopolitáno imperatóre, Corónam Dómini spíneam dono accepísset, duos ex órdine Prædicatórum fratres, Andréam et Iacóbum, Constantinópolim misit. Qui in crástino sancti Lauréntii Mártyris, anno millésimo ducentésimo trigésimo nono, Corónam regi Sénone detulérunt. Quæ, magna cum solemnitáte Parísios deláta, postrémo apud régium palátium collocáta est, in capélla ab ipso Ludovíco ædificáta. Thesáurus iste pretiósus, lugéndis tumúltus gállici tempóribus sæculo décimo octávo exeúnte ímpie subréptus ac póstmodum restitútus, in metropolitánam basílicam translátus est. Quasdam vero Corónæ sacræ spinas rex Ludovícus Frátribus Prædicatóribus dono dedit, illísque susceptiónis anniversárium in capélla Corónæ dicáta celebrándum commísit. Festum Sanctíssimæ Corónæ, circa medietátem sæculi décimi tértii, kalendário órdinis Prædicatórum insértum est.

℟. iii. Felix Spina, cuius acúlei guttis rubent roris sanguínei, * Vires frangunt regis tartárei, seras pandunt regni sidérei, Allelúia. ℣. O Spinárum imménsa glória, quæ tot nobis præstant remédia. - Vires frangunt. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Plecténtes corónam de spinis, allelúia. ℟. Posuérunt super caput Dómini, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Adest dies lætítiæ, quo Diadéma spíneum commendátur memóriæ, Christi cruóre róseum, allelúia, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Summum Regem glóriæ spinis coronátum ridet plebs perfídiæ morti condemnátum, allelúia.

3. O quam felix púnctio, quam beáta Spina, de qua fluit únctio, mundi medicína! Allelúia.

4. Pungens spina vúlnerat Christum patiéntem, et a morte líberat pópulum credéntem, allelúia.

5. Spinæ rubent sánguine, Christum cruentántes: mundum lavant crímine, cælum reserántes, allelúia.

Capitulum Cant. 3

Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus

Lauda, fidélis cóncio,
Spinæ trophæum ínclitum,
Per quam perit perdítio,
Vitæque datur méritum.
Nos a punctúris líberat
Ætérni Patris Fílius,
Dum spinis pungi tólerat
Spinárum culpæ néscius.
Dum spinárum acúleum
Christus pro nobis pértulit,
Per Diadéma spíneum
Vitæ corónam cóntulit.
Plaudat turba fidélium,
Quod per spinæ ludíbrium
Purgat Creátor ómnium
Spinéti nostri vítium.
Laus Christo, Regi glóriæ,
Pro Corónæ virtútibus,
Qua nos refórmans grátiæ
Corónet in cæléstibus.
Amen.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, allelúia. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui, allelúia.

Ad Bened. ant. Ave, Spina, pœnæ remédium, servi decus, Regis oppróbrium: tua plaga, dolor, ludíbrium, vitæ nobis mercántur prǽmium, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui in memóriam passiónis Dómini nostri Iesu Christi Corónam eius spíneam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cælis: Qui tecum vivit et regnat.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem
Cap. 19

In illo témpore: Apprehéndit Pilátus Iesum et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti eius: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Tuam Corónam adorámus, Dómine, * Allelúia, allelúia. Tuam Corónam. ℣. Tuum gloriósum recólimus triúmphum. Allelúia. Glória. Tuam Corónam.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Apoc. 6

Vidi, et ecce equus albus, et qui sedébat super illum habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens ut vínceret.

℟. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius, allelúia. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Is. 28

In die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exsultatiónis resíduo pópuli sui.

℟. Posuísti, Dómine, super caput eius, * Allelúia, allelúia. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúia. Glória. Posuísti.

℣. Eris coróna glóriæ in manu Dómini, allelúia. ℟. Et diadéma regni in manu Dei tui, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Adest dies lætítiæ, quo Diadéma spíneum commendátur

memóriæ, Christi cruóre róseum, allelúia, allelúia.

Psalmi ut in festo Epiphaniæ 139.

Capitulum Cant. 3

Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

Hymnus

Ætérnæ Regi glóriæ
Devóta laudum cántica
Fidéles solvant hódie
Pro Coróna Domínica.

Corónat Regem ómnium
Coróna contuméliæ,
Cuius nobis oppróbrium
Corónam confert glóriæ.

De spinárum acúleis
Christi Coróna pléctitur,
Qua minístris tartáreis
Mundi potéstas tóllitur.

Coróna Christi cápitis
Sacro perfúsa sánguine,
Pœnis solútis débitis,
Reos purgat a crímine.

Laus Christo, Regi glóriæ,
Pro Corónæ virtútibus,
Qua nos reformans grátiæ
Corónet in cæléstibus.
Amen.

℣. Tuam Corónam adorámus, Dómine, allelúia. ℟. Tuum gloriósum recólimus triúmphum, allelúia.

Ad Magnif. ant. O decus Ecclésiæ, gloriósa Spina, sertum Regis glóriæ, mundi medicína, præséntis angústiæ dulcor et resína, te laudántes hódie serves a ruína, allelúia.

Completorium de feria.

Die 25 aprilis

Litaniæ maiores

S. Marci Evangelistæ

II classis

Litaniæ maiores assignatæ sunt diei 25 aprilis; si vero eo die occurrit dominica Paschatis, vel feria II post Pascha, transferuntur in sequentem feriam III.

De Litaniis maioribus nihil fit in Officio, sed iuxta ecclesiarum et locorum condiciones et consuetudines, cuius rei iudex est Ordinarius loci, hoc die fit processio, in qua dicuntur Litaniæ Sanctorum (quæ tamen non duplicantur) cum suis precibus. Si autem processio fieri nequit, locorum Ordinarii instituant peculiares supplicationes, in quibus dicantur Litaniæ Sanctorum et aliæ preces in processione fieri solitæ.

Omnes vero qui ad recitationem divini Officii obligantur, processioni vero aut aliis peculiaribus supplicationibus, de quibus supra, non intersunt, tenentur dicere, hoc die, Litanias Sanctorum cum suis precibus, lingua latina.

Si vero Litaniæ Sanctorum cum suis precibus, iuxta locorum consuetudinem, in processione vel aliis peculiaribus supplicationibus, lingua vernacula, una cum fidelibus, dicuntur, ii qui ad recitationem divini Officii obligantur, et his supplicationibus rite intersunt, non tenentur has preces lingua latina iterare.

Omnia de Communi Evangelistarum temp. pasch. [135], præter hic posita.

AD MATUTINUM

De libro Apocalýpsis beáti Ioánnis Apóstoli

Lectio i Cap. 4

Post hæc vidi: et ecce óstium apértum in cælo, et vox prima, quam audívi tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens: Ascénde huc, et osténdam tibi quæ opórtet fíeri post hæc. Et statim fui in spíritu: et ecce sedes pósita erat in cælo et supra sedem sedens. Et qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis iáspidis et sárdinis: et iris erat in circúitu sedis símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis sedília vigínti quátuor: et super thronos vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti vestiméntis albis et in capítibus eórum corónæ áureæ. Et de throno procedébant fúlgura et voces et tonítrua: et septem lámpades ardéntes ante thronum, qui sunt septem spíritus Dei.

℟. i. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. - Testimónium.

Lectio ii

Et in conspéctu sedis tamquam mare vítreum símile crystállo, et in médio sedis et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro. Et ánimal primum símile leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébant alas senas: et in circúitu et intus plena sunt óculis: et réquiem non habébant die ac nocte dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat et qui est et qui ventúrus est. Et, cum darent illa animália glóriam et honórem et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum, procidébant vigínti quátuor senióres ante sedéntem in throno, et adorábant vivéntem in sæcula sæculórum, et mittébant corónas suas ante thronum dicéntes: Dignus es, Dómine Deus noster, accípere glóriam et honórem et virtútem: quia tu creásti ómnia, et propter voluntátem tuam erant et creáta sunt.

℟. ii. Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia: modo venérunt ad fontes: * Repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Agni amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. - Repléti sunt.

Ex libro sancti Hierónymi Presbýteri de Scriptóribus ecclesiásticis

Lectio iii Cap. 8

Marcus, discípulus et intérpres Petri, iuxta quod Petrum referéntem audíerat, rogátus Romæ a frátribus, breve scripsit Evangélium. Quod cum Petrus audísset, et probávit et Ecclésiæ legéndum sua auctoritáte dedit. Assúmpto ítaque Evangélio quod ipse confécerat, perréxit in Ægýptum, et primus Alexandríæ Christum annúntians, constítuit ecclésiam tanta doctrína et vitæ continéntia, ut omnes sectatóres Christi ad exémplum sui cógeret. Dénique Philo, disertíssimus Iudæórum, videns Alexandríæ primam ecclésiam adhuc iudaizántem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eórum conversatióne scripsit. Et quómodo Lucas narrat Ierosólymæ credéntes ómnia habuísse commúnia: sic et ille, quod Alexandríæ sub Marco fíeri doctóre cernébat, memóriæ trádidit. Mórtuus est autem octávo Nerónis anno, et sepúltus Alexandríæ, succedénte sibi Aniáno.

℟. iii. Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia: splendórem Deo dedérunt, allelúia: * Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Et sicut lac. - Glória. - Allelúia, allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Marcum, Evangelístam tuum, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: tríbue, quæsumus, eius nos semper et eruditióne profícere, et oratióne defféndi. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 10

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Tu autem.

Die 28 aprilis

S. Pauli a Cruce

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Paulus a Cruce, Uvádæ in Ligúria natus, a primo ratiónis usu, Iesu Christi crucifíxi amóre flagrávit. Martýrii desidério incénsus, exercítui se adiúnxit, qui Venétiis ad bellum Turcis inferéndum comparabátur. Cógnita vero Dei voluntáte, honestíssimis núptiis sibíque deláta pátrui hereditáte recusátis, rudi túnica a suo epíscopo indútus, nondum cléricus, Domínicum agrum divíni verbi prædicatióne excóluit. Romæ a Summo Pontífice Benedícto décimo tértio ex obediéntia sacerdótio auctus, in solitúdinem recéssit Argentárii montis, quo eum beáta Virgo iampridem invitáverat, veste illi simul osténsa atri colóris, passiónis Fílii sui insígnibus decoráta, ibíque fundaménta iecit novæ congregatiónis, cuius sodáles voto adstringeréntur Domínicæ passiónis memóriam promovéndi. Sacras vírgines quoque instítuit, quæ Dómini passiónem sédulo meditarén-

tur. Prædicatióne, virtútibus et divínis charismátibus clarus, Romæ obdormívit in Dómino, anno millésimo septingentésimo septuagésimo quinto. Eum Pius nonus Póntifex máximus in Beatórum, dein in Sanctórum númerum rétulit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui ad mystérium Crucis prædicándum sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde ut, passiónem tuam iúgiter recoléntes in terris, eiúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis: Qui vivis et regnas.

Memoria S. Ludovici M. Grignion a Montfort Conf. O. P.

Ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus, allelúia.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum Maríam Confessórem tuum Crucis mystérii et sacratíssimi Rosárii præcónem exímium effecísti, ac nova per eum família Ecclésiam fecundásti: eius méritis et intercessióne concéde ut per unigéniti Fílii tui vitam, mortem ac resurrectiónem, salútis ætérnæ prémia consequámur. Per eúndem.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 10

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Tu autem.

Die 29 aprilis

S. Petri

Martyris O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Collætétur turba fidélium triumphántis athlétæ gáudio, qui consérvans púdoris lílium et corúscans doctrínæ rádio, dum pro fide subit martýrium, trino felix potítur brávio, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cáditur: caput sacrum lictor ferit, iusti sanguis fúnditur: * Sic triúmphi palmam gerit, dum pro fide móritur, Allelúia. ℣. Stat invíctus pugil fortis: constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. - Sic triúmphi. - Glória. - Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 1017.

Ad Magnif. ant. O Petre Martyr ínclite, Prædicatórum glória, virginitáte prædite, verbo, signis et grátia, concéssa nobis sólitæ pietátis cleméntia, transácto mundi trámite, nos transfer ad cæléstia, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut

beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro eiúsdem fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Cæléstis exércitus Regem adorémus: * Et pro palma mílitis eius iubilémus, allelúia.

Hymnus

Adest triúmphus nóbilis
Festúmque cæli cúriæ,
Quo rosa delectábilis
Offértur Regi glóriæ.

Petrus, flos pulchritúdinis,
Et virtútum sacrárium,
Nullum mortális críminis
Sensit umquam contágium.

Roboráre cum nítitur
Fidem verbi præcónio,
Pro fide tandem cæditur
Hæreticórum gládio.

Dum sic in petra fídei
Petri tenet vestígia,
Ad Petram Christum próvehi
Merétur cum victória.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 De fumo lumen óritur, et rosæ flos de séntibus: Doctor et Martyr náscitur Petrus de infidélibus, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Martyris [52].

Ant. 2 Prædicatórum órdinis mílitans in ácie, nunc coniúnctus est ágmini cæléstis milítiæ, allelúia.

Ant. 3 Mens fuit angélica, lingua fructuósa, vita apostólica, mors quam pretiósa! Allelúia.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

De Epístola secúnda beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 2

Nemo mílitans Deo implicat se negótiis sæculáribus, ut ei pláceat cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur nisi legítime certáverit; laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico; dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum. Memor esto Dóminum Iesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David secúndum evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula quasi male óperans; sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Iesu, cum glória cæléstí.

℟. i. O Petre, sidus áureum, summi vas honóris, candórem servans níveum dono Creatóris, * Decus habes virgíneum in supérnis choris, allelúia. ℣. Tu spéculum mundítiæ, tu custos innocéntiæ, tu sancti flos pudóris. - Decus.

Lectio ii Cap. 3

Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes, quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris, quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes qui pie volunt vívere in Christo Iesu persecutiónem patiéntur. Mali autem hómines et seductóres proficient in peius, errántes et in errórem mitténtes. Tu vero pérmane in iis quæ didicísti et crédita sunt tibi, sciens a quo didíceris, et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem quæ est in Christo Iesu.

℟. ii. Prædicátor férvidus, fídei zelátor, círcuit intrépidus hæresum damnátor: vitiórum rígidus semper expugnátor, * Veritátis lúcidus doctor et amátor, allelúia. ℣. Verbo, vita prædicat, signis crebris émicat legis æmulátor. - Veritátis lúcidus.

Lectio iii

Petrus, Verónæ paréntibus Manichæórum hæresi inféctis natus, ab ipsa pæne infántia contra hæreses pugnávit, nullis umquam patris patruíve blandítiis a fídei constántia dimótus. Adoléscens Bonóniam studiórum causa venit, ibíque órdinis Prædicatórum institútum suscépit; in quo et magno virtútum splendóre, præcípue córporis animæque puritáte nullo umquam letháli peccáto fœdáta, et miro pæniténtiæ et contemplatiónis stúdio excélluit. In salútem animárum procurándam máximo cum fructu incúbuit, tanto fídei ardóre incénsus, ut pro ea mortem subeúndi grátiam a Deo precarétur; quam et obtínuit. Nam cum sanctæ Inquisitiónis munus gerens Como Mediolánum redíret, ab ímpio sicário in cápite gládio est vulnerátus; iamque pæne mórtuus, sýmbolum fídei, quam ab infántia vi-

ríli fortitúdine defénderat, in ipso suprémo spíritu pronúntians, ad palmam martýrii evolávit, anno salútis millésimo ducentésimo quinquagésimo secúndo. Quem Innocéntius quartus, anno sequénti, sanctórum Mártyrum número adscrípsit.

℟. iii. Dum Samsónis vulpes quærit, ab iníquis cæditur: caput sacrum lictor ferit, iusti sanguis fúnditur: * Sic triúmphi palmam gerit, dum pro fide móritur, Allelúia. ℣. Stat invíctus pugil fortis: constans profert hora mortis fidem, pro qua pátitur. - Sic triúmphi. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Petre, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Turbæ currunt languéntium, signa corúscant vária, et in Petri præcónium crebra crescunt prodígia, allelúia.

3. Bolus digne suffócat guttur detrahéntis, sed mox ipsum révocat votum pæniténtis, allelúia.

4. Motu, sensu córporis iúvenis privátur: tactu sacri púlveris vitæ restaurátur, allelúia.

5. Ad sancti Petri túmulum frequens lux descéndit, in cuius laudis títulum lámpades accéndit, allelúia.

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Exsúltet claro sídere
Fulgens mater Ecclésia:
Petrus Martyr in æthere
Nova profúdit gáudia.

Pauper, pudícus, húmilis,
Christo se totum dédicat:
In lege Dei dócilis,
Verbis, exémplis prædicat.

Triúmphat per martýrium
Christi fortis in ácie:
Consérvans semper lílium
Virgináis munditiæ.

Lux cæli, vitæ méritum,
Cum signórum frequéntia,
Petri comméndant éxitum
Et prædicant magnália.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,

Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput eius, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

Ad Bened. ant. Summa pollens Petrus mundítia et præfúlgens doctrínæ grátia, martýrii clarus victória, trinæ fulget corónæ glória, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro eiúsdem fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 9

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam quotídie et sequátur me. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

Ad Tertiam, Sextam et Nonam capitula, ℟℟. et ℣℣. de Communi unius Martyris [161].

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Petrus novus íncola cælos laureátus ascéndit, auréola tríplici dotátus, allelúia.

Psalmi de Communi unius Martyris [63].

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Magnæ dies lætítiæ
Nobis illúxit cælitus:
Petrus ad thronum glóriæ
Martyr pervénit ínclitus.

Puer in fide cláruit,
Paréntum carens nébula:
Deo servíre stúduit
Sub paupertátis régula.

Carnem afflíxit iúgiter
In labóre multíplici,
Viam sequens humíliter
Patris sui Domínici.

Vita, mors, signa vária,
Cælum frequénti lúmine,
Dant Petro testimónia
De sanctitátis cúlmine.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Petre, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. O Martyr egrégie, doctor veritátis, puritátis vásculum,

norma sanctitátis, tua per suffrágia véniam peccátis et vitam in glória præsta cum beátis, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro eiúsdem fídei dilatatióne martýrii palmam méruit obtinére. Per.

Completorium de dominica.

Die 30 aprilis

S. Catharinæ Senensis

Virginis O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Immortáli laude Catharína virgo Senénsis est efferénda, quandóquidem suæ sanctitátis præstántia univérso géneri humáno innótuit, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Sap. 8

Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, dicit Dóminus omnípotens.

℟. Vitam Catharínæ innocentíssimam mirácula illa notíssimam efficiunt, * Quæ vivens atque vita functa líquido osténdit, Allelúia. ℣. Curávit ægrótos, vitam mórtuis restítuit, et id genus multa fecit. - Quæ vivens. - Glória. - Allelúia.

Hymnus

Hæc tuæ, virgo, monuménta laudis,
Quæ tuis læti, Catharína, sacris
Hoc quidem pacto modulámur omnes,
Perfer Olýmpo.

Si satis digne néqueant referri,
Annuas nobis véniam, precámur:
Non sumus tanti ingénii, fatémur,
Optima virgo.

Quis fuit dignas modulátus umquam
Vírginis laudes? Quis in orbe toto
Féminæ invíctæ peritúra numquam
Cármina pandet?

Prædita exémplis, Catharína, claris,
Móribus præstans, sápiens abúnde,
Témperans, fortis, pia, iusta, prudens,
Æthera scandis.

Quem latet virtus facinúsque clarum,
Quo nequit dici sátius per orbem?

Vúlnerum formam miseráta Christi
Exprimis ipsa.

Nam brevis, mæstæ, miseræque vitæ,
Et malis cunctis pénitus refértæ
Fórtiter spernens pretiósa quæque,
Sídera adísti.

Grátias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo:
Spíritum Sanctum venerémur, et sit
Laus tamen una. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Catharína, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Vírginis Catharínæ hæc dies est dicáta sacris, ut numquam tantæ sanctitátis præstántia mortálium memória excídere queat, et cunctis celebérrima perpétuo fiat, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti: concéde, quæsumus, ut, eius imitatióne calcáta mundi nequítia et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Christum, Regem regum, súpplices adorémus: * Qui immortáli glória vírginem Senénsem dotávit Catharínam, allelúia.

Hymnus

Láudibus, virgo, nimis efferénda
Iure censéris, quóniam triúmphos
Ipsa cælórum, probitáte mira,
Nacta refúlges.

Prémium sanctæ tamen ipsa vitæ,
Et simul munus probitátis almæ
Accipis cælo, cumuláta cunctis
Dénique rebus.

Tu gravem, sacris méritis refértum,
Orbis exémplar, pietáte plenum
Prædicatórum veneráta Patrem,
Ordine fulges.

Nulla iam rerum plácuit volúptas,
Nullus ornátus, nitor ecce nullus
Córporis, semper fúgiens iníquæ
Cármina vitæ.

Sæpius corpus dómitans acérbe,
Quam pie flagris cruor hinc et inde
Flúxerat rivis, hominúmque demum
Crímina flebas!

Qui per ingéntes variósque casus
Orbe terrárum cruciántur omnes,
Quotque vel curis agitántur ipsi
Undique diris.

Súppetent nobis tótidem canénda,
Si tuæ laudes repetántur omnes:
Tu quidem longe pietáte cunctis
Inclita præstas.

Grátias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo:
Spíritum Sanctum veneremur, et sit
Laus tamen una.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Admirábilem Dei nostri cleméntiam contemplári máxima Catharínæ constántia nos semper efficiet, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Misericórdia summa erga egénos atque ægrótos summópere affécta, ipsórum ærúmnas deflére hæc virgo solébat, allelúia.

Ant. 3 Christiános quidem tanta caritáte prosequebátur, ut eórum amóre incénsa diu noctúque flagráret, allelúia.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, allelúia. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, allelúia.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 8

Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit: et quos vocávit, hos et iustificávit: quos autem iustificávit, illos et glorificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Quis ergo nos separábit a caritáte Christi? tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? Sed in his ómnibus superámus propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Iesu Dómino nostro.

℟. i. Nihil huic vírgini sátius, nihílque dígnius in rerum natúra visum est quam Iesu Christi præcépta * Et vitam ætérnam ómnibus persuadére, allelúia. ℣. Dedit enim semper óperam revocáre pérditos. - Et vitam ætérnam.

De Epístola ad Gálatas

Lectio ii Cap. 6

Mihi autem absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. In Christo enim Iesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Iesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen. Tu autem.

℟. ii. Sapiéntia atque doctrína hæc virgo referta, códices nonnúllos cóndidit edidítque: * Ut veram vivéndi ratiónem ómnibus osténderet, allelúia. ℣. His illa humánas fragilésque res spérnere suádet. - Ut veram vivéndi.

Lectio iii

Catharína virgo Senénsis, piis orta paréntibus, beáti Domínici hábitum, quem Soróres de Pæniténtia gestant, impetrávit. Summa eius fuit abstinéntia et admirábilis vitæ austéritas. Cum Pisis morarétur, die Domínico, refécta cibo cælésti et in éxtasim rapta, vidit Dóminum crucifíxum magno cum lúmine adveniéntem, et ex eius vúlnerum cicatrícibus quinque rádios ad quinque loca sui córporis descendéntes. Mystérium advértens, Dóminum precáta, ne cicatríces apparérent, contínuo rádii, colóre sanguíneo mutáto in splendídum, in formam puræ lucis pervenérunt ad manus, pedes et cor eius. Tantus vero erat dolor quem sensibíliter patiebátur, licet vúlnerum cruénta signa non apparérent, ut nisi Deus minuísset, brevi se créderet moritúram. Doctrína eius infúsa, non

acquisíta fuit. Aveniónem ad Gregórium Papam undécimum profécta, illi votum eius de peténda Urbe, soli Deo notum, sese divínitus cognovísse monstrávit, et auctor fuit ut Póntifex ad Sedem Románam personáliter accéderet. Anno ætátis suæ tértio círciter et trigésimo migrávit ad Sponsum. Quam Pius secúndus sanctárum Vírginum número adscrípsit, Pius nonus patrónam almæ Urbis secundáriam instítuit, Pius autem duodécimus primáriam Itáliæ patrónam una cum sancto Francísco Assisiénsi declarávit.

℟. iii. Vitam Catharínæ innocentíssimam mirácula illa notíssimam efficiunt, * Quæ vivens atque vita functa líquido osténdit, Allelúia. ℣. Curávit ægrótos, vitam mórtuis restítuit, et id genus multa fecit. - Quæ vivens. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta Catharína, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Omnipoténti virgo Catharína Dei Fílio solum óbsequi atque servíre constítuit, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Exsultabúnda cæli múnera contemplabátur, quæ cunctis rebus máxime præpósuit, allelúia.

3. Divínis namque oblectáta rebus, diu noctúque oratiónibus atque vigíliis óperam dabat, allelúia.

4. Rerum ómnium Conditóri Catharína benedicébat, qui beatitúdinis sémitam mortálibus osténdit, allelúia.

5. Laudávit Catharína semper Dóminum, et ab eo in excélsis exaltáta est, allelúia.

Capitulum Sap. 8

Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, dicit Dóminus omnípotens.

Hymnus

Iam ferox miles tibi sæpe cessit,
Et duces iras posuére sævas:
Hi necem diram pópulo mináti
Sæpe Senénsi.

Quid! Quod et sacris stúdiis frequénter
Víribus summis óperam dedísti,

Lítteræ doctæ lepidéque claris
Urbibus exstant.

Níteris verbis revocáre lapsos,
Níteris rectum suadére cunctis:
Sic ais: Tantum próbitas beátos
Efficit omnes.

Iura tu sævæ tremebúnda mortis
Fórtiter temnens, nihil extiméscens,
Prémium nostræ vocitáre vitæ
Sæpe solébas.

Unde, cum tempus properáret ipsum,
Quo sacros artus cinerésque busto
Línqueres, cælos aditúra, flentes
Ipsa docébas.

Sic sacrum Christi veneráta Corpus,
Hóstiam libans, lácrimis obórtis,
Díxeras cunctis documénta vitæ
Voce supréma.

Grátias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo:
Spíritum Sanctum veneremur, et sit
Laus tamen una. Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Ad Bened. ant. Máxima est Catharínæ vírginis Senénsis præstántia, quæ incolumitátem languéntibus et vitam mórtuis restitúere pótuit, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti: concéde, quæsumus, ut, eius imitatióne calcáta mundi nequítia et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo. Quod mínimum quidem est ómnibus semínibus; cum autem créverit, maius est ómnibus oléribus. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Diffúsa est grátia in lábiis tuis, * Allelúia, allelúia. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúia, allelúia. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua, allelúia. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátæ Catharínæ, virginitátis et patiéntiæ speciáli privilégio decorátæ, malignántium spirítuum certámina víncere, et in amóre tui nóminis inconcússe permanére tribuísti: concéde, quæsumus, ut, eius imitatióne calcáta mundi nequítia et ómnium hóstium superátis insídiis, ad tuam secúre glóriam transeámus. Per.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 8

Dóminus ómnium diléxit illam: doctrix est enim disciplínæ Dei, et eléctrix óperum illíus.

℟. Spécie tua et pulchritúdine tua, * Allelúia, allelúia. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Allelúia, allelúia. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo, allelúia. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 11

Brevis in volatílibus est apis, et inítium dulcóris habet fructus illíus.

℟. Adiuvábit eam Deus vultu suo, * Allelúia, allelúia. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Allelúia, allelúia. Glória. Adiuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

AD II VESPERAS, sicubi habeantur:

Super psalmos ant. Omnipoténti virgo Catharína Dei Fílio solum óbsequi atque servíre constítuit, allelúia.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Capitulum Sap. 8

Hanc amávi et exquisívi a iuventúte mea, et quæsívi sponsam mihi eam assúmere, et amátor factus sum formæ illíus, dicit Dóminus omnípotens.

Hymnus

Hæc tuæ, virgo, monuménta laudis,
Quæ tuis læti, Catharína, sacris
Hoc quidem pacto modulámur omnes,
Perfer Olýmpo.

Si satis digne néqueant referri,
Annuas nobis véniam, precámur:
Non sumus tanti ingénii, fatémur,
Optima virgo.

Quis fuit dignas modulátus umquam
Vírginis laudes? Quis in orbe toto
Féminæ invíctæ peritúra numquam
Cármina pandet?

Prædita exémplis, Catharína, claris,
Móribus præstans, sápiens abúnde,
Témperans, fortis, pia, iusta, prudens,
Æthera scandis.

Quem latet virtus facinúsque clarum,
Quo nequit dici sátius per orbem?
Vúlnerum formam miseráta Christi
Exprimis ipsa.

Nam brevis, mæstæ, miseræque vitæ,
Et malis cunctis pénitus refértæ
Fórtiter spernens pretiósa quæque,
Sídera adísti.

Grátias summas habeámus omnes
Fílio magni Genitóris almo:
Spíritum Sanctum veneremur, et sit
Laus tamen una. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Catharína, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. O virgo máxima glória præstans, cuius sacra stata orbis univérsus hodiérna die célebrat, quam Angeli cum láudibus éfferunt, ac céteri supérni cives admirántur: age apud Deum, quo mentes nostræ semper divínis præcéptis obtémperent, nosque virtútibus aliísque bonis áugeat, allelúia.

Completorium de dominica.

DIE 1 MAII

S. Ioseph Opificis

Sponsi B. Mariæ Virg., Confessoris

I classis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Artem fabri fidéliter exércens sanctus Ioseph, labóris mirábile refúlget exémplar, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Col. 3

Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, et grati estóte.

℟. Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? * Nonne hic est fabri fílius? Allelúia. ℣. Ita dicébant in civitáte Názareth. - Nonne. - Glória. - Allelúia.

Hymnus

Te, Ioseph, célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, iunctus es ínclitæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cóniugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos sors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Ioseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Solémnitas est hódie sancti Ioseph, allelúia. ℟. Qui mánibus suis Fílio Dei ministrávit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Christus Dóminus fabri fílius putári dignátus est, allelúia.

Oratio

Rerum cónditor, Deus, qui legem labóris humáno géneri statuísti: concéde propítius ut, sancti Ioseph exémplo et patrocínio, ópera perficiámus quæ præcípis, et prǽmia consequámur quæ promíttis. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regem regum Dóminum, qui putári dignátus est fabri fílius, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus

Te, pater Ioseph, ópifex colénde,
Názaræ felix látitans in umbra,
Vócibus magnis animísque plenis
Nocte canémus.

Régiam stirpem tenuémque victum
Mente fers æqua tacitúsque portas,
Sacra dum multo mánuum labóre
Pignora nutris.

O Faber, sanctum spéculum fabrórum,
Quanta das plebi documénta vitæ,
Ut labor sudans, ut et officína
Sanctificétur.

Qui carent escis, míseros fovéto;
Témpera effrénos perimásque lites;
Mýsticus Christus pátriæ sub umbræ
Tégmine crescat.

Tu Deus trinus paritérque et unus,
Qui pater cunctis opiféxque rerum,
Fac patrem Ioseph imitémur actu,
Morte imitémur.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Exit homo ad opus suum, et ad labórem suum usque ad vésperum, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Iesus, cum esset trigínta annórum, putabátur fílius Ioseph, allelúia.

Ant. 3 Nonne hic est fabri fílius? Nonne hic est fílius Ioseph? Allelúia.

℣. Glória et exémplar opíficum, sancte Ioseph, allelúia. ℟. Cui obedíre vóluit Fílius Dei, allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio i Cap. 13

In illo témpore: Véniens Iesus in pátriam suam, docébat eos in synagógis eórum, ita ut miraréntur

et dícerent: « Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri fílius? ». Et réliqua.

Homília
sancti Albérti Magni
Epíscopi

In Evang. Lucæ, cap. 4

Die sábbati intrávit in synagógam, quo omnes intentióne audiéndi convéniunt. Et ómnium in synagóga óculi erant intendéntes in eum. Hoc tamen quidam devotióne, quidam curiositáte, et quidam observántes eum fecérunt, ut cáperent eum in sermóne. Et dicébant scribæ et pharisæi ad pópulum, qui iam fidem et devotiónem concéperat: « Nonne hic est fílius Ioseph? ». Despectiónis nota est demonstrátio eius quem nomináre non sunt dignáti. « Fílius Ioseph »: minus hic dicit evangelísta quod tam a Matthæo quam a Marco plénius scíverat esse pósitum: « Nonne hic est fabri fílius? Nonne hic est faber, fílius Maríæ? ». Hæc ómnia despectíve dicta sunt.

℟. i. Miser ego sum et pauper; * Dóminus sollícitus est mei, allelúia. ℣. Labórem mánuum tuárum manducábis et bene tibi erit, allelúia. - Dóminus.

Lectio ii

Faber lignárius dícitur fuísse Ioseph, arte et usu mánuum victum quærens, et non in ótio et delíciis panem mandúcans, sicut scribæ et pharisæi fecérunt. María étiam colo et consílio mánuum victum quærébat. Et est sensus: Hic despéctæ et paupérrimæ nativitátis, non potest esse Christus Dóminus, quem unxit Deus. Et ídeo sibi non est credéndum tam rusticáno et tam vili.

℟. ii. Iesus erat incípiens quasi annórum trigínta, * Qui putabátur fílius Ioseph, allelúia. ℣. Faber autem erat Ioseph, sponsus Vírginis Maríæ, de qua natus est Christus. - Qui putabátur.

Lectio iii

Faber tamen erat Dóminus: quia prophéta dixit de ipso: « Tu fabricátus es auróram et solem ». Símilis modus despectívus est in libro Regum, ubi Saul promóto in regnum suum dixérunt: « Quænam res áccidit fílio Cis? Num et Saul inter prophétas est? ». Parva ergo locútio magnum impórtat despéctum. Dóminus autem dicit: « Amen dico vobis, quia nemo prophéta acéptus est in pátria sua ». Se autem prophétam hic dicit Dóminus. Ipse enim, cui ómnia per divinitátem nota sunt, nullam pénitus récipit inspiratiónis revelatiónem. Pátriam autem suam vocat hic stricte locum conceptiónis et nutritiónis. Suis autem convicáneis, qui invídia incitabántur ad ipsum, non fuit acéptus.

℟. iii. Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? * Nonne hic est fabri fílius? Allelúia. ℣. Ita dicébant in civitáte Názareth. - Nonne. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Solémnitas est hódie sancti Ioseph, allelúia. ℟. Qui mánibus suis Fílio Dei ministrávit, allelúia.

AD LAUDES
et per Horas antiphonæ

1. Deus, mundi ópifex, pósuit hóminem ut operarétur et custodíret terram, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Christus, Dei Fílius, mánibus suis operári dignátus est, allelúia.

3. Artem fabri fidéliter exércens sanctus Ioseph, labóris mirábile refúlget exémplar, allelúia.

4. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, allelúia.

5. Ioseph, ópifex sancte, ópera nostra tuére, allelúia.

Capitulum Col. 3

Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, et grati estóte.

Hymnus

Auróra, solis núntia
Florúmque mensi prævia,
Fabri sonóram málleo
Domum salútat Názaræ.
Salve, caput domésticum,
Sub quo suprémus Artifex,
Sudóre salso róridus,
Exércet artem pátriam.
Altis locátus sédibus
Celsæque Sponsæ próximus,
Adésto nunc cliéntibus,
Quos vexat indigéntia.
Absíntque vis et iúrgia,
Fraus omnis a mercédibus;
Victus cibíque cópiam
Mensúret una párcitas.
O Trinitátis Unitas,
Ioseph precánte, quæsumus,
In pace nostros ómnium
Gressus viámque dírige.
Amen.

℣. Ora pro nobis, sancte Ioseph, allelúia. ℟. Labórum nostrórum protéctor fidélis, allelúia.

Ad Bened. ant. Descéndit Iesus cum María et Ioseph, et venit Názareth, et erat súbditus illis, allelúia.

Oratio

Rerum cónditor, Deus, qui legem labóris humáno géneri statuísti: concéde propítius ut, sancti Ioseph exémplo et patrocínio, ópera perficiámus quæ præcípis, et prǽmia consequámur quæ promíttis. Per.

Ad Horas psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis.

AD PRIMAM

Ant. Deus, mundi ópifex, pósuit hóminem ut operarétur et custodíret terram, allelúia.

AD TERTIAM

Ant. Christus, Dei Fílius, mánibus suis operári dignátus est, allelúia.

Capitulum ut ad II Vesperas.

℟. Glória et exémplar opíficum, sancte Ioseph, * Allelúia, allelúia. Glória et exémplar. ℣. Cui obedíre vóluit Fílius Dei. Allelúia. Glória Patri. Glória et exémplar.

℣. O magnam dignitátem labóris, allelúia. ℟. Quem Christus sanctificávit, allelúia.

AD SEXTAM

Ant. Artem fabri fidéliter exércens sanctus Ioseph, labóris mirábile refúlget exémplar, allelúia.

Capitulum Col. 3

Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Iesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

℟. O magnam dignitátem labóris, * Allelúia, allelúia. O magnam. ℣. Quem Christus sanctificávit. Allelúia. Glória. O magnam. ℣. Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, allelúia. ℟. Dignátus est operári mánibus suis, allelúia.

AD NONAM

Ant. Ioseph, ópifex sancte, ópera nostra tuére, allelúia.

Capitulum Col. 3

Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus, sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis. Dómino Christo servíte.

℟. Verbum Dei, per quod facta sunt ómnia, * Allelúia, allelúia. Verbum. ℣. Dignátus est operári mánibus suis. Allelúia. Glória. Verbum.

℣. Ora pro nobis, sancte Ioseph, allelúia. ℟. Labórum nostrórum protéctor fidélis, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Deus, mundi ópifex, pósuit hóminem ut operarétur et custodíret terram, allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Col. 3

Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, et grati estóte.

Hymnus

Te, Ioseph, célebrent ágmina cælitum,
Te cuncti résonent christíadum chori,
Qui clarus méritis, iunctus es ínclitæ
Casto fœdere Vírgini.

Almo cum túmidam gérmine cóniugem
Admírans, dúbio tángeris ánxius,
Afflátu súperi Fláminis Angelus
Concéptum Púerum docet.

Tu natum Dóminum stringis, ad éxteras
Ægýpti prófugum tu séqueris plagas;
Amíssum Sólymis quæris et ínvenis,
Miscens gáudia flétibus.

Post mortem réliquos sors pia cónsecrat,
Palmámque eméritos glória súscipit:
Tu vivens, Súperis par, frúeris Deo,
Mira sorte beátior.

Nobis, summa Trias, parce precántibus,
Da Ioseph méritis sídera scándere,
Ut tandem líceat nos tibi pérpetim
Gratum prómere cánticum. Amen.

℣. Solémnitas est hódie sancti Ioseph, allelúia. ℟. Qui mánibus suis Fílio Dei ministrávit, allelúia.

Ad Magnif. ant. Et ipse Iesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Ioseph, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 2 maii

S. Athanasii

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Athanásius, epíscopus Alexandrínus, cathólicæ religiónis propugnátor acérrimus, cum, adhuc diáconus, in concílio Nicæno Aríi impietátem repressísset, tantum ódium Arianórum suscépit, ut ex

eo témpore ei insídias molíri numquam destíterint. In exsílium actus, in Gállia apud Tréviros exulávit. Incredíbiles dein calamitátes perpéssus, magnam orbis partem peragrávit; ac sæpe e sua ecclésia eiéctus, sæpe étiam in eándem, Iúlii, Románi Pontíficis, auctoritáte atque decrétis concílii Sardicénsis ac Ierosolymitáni, restitútus est, Ariánis intérea illi semper inféstis. Dénique ex tot tantísque perículis divínitus eréptus, Alexandríæ mórtuus est sub Valénte. Eius vita et mors magnis nobilitáta est miráculis. Multa pie et ad illustrándam cathólicam fidem præcláre scripsit, sexque et quadragínta annos in summa témporum varietáte Alexandrínam ecclésiam sanctíssime gubernávit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua corónavit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Athanásium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Tu autem.

Die 3 maii

Ss. Alexandri, Eventii et Theoduli

Martyrum

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Alexándri, Evéntii et Theodúli natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eórum intercessiónibus liberémur. Per.

Die 4 maii

S. Monicæ

Viduæ

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Mónica, sancti Augustíni piíssima mater, uxórum et viduárum exémplar, fílium Manichæum Mediolánum secúta, postquam assíduis oratiónibus, lácrimis et ieiúniis, ope Ambrósii epíscopi, eum Christo lucrifécit, cum ipso in Africam rédiens, ad Ostia Tiberína in febrem incidit, et nono die placidíssime óbiit. De cuius morte mærens fílius dísserens subdit: Neque enim decére arbitrabámur funus illud quéstubus lacrimósis gemitibúsque celebráre, quia illa nec mísere, nec omníno moriebátur: hoc et documéntis morum eius, et fide non ficta rationibúsque certis tenebámus. Atque inde paulátim reducébam in prístinum sensum ancíllam tuam, conversationémque eius piam in te et sanctam, in nos blandam atque morígeram, qua súbito destitútus sum; et líbuit flere de illa et pro illa. Et si quis peccátum invénerit flevísse me matrem óculis meis mórtuam, quæ me multos annos fléverat, ut óculis suis víverem, non irrídeat; sed pótius, si est grandi caritáte, pro peccátis meis fleat ipse ad te Patrem ómnium fratrum Christi tui. Eius corpus, in ecclésia sanctæ Aureæ prius sepúltum, póstea, Martíno quinto Summo Pontífice, Romam translátum, in ecclésia sancti Augustíni honorífice cónditum est.

℟. iii. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur, Allelúia. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera eius. - Múlier timens. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis utriúsque interventu peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam invenire. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 7

In illo témpore: Ibat Iesus in civitátem, quæ vocátur Naim: et ibant cum eo discípuli eius et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur, fílius únicus matris suæ. Tu autem.

Die 5 maii

S. Pii V

Papæ et Confessoris O. P.

III classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Felix Domínici plaude família, Pio quinto accéndens lúmina: plaude, pia mater Ecclésia, Babylónis sedens ad flúmina: tota plaude cæléstis cúria, et festívum Pio redúplica Allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Baruch 5

Circúmdabit te Deus diplóide iustítiæ et impónet mitram cápiti honóris ætérni: osténdet splendórem suum in te omni qui sub cælo est. Nominábitur enim tibi nomen a Deo: Pax iustítiæ et honor pietátis.

℟. Dum novus hic Móyses in colle pansis mánibus Deum precabátur, ad Naupáctum Amalech Israéli pérfidus mari profligátur: * Partáque victória Pio revelátur, Allelúia. ℣. Dum exténdit virgam Rosárii, demergúntur hostes nefárii. - Partáque victória. - Glória. - Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 1039.

Ad Magnif. ant. Pii nomen comprobárunt piæ operatiónes et ex hoc beátum dicent omnes generatiónes, allelúia.

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes et ad divínum cultum reparándum beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus deféndi præsídiis et ita tuis inhærére obséquiis, ut ómnium hóstium superátis insídiis perpétua pace lætémur. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Christum in Pio fámulo rite collaudémus: * Pium in Christo Dómino pie celebrémus, allelúia.

Hymnus

Noctis fuget calíginem
Pii corúsca glória:
Depéllat et formídinem
Tanti ducis victória.
Is a tenéllis únguibus
Christi iugo se súbdidit:
Mox igne Sancti Spíritus
Totis medúllis férbuit.
Adhæsit innocéntiæ
Candor Pii virtútibus,
Nitórque consciéntiæ
Letális expers críminis.
Intácta carnis púritas
Monstrátur in fragrántia,
Infrácta mentis fírmitas
In péctoris constántia.
Tantis gradátim dótibus
Parátur ad sublímia:
Donec subit divínitus
Apostolátus cúlmina.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Fidem zelans in cáthedra ætérnæ Sapiéntiæ, forti contrívit déxtera cáthedram pestiléntiæ, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Spe loricátus prævalet, cum fremuérunt gentes: fregit in virga férrea meditántes inánia Christúmque persequéntes, allelúia.

Ant. 3 Piis cáritas orántis dum præstat auxília, pópuli me circumdántis non timébo míllia, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 50

Ecce sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum et in diébus suis corroborávit templum. Templi étiam altitúdo ab ipso fundáta est, duplex ædificátio, et excélsi paríetes templi. In diébus ipsíus emanavérunt pútei aquárum et quasi mare adimpléti sunt supra modum. Qui curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne. Qui præváluit amplificáre civitátem, qui adéptus est glóriam in conversatióne gentis et ingréssum domus et átrii amplificávit.

℟. i. Ad ceram Agni cándidi a Pio benedícti, captant salútem lánguidi, resíliunt pyróboli, * Sclopos evádunt icti, allelúia. ℣. Dat farínis increménta, sedat ígnium torménta, tranquillántur mária. - Sclopos evádunt.

Lectio ii

Quasi stella matutína in médio nébulæ et quasi luna plena in diébus suis

lucet et quasi sol refúlgens, sic ille effúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ et quasi thus rédolens in diébus æstátis; quasi ignis effúlgens et thus ardens in igne, quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso, quasi olíva púllulans et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ et vestíri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amíctum. In accipiéndo autem partes de manu sacerdótum et ipse stans iuxta aram et circa illum coróna fratrum, quasi plantátio cedri in monte Líbano, sic circa illum stetérunt quasi rami palmæ et omnes fílii Aaron in glória sua.

℟. ii. Priscos agónes Mártyrum osténtans Romanórum, ingens edit miráculum * In turba populórum, allelúia. ℣. Oratóri christiáno dans e campo Vaticáno cruentátos púlveres. - In turba populórum, allelúia.

Lectio iii

Pius, Boschi in Insúbria natus, cum quatuórdecim esset annórum, órdinem Prædicatórum ingréssus est. Sacerdótio auctus, sacras conciónes plúribus in locis cum ingénti animárum fructu hábuit. Inquisitóris offícium diu fórtiter ac laudabíliter sustínuit, et a Paulo quarto ad Nepesínum et Sutrínum episcopátum promótus, post biénnium inter patres cardináles adscríptus est. A Pio quarto translátus ad ecclésiam Montis Regális in Subalpínis, diœcésim vísitans, abúsus représsit; et Romam revérsus, in gravíssimis negótiis expediéndis fuit occupátus. Mórtuo autem Pio, præter ómnium exspectatiónem eléctus Póntifex, nihil in vitæ ratióne, excépto exterióri hábitu, immutávit. Selímum Turcárum tyránnum, ingénti comparáta classe, ad Echínadas ínsulas non tam armis quam fusis précibus devícit. Dum vero novam in ipsos Turcas expeditiónem paráret, piíssime óbiit in Dómino, anno millésimo quingentésimo septuagésimo secúndo, ætátis suæ sexagésimo octávo. Corpus eius in basílica sanctæ Maríæ maióris summa fidélium veneratióne cólitur. Eum Clemens Papa undécimus catálogo Sanctórum adscrípsit.

℟. iii. Christi plantas osculári fixas Cruci géstiit: sed pro vita sui cari pedes ista rétrahit: * Tóxico imbútis dari óscula prohíbuit, Allelúia. ℣. Absit mihi gloriári, absit óscula venári, nisi in Cruce Dómini. - Tóxico imbútis dari. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Pie, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Pie, secúndum nomen tuum ita et laus tua sit: laudat grex pastórem suum, nec laudáre súfficit, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Pii vigil prudéntia firmávit Sedem Petri, monstra fugans horréntia, ut rádius fulgétri, allelúia.

3. Æqua Pii iustítia, rectíficans statéram, mundi depréssit vítia, lancem tenens sincéram, allelúia.

4. Constans Pii fortitúdo hæresim compéscuit, animíque magnitúdo toti orco réstitit, allelúia.

5. Pii temperántia in carnis fragrántia cælitus monstrátur: rigor abstinéntiæ dono continéntiæ pie coronátur, allelúia.

Capitulum Baruch 5

Circúmdabit te Deus diplóide iustítiæ et impónet mitram cápiti honóris ætérni; osténdet splendórem suum in te omni qui sub cælo est. Nominábitur enim tibi nomen a Deo: Pax iustítiæ et honor pietátis.

Hymnus

Auróra cæli púrpura,
Aspérge rorem flóribus:
Pii triúmphos éxplica
Circúmdatos fulgóribus.

Zelósus iste Phínees
Sacris stetit pro mœnibus,
Ut bárbaros acínaces
Arcéret a fidélibus.

Hic disciplínam móribus
Cura revéxit sédula,
Et ímpiis erróribus
Obiécit hic repágula.

Pii talénta lárgitas
Non vinxit in sudário:
Necessitátes públicas
Toto iuvans ærário.

Pater benígnus páuperum,
Manus habens tornátiles,
Pavit greges famélicos
Effusióne múnerum.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Bened. ant. Pie, pastor mirífice, tuárum memor óvium, sta coram summo Iúdice pro pártibus fidélium, allelúia.

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes et ad divínum cultum reparándum beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus deféndi præsídiis et ita tuis inhærére obséquiis, ut ómnium hóstium superátis insídiis perpétua pace lætémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 49

Ipse est diréctus divínitus in pæniténtiam gentis: princeps fratrum, firmaméntum gregis, stabiliméntum pópuli.

℟. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 47

De omni corde suo laudávit Dóminum et diléxit Deum, qui fecit illum: et dedit illi contra inimícos poténtiam.

℟. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Pie, secúndum nomen tuum ita et laus tua sit: laudat grex pastórem suum, nec laudáre súfficit, allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Baruch 5

Circúmdabit te Deus diplóide iustítiæ et impónet mitram cápiti honóris ætérni; osténdet splendórem suum in te, omni qui sub cælo est. Nominábitur enim tibi nomen a Deo: Pax iustítiæ et honor pietátis.

Hymnus

Pio beáto iúbilos
Canóra pangant órgana,
Nimbósque pellant núbilos
Sacræ diéi gáudia.
Hic Míchaël certámine
Fregit dracónis ímpetum:
Piíque sumpto nómine,
Hostem représsit ímpium.
Ecclésiæ perícula
Umbóne firmo dépulit:
Sectariórum spícula
Mucróne forti méssuit.
Ab incolátu dæmonum
Obséssa purgans córpora:
A retiáclo críminum
Solvit reórum péctora.
Quanto magis nunc dúplices
Sibi favóres spóndeant,
Nomen Pii qui súpplices
Votis frequénter ínvocant!
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Pie, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Qui exáltat húmiles Pium exaltávit et in Apostólica Sede collocávit, allelúia.

Completorium de feria.

Die 7 maii

S. Stanislai

Episcopi et Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Stanisláus, apud Cracóviam nóbili génere natus, quem pii paréntes, per trigínta annos stériles, a Deo précibus impetrárunt, ab ineúnte ætáte futúræ sanctitátis spécimen dedit. Adoléscens in sacra cánonum ac theologíæ doctrína multum profécit. Paréntibus mórtuis, amplum patrimónium paupéribus distríbuit, vitæ monásticæ desidério. Sed, Deo áliter disponénte, canónicus Cracoviénsis et concionátor factus a Lampérto episco-

po, in eius póstea locum, quamvis invítus, sufféctus est. Quo in múnere ómnium pastorálium virtútum laude et præcípue misericórdia in páuperes enítuit. Bolesláum Polóniæ regem, sæpius ob mores corrúptos frustra admónitum, a fidélium communióne remóvit. Qui idcírco iracúndia furens, mílites in ecclésiam immíttit, ut sanctum epíscopum confódiant; sed, cum divínitus fuíssent depúlsi, ímpius rex sacerdótem Dei, Hóstiam immaculátam ad altáre offeréntem, sua manu obtrúncat. Multis miráculis Servi sui sanctitátem Deus declarávit post eius mortem, quibus permótus Innocéntius quartus illum in Sanctórum númerum rétulit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, pro cuius honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus, ut omnes, qui eius implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollet eum; et omnem qui fert fructum purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Tu autem.

Die 8 maii

Beatæ Mariæ Virginis Omnium Gratiarum Mediatricis

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Christum Redemptórem, qui bona ómnia nos habére vóluit per Maríam, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus

Christus, humáni géneris misértus,
Morte nos ictos mérita, supérnam
Rursus ad vitam génuit, suóque
Sánguine tersit.

O pium flumen, scelus omne purgans!
O inexháustum pélagus bonórum,
Unde septéno fluit usque fonte,
Vita salúsque!
Hos tamen sacros látices redémptis
Quis ministrábit? Datur hoc Maríæ
Munus, ut divæ moderétur undæ,
Arbitra, cursum.
Cuncta, quæ nobis méruit Redémptor,
Dona partítur génetrix María,
Cuius ad votum sua fundit ultro
Múnera Natus.
Te per ætérnos venerémur annos,
Trínitas, summo celebránda plausu:
Te fide mentes, resonóque linguæ
Cármine laudent. Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano, allelúia.

Psalmi I Nocturni festorum B. Mariæ V. [21].

Ant. 2 Manus meæ stillavérunt myrrham, et dígiti mei pleni myrrha probatíssima, allelúia.

Ant. 3 Vadam ad montem myrrhæ et ad collem thuris, allelúia.

℣. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, allelúia. ℟. Sancta Dei Génetrix, allelúia.

Benedictiones de B. Maria V. secundum ordinem feriarum.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 24

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego feci in cælis ut orirétur lumen indefíciens, et sicut nébula texi omnem terram. Ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. Gyrum cæli circuívi sola et profúndum abýssi penetrávi, in flúctibus maris ambulávi, et in omni terra steti, et in omni pópulo et in omni gente primátum hábui: et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi: et in his ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor.

℟. i. In Sion firmáta sum et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Ierúsalem potéstas mea. * Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúia. ℣. Sicut cinnamó-

mum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris. - Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea, allelúia.

Lectio ii

Ego quasi terebínthus exténdi ramos meos, et rami mei honóris et grátiæ. Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso. Dixi: Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare: quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illuminábo omnes speránte in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum.

℟. ii. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: * Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini, allelúia. ℣. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. - Transíte.

Orátio
sancti Ephræm Syri
Diáconi ad Deíparam

Lectio iii

Dómina mea, sanctíssima Dei Génetrix et grátia plena, pélagus inexháustum divinárum secretarúmque largitiónum ac múnerum, bonórum ómnium erogátio, ómnium post Trinitátem Dómina, post Paráclitum álius consolátor, et post Mediatórem Mediátrix totíus mundi, vide meam fidem meúmque desidérium divínitus datum. Ne despícias indígnum, neque meárum actiónum fœditátes tuam imménsam misericórdiam interrúmpant, Dei Génetrix, meum desiderabilíssimum nomen; nihil enim est fírmius trophæum quam tuum auxílium. Tu enim abstulísti omnes lácrimas a fácie terræ; tu creatúram replésti omni génere benefícii, cæléstibus lætítiam attulísti, terréstria salvásti. Per te resurrectiónis nostræ tésseram certíssimam tenémus; per te cæléste regnum nos consecutúros esse sperámus; per te omnis glória, honor et sánctitas ab ipso primo Adam et usque ad consummatiónem sæculi Apóstolis, Prophétis, iustis et humílibus corde, sola immaculáta, deriváta est, derivátur et derivábitur; atque in te gaudet, grátia plena, omnis creatúra.

℟. iii. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, Allelúia. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. - Ut misericórdiam. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput eius, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. In ætérnum misericórdia eius, et usque in generatiónem et generatiónem, allelúia.

3. Benedícam te in vita mea, et in nómine tuo levábo manus meas, allelúia.

4. Non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, allelúia.

5. Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, allelúia.

Capitulum Is. 55

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas; et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

María, quæ mortálium
Preces amánter éxcipis,
Rogámus ecce súpplices,
Nobis adésto pérpetim.

Adésto, si nos críminum
Caténa stringit hórrida;
Cito resólve cómpedes,
Quæ corda culpisílligant.

Succúrre, si nos sæculi
Fallax imágo péllicit,
Ne mens salútis trámitem,
Oblíta cæli, déserat.

Succúrre, si vel córpori
Advérsa sors impéndeat;
Fac sint quiéta témpora,
Ætérnitas dum lúceat.

Tuis et esto fíliis
Tutéla mortis témpore,
Ut, te iuvánte, cónsequi
Perénne detur præmium.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Eia ergo, advocáta nostra, allelúia. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúia.

Ad Bened. ant. Absque tuo império non movébit quisquam manum aut pedem in omni terra, allelúia.

Oratio

Dómine Iesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es: concéde propítius ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem
Cap. 19

In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu mater eius et soror matris eius, María Cléophæ, et María Magdaléne. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Sub tuum præsídium omnes confúgimus, * Allelúia, allelúia. Sub tuum. ℣. Sancta Dei Génetrix. Allelúia. Glória. Sub tuum.

℣. Nostras deprecatiónes ne despícias, allelúia. ℟. In necessitátibus nostris, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 55

Audíte, audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclináte aurem vestram et veníte ad me: audíte, et vivet ánima vestra.

℟. Nostras deprecatiónes ne despícias, * Allelúia, allelúia. Nostras. ℣. In necessitátibus nostris. Allelúia. Glória. Nostras.

℣. A perículis cunctis líbera nos semper, allelúia. ℟. Virgo gloriósa et benedícta, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Is. 55

Ecce gentem quam nesciébas vocábis, et gentes quæ te non cognovérunt ad te current propter Dóminum Deum tuum et Sanctum Israël, quia glorificávit te.

℟. A perículis cunctis líbera nos semper, * Allelúia, allelúia. A perículis cunctis. ℣. Virgo gloriósa et benedícta. Allelúia. Glória. A perículis cunctis.

℣. Eia ergo, advocáta nostra, allelúia. ℟. Misericórdes óculos tuos ad nos convérte, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus, et testaméntum suum confirmávit super caput eius, allelúia.

Psalmi ut in festis B. Mariæ V. [33].

Capitulum Is. 55

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas; et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto et absque ulla commutatióne vinum et lac.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos,

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis, Mediátrix nostra potentíssima, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Salus nostra in manu tua est; réspice nos tantum, et læti serviémus Regi Dómino, allelúia.

Oratio

Dómine Iesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te mediatrícem constitúere dignátus es: concéde propítius ut, quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre.

AD COMPLETORIUM

Antiphona et psalmi de feria.

Ad Nunc dimittis ant. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génetrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta, allelúia.

Die 9 maii

S. Gregorii Nazianzeni

Episc., Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Gregórius Nazianzénus, nóbilis Cáppadox, ob singulárem divinárum Litterárum sciéntiam, Theólogi cognómen consecútus, Athénis in omni disciplinárum génere una cum sancto Basilío erudítus, ad stúdia sacrárum Litterárum se convértit. Primum Sasimórum episcopus creátus est, deínde Nazianzénam ecclésiam administrávit. Tum Constantinópolim ad eam regéndam ecclésiam accersítus, cum civitátem erróribus háresum purgátam ad cathólicam fidem reduxísset, quod ei ómnium amórem conciliáre debébat, multórum parávit invídiam. Itaque, cum inter episcopos magna proptérea esset facta seditio, sponte cedens episcopátu, illud prophétæ dictum usurpávit: Si propter me commóta est ista tempéstas, deícite me in mare, ut vos iactári desinátis. Naziánzum revérsus, cum illi ecclésiæ Eulálium præficiéndum curásset, se totum ad oratiónem et stúdium rerum divinárum cóntulit. Egrégie multa scripsit solúta oratióne ac vérsibus, et consubstantialitátis Fílii fuit acérrimus propugnátor. Imperatóre Theodósio, ad cæléstem vitam sénio confectus migrávit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Gregórium minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 10 maii

S. Antonini

Episcopi et Conf. O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. O virgo, o doctor, o vigil et bone pastor, vota nostra et voces ne déspice: sed qui te láudibus éfferunt pietátis sinu compléctere, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 44

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est iustus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

℟. Vir Dei Antonínus, cum bonum certámen certásset, cursum consummásset, fidem servásset, in agóne mortis pósitus lætánter dixit: * Servíre Deo regnáre est, Allelúia. ℣. De réliquo repósita est mihi coróna iustítiæ. - Servíre. - Glória. - Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 1052.

Ad Magnif. ant. Te vírginum chorus laudat, te doctórum cœtus prædicat, te unánimi voce sancti Præsules Præsulem admirántur: o beáte Antoníne, nos te quoque laudántes patérnis semper óculis intuére, allelúia.

Oratio

Sancti Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur: ut, sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Adorémus Sacerdótem magnum Christum * In solemnitáte sancti Præsulis Antoníni, allelúia.

Hymnus

Atræ noctis obscúritas
Antoníni fulgóribus
Fugátur, qui prodígiis
Vitæ et signórum rádiat:

Virginitáte níveus,
Doctrínæ luce spléndidus,
Præsul et pastor óptimus,
Clarum virtútis spécimen.

Pauper amávit páuperes,
In míseros miséricors,
Intrépidus in pérditos,
Plusquam mitis in húmiles.

Quam potens apud Dóminum,
Qui mortis iura súbruit,
In hanc lucem dum révocat
Mortis revínctum néxibus!

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Beátus Antonínus a puerítia in Prædicatórum órdine plantátus, fructum póstea sanctitátis et doctrínæ dedit, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Dum non posset a se proícere iugum præsulátus, prædicávit præcéptum Dómini, constitútus in monte sancto eius, allelúia.

Ant. 3 Non dormívit neque soporátus est, cum Dóminus ad sacerdótium caput eius exaltávit, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

De libro Iob

Lectio i Cap. 29

Quando procedébam ad portam civitátis, et in platéa parábant cáthedram mihi: vidébant me iúvenes et abscondebántur: et senes assurgéntes stabant. Príncipes cessábant loqui et dígitum superponébant ori suo. Vocem suam cohibébant duces, et lingua eórum gútturi suo adhærébat. Auris áudiens beatificábat me, et óculus videns testimónium reddébat mihi: eo quod liberássem páuperem vociferántem et pupíllum cui non esset adiútor. Benedíctio peritúri super me veniébat, et cor víduæ consolátus sum.

℟. i. Iustítia indútus sum, et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, iudício: * Pater eram páuperum: óculus fui cæco et pes claudo, allelúia. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus: iustítia eius manet in sæculum sæculi. - Pater eram páuperum.

Lectio ii

Iustítia indútus sum et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, iudício meo. Oculus fui cæco et pes claudo; pater eram páuperum, et causam quam nesciébam diligentíssime investigábam. Conterébam molas iníqui et de déntibus illíus auferébam prædam. Dicebámque: In nídulo meo móriar et sicut palma multiplicábo dies. Radix mea apérta est secus aquas et ros morábitur in messióne mea. Glória mea semper innovábitur et arcus meus in manu mea instaurábitur. Qui me audiébant exspectábant sententiam, et inténti tacébant ad consílium meum.

℟. ii. O virum mirábilem, quem tanta signórum potestáte Dóminus decorávit, * Ut étiam unigénitum patris ad vitam revocáverit! Allelúia. ℣. Erat enim magnus in ópere et sermóne, et rerum mirabílium patrátor. - Ut étiam.

Lectio iii

Antonínus, Floréntiæ honéstis paréntibus natus, ab ipsa puerítia egrégium futúræ sanctitátis spécimen exhíbuit. Annum agens sextum décimum, religiónem Prædicatórum ampléxus, cœpit exínde máximis clarére virtútibus. Singulári fuit abstinéntia, et virginitátem integérrime semper cóluit. In explicándis consíliis tantæ fuit dexteritátis, ut Antonínus consiliórum dicerétur. Ab Eugénio quarto Florentínus archiepíscopus renuntiátus, ægérrime tandem, nec nisi apostólicis minis perterrefáctus, ut episcopátum accíperet, acquiévit. In eo múnere

prudéntia, pietáte, caritáte, mansuetúdine et sacerdotáli zelo excélluit. Omnes fere sciéntias, nullo adhíbito præceptóre, absolutíssime dídicit, et multos insígnis doctrínæ libros scripsit. Obiit in Dómino sexto Nonas maii, anno millésimo quadringentésimo quinquagésimo nono, et ab Hadriáno sexto in album Sanctórum fuit relátus.

℟. iii. Vir Dei Antonínus, cum bonum certámen certásset, cursum consummásset, fidem servásset, in agóne mortis pósitus lætánter dixit: * Servíre Deo regnáre est, Allelúia. ℣. De réliquo repósita est mihi coróna iustítiæ. - Servíre Deo regnáre est, allelúia. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Antoníne, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Beátus Antonínus, ad præsulátum quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Pater eram páuperum: óculus fui cæco et pes claudo, allelúia.

3. Constánti péctore pro lege Dei advérsus ímpios murum se válidum oppósuit, allelúia.

4. Accépi disciplínam et non pecúniam: doctrínam magis quam aurum elégi, allelúia.

5. In humilitáte magnus, in paupertáte dives, in córpore ángelus: o beáte Antoníne, ora pro nobis, quæsumus, allelúia.

Capitulum Eccli. 44

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est iustus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Cum sol ad cursum próperat,
Ad te, Præsul, confúgimus:
Qui tuas laudes cánimus
Tuas sub alas prótege.

Tu, qui tot a corpóribus
Morbos depéllis hóminum,
Casus afflíctos míserans,
Eménda nostras ánimas.

Tot iam malis attérimur,
In tot lapsus incídimus,
Ut pæne spes nos déserat,
Dextram nisi porréxeris.

Virgo, perpúrga córpora,
Doctor, ánimos ínstrue,
Pastor, egénos réfice:
Tibi cuncta debébimus.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Bened. ant. Sanctus Antonínus vere est glorificándus, cui morbi cedunt, eleménta parent, et mors inexorábilis ad eius nutum tremit, allelúia.

Oratio

Sancti Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur: ut, sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

Memoria Ss. Gordiani et Epimachi Mm.

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 24

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte quóniam, si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique et non síneret pérfodi domum suam. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 45

Dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ: et beatificávit illum in glória.

℟. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, *Allelúia, allelúia. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

Oratio

Sancti Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis méritis adiuvémur: ut, sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 50

Curávit gentem suam et liberávit eam a perditióne: et adéptus est glóriam in conversatióne gentis.

℟. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Beátus Antonínus, ad præsulátum quasi ad cruciátum raptus, doctrína et móribus gregem suum pavit, allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Eccli. 44

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est iustus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio.

Hymnus

Ut Antoníni glóriam
Concinámus ubérius,
Affláre nunc pectóribus
Nostris, Deus omnípotens.

Is, téneris ab únguibus
Sacros edóctus cánones,
Mundi spretis illécebris,
Christi se iugo súbdidit.

Prædicatórum órdinem
Delégit inter céteros,
Ut lítteris et móribus
Incúmberet ardéntius.

Sed non bene sub módio
Lumen ardens occúlitur:
Ad præsulátum tráhitur,
Lucens, inflámmans pópulos.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Antoníne, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Dux fídei, pietátis doctor, mundi lampas, sacerdótum decor, fecísti quæ docébas, despíciens carnem, adhærens Deo permanénti: beáte Antoníne, cum ascendénte Christo cælos ascendísti: ne derelínquas nos órphanos in hoc exsílio, allelúia, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 11 maii

Ss. Philippi et Iacobi Apostolorum

II classis

Omnia de Communi Apostolorum temporis paschalis [155], præter hic posita.

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur: ℟. Tanto témpore 1054.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Incipit Epístola cathólica beáti Iacóbi Apóstoli

Lectio i Cap. 1

Iacóbus, Dei et Dómini nostri Iesu Christi servus, duódecim tríbubus, quæ sunt in dispersióne, salútem. Omne gáudium existimáte, fratres mei, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo æstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis.

℟. i. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. - Testimónium.

Lectio ii

Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos feni transíbit. Exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fenum, et flos eius décidit, et decor vultus eius depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit,

accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo, cum tentátur, dicat quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus et illéctus. Deínde concupiscéntia, cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero, cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolíte ítaque erráre, fratres mei dilectíssimi.

℟. ii. Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia: modo venérunt ad fontes: * Repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Agni amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. - Repléti sunt.

Lectio iii

Philíppus Bethsáidæ natus, unus ex duódecim Apóstolis, cuius non semel sacra Evangélia meminérunt, accépto Spíritu Sancto, cum ei Schýthia ad prædicándum Evangélium obtigísset, omnem fere illam gentem ad christiánam fidem convértit. Postrémo cum Hierápolim Phrýgiæ venísset, pro Christi nómine cruci affíxus lapidibúsque óbrutus est. Eius corpus ibídem a Christiánis sepúltum, póstea Romam delátum, in basílica duódecim Apostolórum una cum córpore beáti Iacóbi Apóstoli cónditum est. - Iacóbus, frater Dómini, cognoménto Iustus, ab ineúnte ætáte vinum et síceram non bibit, carne abstínuit, numquam tonsus est, nec unguénto nec bálneo usus. Cui étiam assidúitas orándi ita callum génibus obdúxerat, ut durítie caméli pellem imitarétur. Ab Apóstolis post Ascensiónem Dómini Ierosolymórum Episcopus ordinátus, cum plures annos illi Ecclésiæ sanctíssime præfuísset, Christum Dei Fílium constantíssime prædicans, lapídibus primum appetítus, mox in altíssimum templi locum addúctus, inde præcipitátur. Qui, cum confráctis crúribus adhuc semivívus, tendens in cælum manus, díceret, Dómine, ignósce illis, quia nésciunt quid fáciunt: fullónis fuste gráviter in cápite percússus, ánimam Deo réddidit, séptimo Neróns anno.

℟. iii. Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? * Philíppe, qui videt me, videt et Patrem, allelúia: non credis quia ego in Patre, et Pater in me est? Allelúia, allelúia. ℣. Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. - Philíppe, qui videt me. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem, allelúia. ℟. Timéntibus nomen tuum, Dómine, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum, allelúia.

3. Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum, allelúia.

4. Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis: et ámodo cognoscétis eum, et vidístis eum, allelúia, allelúia, allelúia.

5. Si diligerétis me, gauderétis útique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est, allelúia.

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, allelúia. ℟. Et facta eius intellexérunt, allelúia.

Ad Bened. ant. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint, quodcúmque petiéritis, fiet vobis, allelúia, allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Philíppi et Iacóbi solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut, quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 14

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis, allelúia.

Psalmi de Communi Apostolorum [47].

Ad Magnif. ant. Non turbétur cor vestrum, neque formídet: créditis in Deum, et in me crédite: in domo Patris mei mansiónes multæ sunt, allelúia, allelúia.

Completorium de dominica.

Die 12 maii

Ss. Nerei, Achillei et Pancratii

Martyrum

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia.

℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Semper nos, Dómine, Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei atque Pancrátii fóveat, quæsumus, beáta solémnitas, et tuo dignos reddat obséquio. Per.

Die 13 maii

B. Imeldæ Virginis O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam, allelúia.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia.

℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui beátam Vírginem Iméldam, ignító caritátis amóre sauciátam et immaculáta Hóstia mirabíliter refóctam, in cælum

suscepísti: fac nos eius intercessióne eódem caritátis fervóre ad sacram mensam accédere, ut appetámus dissólvi et esse tecum mereámur: Qui vivis.

Die 15 maii

S. Ioannis Baptistæ de la Salle

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Ioánnes Baptísta de la Salle, Rhemis claro génere ortus, adoléscens in Rheménsi academía lítteras ac philosophíam dídicit. Clericáli milítiæ adscríptus, sextodécimo ætátis anno inter canónicos Rheménses adscítus fuit, et póstea Parísiis in Sulpitiánum seminárium recéptus. Sacerdótio auctus, Sorórum a Iesu infánte, quæ puéllis educándis incúmbunt, régimen suscépit, quas prudentíssime moderátus est ac deféndit. Púeris de plebe religióne bonísque móribus informándis, post plúrimas contradictiónes, fundávit fratrum sodalitátem, quam a Scholis christiánis nuncupávit, a Benedícto décimo tértio deínde confirmátam. Abdicáto canonicátu, suísque bonis in páuperes erogátis, et fundáti a se institúti regímine ex humilitáte dimísso, virtútibus et méritis onústus, obdormívit in Dómino, annos natus duo de septuagínta. Eum Leo Papa décimus tértius primo Beatórum catálogo inséruit, dein in album Sanctórum rétulit. Pius vero duodécimus ómnium Magistrórum púeris adolescentibúsque instituéndis præcípuum apud Deum cæléstem patrónum constítuit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui ad christiánam páuperum eruditiónem et ad iuvéntam in via veritátis firmándam sanctum Ioánnem Baptístam Confessórem excitásti et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti: concéde propítius ut, eius intercessióne et exémplo, stúdio glóriæ tuæ in animárum salúte fervéntes, eius in cælis corónæ partícipes fíeri valeámus. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 18

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Iesum, dicéntes: Quis, putas, maior est in regno cælórum? Et ádvocans Iesus párvulum, státuit eum in médio eórum et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Tu autem.

Die 18 maii

S. Venantii

Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Venántius Camers, quíndecim annos natus, christiánæ religiónis accusátus apud Antíochum, qui sub Décio imperatóre Cameríno præerat, in porta civitátis præsidi se óbtulit. Quem ille pollicitatiónibus ac terróribus diu tentátum, flagris cædi et vínculis astríngi iussit; e quibus mirabíliter ab Angelo solútus, lampádibus póstea adúritur, atque invérso ore, fumo suppósito, suspénditur. Eídem, ad præsidem íterum addúcto, omnes contúsi sunt dentes maxillæque confráctæ, atque ita cæsus in sterquilínium deícitur. Sed inde ab Angelo eréptus, rursus stetit ante iúdicem; qui, Venántio adhuc loquénte, e tribunáli cécidit et in ea voce, Verus est Venántii Deus, nostros deos destrúite, exclámans exspirávit. Demum, post nova et exquisíta torménta, una cum áliis decem gloriósi certáminis cursum cervícibus abscíssis implévit. Quorum córpora Christiáni honorífico loco sepeliérunt: quæ Cameríni, in ecclésia Venántio dicáta, cóndita sunt.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die solemnitátis. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti, exáudi preces pópuli tui: et præsta ut, qui eius mérita veneramur, fídei constántiam imitémur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Ioánnem

Cap. 15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum vitis vera et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum tollet eum; et omnem qui fert fructum purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Tu autem.

Die 19 maii

S. Petri Cælestini

Papæ et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Petrus, a nómine quo Póntifex est appellátus, Cælestínus dictus, honéstis catholicísque paréntibus Æsérniæ in Samnítibus natus, adolescéntiam vix ingréssus, ut ánimum a mundi illécebris custodíret, in solitúdinem secéssit. Ibi contemplatiónibus mentem nútriens, corpus in servitútem rédigens, férream caténam ad nudam carnem adhibébat. Congregatiónem, quæ póstea Cælestinórum dicta est, sub régula sancti Benedícti instítuit. Hinc, quasi lucérna supra candelábrum pósita, cum abscóndi nequíret (Romána Ecclésia diu viduáta pastóre), in Petri Cáthedram ignórans et absens adscítus, magna novitátis admiratióne non minus quam repentíno gáudio cunctos affécit. Cum autem in pontificátus sublimitáte collocátus, váriis disténtus curis, assuétis incúmbere meditatiónibus vix posse cognósceret, óneri páriter et honóri voluntárie cessit. Indéque priscam vitæ ratiónem répetens, obdormívit in Dómino, eiúsque pretiósam mortem crux præfúlgens in áëre ante cubículi óstium réddidit ámplius glorióSam. Miráculis multis tam vivens quam post óbitum cláruit; quibus rite examinátis, Clemens quintus, anno postquam decéssit undécimo, eum Sanctórum número adscrípsit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die solemnitátis. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Cælestínum ad summi Pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius ut eius exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus prǽmia pervenire felíciter mereámur. Per.

Memoria S. Pudentianæ Virg.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam, allelúia.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Pudentiánæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 19

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos relíquimus ómnia et secúti sumus te; quid ergo erit nobis? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël. Tu autem.

Die 24 maii

In Translatione S. P. N. Dominici

III classis

AD MATUTINUM

Invit. Adsunt Domínici læta solémnia: * Laude multíplici plaudat Ecclésia, allelúia.

Hymnus

Novus athléta Dómini
Collaudétur Domínicus,
Qui rem confórmat nómini,
Vir factus evangélicus.

Consérvans sine mácula
Virginitátis lílium,
Ardébat quasi fácula
Pro zelo pereúntium.

Mundum calcans sub pédibus,
Manum misit ad fórtia:
Nudus occúrrens hóstibus,
Christi suffúltus grátia.

Pugnat verbo, miráculis,
Missis per orbem frátribus:
Crebros adiúngens sédulis
Fletus oratiónibus.

Trino Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia.
Amen.

In Nocturno

Ant. 1 Præco novus et cælicus, missus in fine sæculi, pauper fulsit Domínicus, forma prævísus cátuli, allelúia.

Psalmi I Nocturni de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Florem pudicítiæ servans illibátum, áttigit exímiæ vitæ cælibátum, allelúia.

Ant. 3 Documéntis ártium eruditus satis, tránsiit ad stúdium summæ veritátis, allelúia.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 48

Surréxit Elías prophéta, quasi ignis, et verbum ipsíus quasi fácula ardébat. Qui indúxit in illos famem, et irritántes illum invídia sua pauci facti sunt. Non enim póterant sustinére præcépta Dómini. Verbo Dómini contínuit cælum, et deiécit de cælo ignem ter. Sic amplificátus est Elías in mirabílibus suis. Et quis potest similiter sic gloriári tibi? Qui sustulísti mórtuum ab ínferis, de sorte mortis in verbo Dómini Dei.

℟. i. Felix vitis, de cuius súrculo tantum germen redúndat sæculo, * Cæli vinum propínans pópulo vitáli póculo, allelúia. ℣. Ex ubertáte pálmitum mundi iam cinxit ámbitum. - Cæli vinum.

Lectio ii

Qui deiecísti reges ad perníciem, et confregísti fácile poténtiam ipsórum, et gloriósos de lecto suo. Qui audis in Sina iudícium, et in Horeb iudícia defensiónis. Qui ungis reges ad pæniténtiam, et prophétas facis successóres post te. Qui recéptus es in túrbine ignis, in curru equórum igneórum. Qui scriptus es in iudíciis témporum leníre iracúndiam Dómini: conciliáre cor patris ad fílium et restitúere tribus Iacob. Beáti sunt qui te vidérunt et in amicítia tua decoráti sunt: nam nos vita vívimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen nostrum. Elías quidem in túrbine tectus est, et in Eliséo complétus est spíritus eius: in diébus suis non pertímuit príncipem, et poténtia nemo vicit illum. Nec superávit illum

verbum áliquod, et mórtuum prophetávit corpus eius. In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

℟. ii. Ascendénti de valle lúbrici mundi, chori plaudunt angélici: * Iesu bone, prece Domínici, tibi præsta nos gratos éffici, allelúia. ℣. Per quem multos a morte súscitas, pœnas nobis reláxa débitas. - Iesu bone.

Lectio iii

Anno millésimo ducentésimo trigésimo tértio, die vicésima quarta mensis maii, dum fratrum multitúdo ad capítulum generále Bonóniæ convénerat, acta est prima translátio córporis beáti Patris Domínici, quod iam annos duódecim húmili loco quiescébat. Statúta ígitur hora, cum túmuli lapis ablátus esset, miríficus quidam odor ex forámine exhaláre cepit, qui remóta capsæ tábula, Bonóniam quoque invadéndo exhilarávit. Deláto deínde córpore ad marmóreum monuméntum, Missárum solémnia ab archiepíscopo Ravennaténsi, pontifício legáto, celebráta sunt; et cum dies tértius post Pentecósten elucéret, intróitus « Accípite iucunditátem glóriæ vestræ », choro præcinénte insónuit; quam vocem quasi de cælis sonántem fratres in sua iucunditáte suscípiunt. Et ecce tubæ cóncrepant, dum innúmeram cereórum multitúdinem pópuli érigunt, et « Benedíctus Christus » úndique resúltat.

℟. iii. O spem miram, quam dedísti mortis hora te fléntibus, dum post mortem promisísti te profutúrum frátribus! * Imple, Pater, quod dixísti, nos tuis iuvans précibus, Allelúia. ℣. Qui tot signis claruísti in ægrórum corpóribus, nobis opem ferens Christi, ægris medére móribus. - Imple, Pater. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Iúdice pro tuo cœtu páuperum, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Pauper in pecúlio, dives vita pura, paupertátis prétio cæli tenet iura, allelúia.

3. Scala cælo próminens fratri revelátur, per quam Pater tránsiens sursum ferebátur, allelúia.

4. Linguæ, manus stúdio scalam hanc eréxit, quam Virgo cum Fílio Mater sursum vexit, allelúia.

5. Fulget in choro vírginum doctor veritátis, sertum honóris géminum gerens cum beátis, allelúia.

Capitulum Eccli. 50

Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus

Hymnum novæ lætítiæ,
Dulci prodúctum cántico,
Noster deprómat hódie
Chorus sancto Domínico.

Vergénte mundi véspere,
Novum sidus exóritur,
Et clausis culpæ cárcere
Præco salútis míttitur.

Doctrínam evangélicam
Spargens per orbis cárdinem,
Pestem fugat hæréticam,
Novum prodúcens Ordinem.

Hic est fons ille módicus,
Crescens in flumen máximum,
Qui mundo iam miríficus
Potum largítur óptimum.

Trino Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Bened. ant. Carnis viror, mentis martýrium, mundum replens linguæ præcónium, pauper Christi, post cursus stádium, vitæ tibi mercántur prémium, allelúia.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde ut, eius intercessióne, temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Amávit eum Dóminus et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde ut, eius intercessióne, temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper proficiat increméntis. Per.

AD SEXTAM

Capitulum Is. 59

Spíritus meus, qui est in te, et verba mea, quæ pósui in ore tuo, non recédent de ore tuo et de ore séminis tui, dicit Dóminus, ámodo et usque in sempitérnum.

℟. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia, allelúia. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Malach. 2

Lex veritátis fuit in ore eius, et iníquitas non est invénta in lábiis eius: in pace et æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte.

℟. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum, sta coram summo Iúdice pro tuo cœtu páuperum, allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris [107].

Capitulum Eccli. 50

Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis, et quasi sol refúlgens, sic iste effúlsit in templo Dei.

Hymnus

Gaude, mater Ecclésia,
Lætam agens memóriam,

Quæ novæ prolis gáudia
Mittis ad cæli cúriam.

Prædicatórum órdinis
Dux et Pater Domínicus
Mundi iam fulget términis,
Civis efféctus cælicus.

Carnis liber ergástulo,
Cæli potítur glória:
Pro paupertátis cíngulo
Stola dotátur régia.

Fragrans odor de túmulo
Cum virtútum frequéntia,
Clamat pro Christi fámulo
Summi Regis magnália.

Trino Deo et símplici
Laus, honor, virtus, glória,
Qui nos prece Domínici
Ducat ad cæli gáudia.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice, allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

Ad Magnif. ant. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice, allelúia.

Completorium de feria.

Die 25 maii
S. Urbani I
Papæ et Martyris
Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Coróna áurea super caput eius, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

Die 26 maii
S. Philippi Nerii
Confessoris
III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Philíppus Nérius, piis honestísque paréntibus Floréntiæ natus, ampla pátrui hereditáte dimíssa, Romam se cóntulit, ubi, philosophía ac sacris lítteris erudítus, totum se Christo dicávit. Sacérdos ex obediéntia factus, in animárum salúte procuránda totus fuit, et in confessiónibus audiéndis ad extrémum usque diem persevérans, innúmeros pæne fílios Christo péperit; quos verbi Dei quotidiáno pábulo, sacramentórum frequéntia, oratiónis assiduitáte, aliísque piis exercitatiónibus enutríri cúpiens, Oratórii

congregatiónem instítuit. Caritáte Dei vulnerátum tanto cor eius æstuábat ardóre, ut, cum intra fines suos continéri non posset, sinum, confráctis atque elátis duábus cóstulis, mirabíliter Dóminus ampliáverit. Prophetíæ dono fuit illústris, et in animórum sénsibus penetrándis mirífice enítuit. Virginitátem perpétuo illibátam servávit; idque assecútus est, ut eos, qui puritátem cólerent, ex odóre, qui vero secus, ex fœtóre dignósceret. Anno salútis millésimo quingentésimo nonagésimo quinto, octogenárius obdormívit in Dómino.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius ut, cuius solemnitáte lætámur, eius virtútum proficiámus exémplo. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, conféstim apériant ei. Tu autem.

Die 27 maii

S. Bedæ Venerabilis

Conf. et Eccl. Doct.

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Beda présbyter, Girvi in Británniæ et Scótiæ fínibus ortus est. Mónachus factus, vitam sic instítuit, ut, dum se ártium et doctrinárum stúdiis totum impénderet, nihil umquam de regulári disciplína remítteret. Nullum fuit doctrínæ genus, in quo non esset diligentíssime versátus; sed præcípua illi cura fuit divinárum Scripturárum meditátio, ita ut, sacerdótio initiátus, sacros explanáre libros aggréssus sit; in quo sanctórum Patrum doctrínis ádeo inhæsit, ut nihil proférret nisi illórum iudício comprobátum, eorúndem étiam fere verbis usus. Otium perósus semper, ex lectióne ad oratiónem transíbat, ac vicíssim ex oratióne ad lectiónem. Emendándis fidélium móribus, fídei vindicándæ atque asseréndæ libros plures conscrípsit, quibus tantam sui apud omnes opiniónem fecit, ut eius scripta, eo adhuc vivénte, públice in ecclésiis legeréntur. Ætáte demum et labóribus fractus, pie obdormívit in Dómino. Eum Leo décimus tértius universális Ecclésiæ Doctórem declarávit.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ Confessóris tui atque Doctóris eruditióne claríficas: concéde propítius fámulis tuis eius semper illustrári sapiéntia, et méritis adiuvári. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Tu autem.

Die 29 maii

Bb. Guillelmi O. P. et Sociorum

Martyrum

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Deus, pro cuius amóre ac fídei tuéndæ zelo beáti Guillélmus et sócii gládiis impiórum occubuére: præsta, quæsumus, ut eórum suffrágiis in fide stábiles, te semper ex ánimo diligámus. Per.

Die 31 maii
B. Mariæ Virg. Reginæ
II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Hæc est Regína vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génetrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo, intercéde pro nobis ómnibus, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 24

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.

℟. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, Allelúia. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. - Ut misericórdiam. - Glória. - Allelúia.

Hymnus et versiculus ut ad II Vesperas 1073.

Ad Magnif. ant. Beáta quæ credidísti quæ dicta sunt tibi a Dómino: cum Christo regnas in ætérnum, allelúia.

Oratio

Concéde nobis, quæsumus, Dómine: ut, qui solemnitátem beátæ Maríæ Vírginis Regínæ nostræ celebrámus; eius muníti præsídio, pacem in præsénti et glóriam in futúro cónsequi mereámur. Per.

Completorium de B. M. V. 1073.

AD MATUTINUM

Invit. Christum Regem, qui suam coronávit Matrem, * Veníte, adorémus, allelúia.

Hymnus

Rerum suprémo in vértice
Regína, Virgo, sísteris,
Exuberánter ómnium
Ditáta pulchritúdine.
Princeps opus formósior
Verbo creánti prænites,
Prædestináta Fílium,
Qui prótulit te, gígnere.
Ut Christus alta ab árbore
Rex purpurátus sánguine,
Sic passiónis párticeps,
Tu Mater es vivéntium.
Tantis decóra láudibus,
Ad nos ovántes réspice,
Tibíque sume grátulans
Quod fúndimus præcónium.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

In Nocturno

Tres antiphonæ et psalmi I Nocturni ut in festis B. M. V. [21], addito singulis antiphonis Allelúia.

℣. Salve, Regína misericórdiæ, allelúia. ℟. Ex qua natus est Christus, Rex noster, allelúia.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii
secúndum Lucam

Lectio i Cap. 1

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et réliqua.

Homília
sancti Bonaventúræ
Epíscopi

Sermo de regia dignitate B. Mariæ Virginis

Beáta María Virgo summi Regis mater est per generósam conceptiónem, secúndum quod dícitur in verbo sibi dicto ab Angelo: Ecce, inquit, concípies et páries fílium; et póstea: Dabit ei Dóminus sedem David patris eius, et regnábit in domo Iacob in ætérnum, et regni eius non erit finis. Ac si apérte dicat: Concípies et páries fílium Regem, in regáli sólio æternáliter residéntem, ac per hoc tamquam Mater Regis regnábis, et ut Regína in regáli sólio residébis. Si enim decet fílium honórem matri dare, decet ut ei commúnicet thronum regálem; unde Virgo María, quia concépit eum, qui habet in fémore scriptum: Rex regum et Dóminus dominántium, statim ex quo concépit Fílium Dei, Regína fuit, non solum terræ, sed étiam cæli, quod designátum est in Apocalýpsi ubi dícitur: Signum magnum appáruit in cælo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

℟. i. Ecce Virgo concípiet et páriet Fílium, et vocábitur nomen eius * Admirábilis, Deus, Fortis, allelúia. ℣. Super sólium David et super regnum eius sedébit in ætérnum. - Admirábilis.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio ii

María Regína est præclaríssima quantum ad glóriam, quod bene designat Prophéta in psalmo

qui speciáliter est de Christo et Vírgine María, ubi primo dícitur de Christo: Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, et paulo post de Vírgine: Adstitit regína a dextris tuis, hoc est in potióribus bonis, quod quidem dictum est quantum ad glóriam mentis. Séquitur: In vestítu deauráto, in quo exprímitur vestítus gloriósæ immortalitátis, quem décuit habére Vírginem in sua Assumptióne. Absit enim ut vestiméntum illud quo opértus est Christus, quod étiam fuit perfécte sanctificátum in terra per Verbum incarnátum, fiat cibus vérmium. Sicut décuit Christum dare grátiam Matri suæ plenissimam in sua Conceptióne, sic décuit tribúere plenissimam glóriam in ipsíus Matris Assumptióne. Et ídeo tenéndum est quod Virgo, gloriósa in ánima et córpore, sédeat iuxta Fílium.

℟. ii. Exaltáta es, sancta Dei Génetrix, * Super choros Angelórum ad cæléstia regna, allelúia. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Iesum Christum. - Super choros.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio iii

María Regína est et dispensátrix grátiæ, quod designátum fuit in libro Esther, ubi dícitur: Parvus fons qui crevit in flúvium, et in lucem et solem convérsus est. Virgo María sub figúra Esther comparátur diffusióni fontis et lúminis, propter diffusiónem grátiæ quantum ad dúplicem usum, actiónis scílicet et contemplatiónis. Grátia enim Dei, quæ est medicatíva géneris humáni, per ipsam ad nos descéndit quasi per aquædúctum, quia ad ipsam Vírginem pértinet dispensátio grátiæ non per modum princípii, sed per modum mériti. Mérito ígitur Virgo María est excellentíssima Regína in comparatiónem ad plebem, cum ímpetrat véniam, súperat pugnam, et distríbuit grátiam, et consequénter perdúcit ad glóriam.

℟. iii. Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, * Ut misericórdiam consequámur et grátiam inveniámus in auxílio opportúno, Allelúia. ℣. Ad te, Virgo, suspirámus, geméntes et flentes in hac lacrimárum valle. - Ut misericórdiam. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Exaltáta es, sancta Dei Génetrix, allelúia. ℟. Super choros Angelórum ad cæléstia regna, allelúia.

AD LAUDES

antiphonæ

1. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Solémnitas est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cuius vita ínclita cunctas illústrat Ecclésias, allelúia.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget: cuius précibus nos adiuvári mente et spíritu devotíssime póscimus, allelúia.

4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ, allelúia.

5. Cum iucunditáte Solemnitátem sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Iesum Christum, allelúia.

Capitulum Eccli. 24

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit,
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. María Virgo cælos ascéndit, allelúia. ℟. Cum Christo regnat in ætérnum, allelúia.

Ad Bened. ant. Regína mundi dignissima, María, Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium, allelúia.

Oratio

Concéde nobis, quæsumus, Dómine: ut, qui solemnitátem beátæ Maríæ Vírginis Regínæ nostræ celebrámus; eius muníti præsídio, pacem in præsénti et glóriam in futúro cónsequi mereámur. Per.

Memoria S. Petronillæ Virg.

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam, allelúia.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Petroníllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

Ad Horas antiphona et psalmi de feria.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Capitulum ut ad Vesperas.

℟. Salve, Regína misericórdiæ, * Allelúia, allelúia. Salve. ℣. Ex qua natus est Christus, Rex noster. Allelúia. Glória. Salve.

℣. Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, allelúia. ℟. In passióne sócia, totíus mundi Regína, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 24

In omni terra steti et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi.

℟. Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, * Allelúia, allelúia. Stabat iuxta crucem. ℣. In passióne sócia, totíus mundi Regína. Allelúia. Glória. Stabat iuxta crucem.

℣. Beátam me dicent omnes generatiónes, allelúia. ℟. Quia fecit mihi magna qui potens est, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 24

Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me, non peccábunt: qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Beátam me dicent omnes generatiónes, * Allelúia, allelúia. Beátam me dicent. ℣. Quia fecit mihi magna qui potens est. Allelúia. Glória. Beátam me dicent.

℣. María Virgo cælos ascéndit, allelúia. ℟. Cum Christo regnat in ætérnum, allelúia.

AD VESPERAS

Super psalmos ant. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David, allelúia.

Psalmi ut in festis B. Mariæ Virg. [33].

Capitulum Eccli. 24

Ego ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram: ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus.
Amen.

℣. Salve, Regína misericórdiæ, allelúia. ℟. Ex qua natus est Christus, Rex noster, allelúia.

Ad Magnif. ant. Beáta Mater et intácta Virgo María, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum, allelúia.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix, allelúia.

Psalmi de dominica.

Ad Nunc dimittis ant. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génetrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta, allelúia.

Die 1 iunii

S. Angelæ Mericiæ

Virginis

Memoria

AD LAUDES

Ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam, allelúia.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis, eius intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per.

Die 2 iunii

Bb. Sadoc et Sociorum

Martyrum O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Osténdat te nobis, Dómine Iesu, post hoc exsílium clemens et pia Virgo María mater tua: quam beáti Sadócus et sócii inter hostíles infidélium ímpetus incessánti voce salutántes, præoptátam martýrii palmam a te recípere meruérunt: Qui vivis et regnas.

Memoria Ss. Marcellini Presbyteri et Petri Exorcistæ Martyrum.

Ant. Isti sunt sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt: sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti! Allelúia.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent, allelúia. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum, allelúia.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni et Petri solemnitáte lætíficas: præsta, quæsumus, ut, quorum gaudémus méritis, provocémur exémplis. Per.

Die 3 iunii

Bb. Petri Sanz Episcopi et Sociorum

Martyrum O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátos Mártyres tuos Petrum Pontíficem eiúsque sócios, ad fidem géntibus prædicándam, pari firmitáte et caritáte donásti; præsta, quæsumus, eórum exémplo et intercessióne nos in tua fide permanére constántes. Per.

Die 4 iunii

S. Francisci Caracciolo

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Franciscus, dictus ántea Ascánius, ex nóbili família Carácciolo in óppido sanctæ Maríæ de Villa in Aprútio ortus est. Adoléscens gráviter ægrótans státuit sese prorsus Dei proximíque mancipáre servítio. Neápolim proféctus et sacerdótio initiátus, contemplatióni lucrandísque animábus se totum devóvit, ac extrémo supplício damnátis hortatórem se præbuit assíduum. Ioánni Augustíno Adórno et Fabrício Carácciolo, mira Dei dispositióne, adiúnctus, Clericórum regulárium Minórum órdinem instítuit, áddito ad tria consuéta áltero de non ambiéndis dignitátibus voto; quem, post óbitum Adórni, sanctíssime rexit, et summo stúdio per Hispániam et Itáliam propagávit. Erga sanctíssimæ Eucharístiæ sacraméntum tanto æstuábat affléctu, ut noctes pæne íntegras in eius adoratióne impénderet: quod pium exercítium, véluti sui órdinis tésseram, perpétuo in eo servándum constítuit. Tandem prophetíæ dono et córdium scrutatióne ditátus, quadragésimum quartum annum agens, in óppido Agnóni in Aprútio letháli febre corréptus, in Dómino obdormívit prídie Nonas iúnii, anno millésimo sexcentésimo octávo. Sacrum eius corpus, Neápolim delátum, in ecclésia sui órdinis cónditum est.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Franciscum, novi órdinis institutórem, orándi stúdio et pæniténtiæ amóre decorásti: da fámulis tuis in eius imitatióne ita profícere, ut, semper oántes et corpus in servitútem redigéntes, ad cæléstem glóriam pervenire mereántur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Lucam

Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis; ut, cum vénerit et pulsáverit, confestim apériant ei. Tu autem.

Die 6 iunii

S. Norberti

Episcopi et Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

Lectio iii

Norbértus, nobilíssimis paréntibus natus, adoléscens liberálibus disciplínis erudítus, in ipsa póstea imperatóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ milítiæ adscríbi vóluit. Sacris initiátus, prædicatióni verbi Dei se totum dedit. Innúmeros hæréticos ad fidem, peccatóres ad pæniténtiam, dissidéntes ad pacem et concórdiam revocávit. Desértum locum, qui Præmonstrátus dicebátur, in Laudunénsi diœcési sibi delégit; ibíque, trédecim sóciis aggregátis, Præmonstraténsem órdinem instítuit, qui mirífice propagátus est. Archiepíscopus Magdeburgénsis, licet relúctans, creátus, ecclesiásticam disciplínam, cælibátum præsértim, constánter propugnávit. Rhemis in concílio Innocéntium secúndum egrégie adiúvit, et Romam cum áliis epíscopis proféctus, schisma Petri Leónis compréssit. Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo centésimo trigésimo quarto, die sexta iúnii.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Deus, qui beátum Norbértum, Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fecundásti: præsta, quæsumus, ut, eiúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adiuvánte exercére valeámus. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum. Tu autem.

Die 8 iunii

S. Medardi

Episcopi et Confessoris

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Medárdi Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: ut, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

Die 9 iunii

Bb. Dianæ, Cæciliæ et Amatæ

Virginum O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ, allelúia.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam, allelúia. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi, allelúia.

Oratio

Deus, qui beátam Diánam Vírginem tuam admirábili spíritus fortitúdine donásti, eíque in terénda evangélicæ perfectiónis via beátas Cæcíliam et Amátam cómites dedísti: concéde propítius ut eárum exémplo roborémur in árduis, et in advérsis protegámur auxílio. Per.

Memoria Ss. Primi et Feliciani Martyrum.

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Oratio

Fac nos, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári, et eórum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentíre. Per.

Die 10 iunii

B. Ioannis Dominici

Episcopi et Conf. O. P.

Memoria

AD LAUDES

Ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Oratio

Deus, largítor caritátis, qui beátum Ioánnem Confessórem atque Pontíficem in conservánda Ecclésiæ unitáte instauranddáque regulári disciplína virtúte roborásti, per ipsíus intercessiónem tríbue nobis idípsum sentíre et fácere in Christo Iesu Dómino nostro: Qui tecum vivit et regnat.

Die 11 iunii

S. Barnabæ Apostoli

III classis

AD MATUTINUM

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 13

Cum dimissa esset synagóga, secúti sunt multi Iudæórum et coléntium advenárum Paulum et Bárnabam: qui loquéntes suadébant eis ut permanérent in grátia Dei. Sequénti vero sábbato pæne univérsa cívitas convénit audíre verbum Dei. Vidéntes autem turbas Iudæi, repléti sunt zelo et contradicébant his quæ a Paulo dicebántur, blasphemántes.

℟. i. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. - Testimónium resurrectiónis.

Lectio ii

Tunc constánter Paulus et Bárnabas dixérunt: Vobis oportébat primum loqui verbum Dei: sed, quóniam repéllitis illud et indígnos vos iudicátis ætérnæ vitæ, ecce convértimur ad gentes. Sic enim præcépit nobis Dóminus: Pósui te in lucem géntium, ut sis in salútem usque ad extrémum terræ. Audiéntes autem gentes gavísæ sunt et glorificábant verbum Dómini: et credidérunt quotquot erant præordináti ad vitam ætérnam. Disseminabátur autem verbum Dómini per univérsam regiónem. Iudæi autem concitavérunt

mulíeres religiósas et honéstas et primos civitátis, et excitavérunt persecutiónem in Paulum et Bárnabam: et eiecérunt eos de fínibus suis. At illi, excússo púlvere pedum in eos, venérunt Icónium. Discípuli quoque replebántur gáudio et Spíritu Sancto.

℟. ii. Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia: modo venérunt ad fontes: * Repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Agni amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. - Repléti sunt.

Lectio iii

Bárnabas Levítes, Cýprius génere, cum Paulo Apóstolo ordinátus est ad prædicándum Iesu Christi Evangélium. Is, agro véndito quem habébat, redáctam ex eo pecúniam áttulit Apóstolis. Missus Antiochíam prædicatiónis causa, multos ibi ad Christi fidem convérsos suis hortatiónibus confirmávit. Inde proféctus cum eódem Paulo, multas urbes regionésque summa cum audiéntium utilitáte peragrávit. Postrémo, digréssus a Paulo, una cum Ioánne, qui cognominátus est Marcus, navigávit in Cyprum, ibíque, séptimo Nerónis anno, ad apostó-

lici múneris laudem martýrii corónam adiúnxit.

℟. iii. Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia: splendórem Deo dedérunt, allelúia: * Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Et sicut lac. - Glória. - Allelúia, allelúia.

AD LAUDES

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut beátus Bárnabas Apóstolus tuum pro nobis implóret auxílium; ut, a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per.

AD PRETIOSA

Evangelium

Secúndum Matthæum

Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes et símplices sicut colúmbæ. Tu autem.

Officia Sanctorum O. P.

quorum festa alicubi
gradu I vel II classis celebrantur

Die 18 ianuarii

S. Margaritæ ab Hungaria
Virginis O. P.
II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Lauda, pia mater Ecclésia, Dóminum Iesum Christum, almæ Vírginis Fílium, qui hódie decorávit sponsam suam coróna virgináilis excelléntiæ.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Apoc. 19

Venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se. Et datum est illi ut coopériat se býssino splendénti et cándido; býssinum enim iustificatiónes sunt sanctórum.

℟. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei, * Propter quem ómnia detriméntum feci, ut eum lucrifáciam. ℣. Regna mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi. - Propter quem. - Glória. - Propter quem.

Hymnus

Deo canámus débitum
Præcónium, qui vírginem
Ditávit hanc humíllimam
Donis supérnis áffatim.

Quam sæpe, Manna cælicum
Dum corde hiánte súscipit
Iesúmque amóre déperit,
Abrépta lánguet sénsibus!

Leváre curas sédula,
Mæstas sodáles érigit
Scrutáta cordis ábdita,
Morbísque diris éximit.

Mors ipsa nimbo glóriæ
Suffúndit ora vírginis,
Virtútis, afflat, índice,
Suavíssima fragrántiâ.

O Margaríta, pátriæ
Adésse perge cælitus,
Tuísque da cliéntulis
Portum salútis tángere.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Margaríta. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Beáta Margaríta, ámula angélicæ integritátis, illíus thálamo se devóvit, qui perpétuæ virginitátis est sponsus, sicut perpétuæ virginitátis est fílius.

Oratio

Deus, virginitátis amátor et custos, cuius múnere fámula tua Margaríta virginitátis decórem mérito bonórum óperum sociávit; concéde, quæsumus, ut mentis integritátem spíritu salutáris pæniténtiæ restauráre possímus. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Agnum, sponsum vírginum, * Veníte, adorémus Dóminum Iesum Christum.

Hymnus

Hac margaríta Pánnonis
Ornáta tellus géstiat,
Patrísque Guzman ádsonet
Lætánter ordo pláusibus.

Periclitánte pátria,
Sacris Deo recéssibus
Piaculáris hóstia
Dicánda, voto expóscitur.

Recépta claustris, ócculit
Ortum decúsque régium,
Et corpus insons hórridis
Flagris faméque mácerat.

Amóre Christi férvida,
Inhæret ipsi iúgiter,
Eiúsque membris ímpigra
Servíre tendit lánguidis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ab infántia sua Margaríta Deo laudem parávit, oratiónibus et pæniténtiis inténta.

Psalmi de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Desiderabília super aurum et obrýzum multum fuérunt Margarítæ præcépta Dómini, quia in eius dilectióne manébat.

Ant. 3 Hæc est virgo sápiens, quæ iugi oratióne fáciem Dei sui quærébat. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo

hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi.

℟. i. Unum peto a Dómino, hoc requíro: ut hábitem in domo Dómini cunctis diébus vitæ meæ, * Ut fruar suavitáte Dómini et aspíciam templum eius. ℣. Deus dócuit me a iuventúte mea et abscóndit me in tentório suo. - Ut fruar.

Lectio ii

Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra huius mundi.

℟. ii. Mihi absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Iesu Christi, * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Christo confíxa sum cruci. Vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus. - Per quem.

Lectio iii

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. iii. Exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Iesu Christi Dómini mei, * Propter quem ómnia detriméntum feci, ut eum lucrifáciam. ℣. Regna mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi. - Propter quem. - Glória. - Propter quem.

In II Nocturno

Ant. 4 Tota decóra fília regis, ideóque Rex regum eam concupívit.

Ant. 5 Torrénte deliciárum suárum lætificávit Al-

tíssimus ánimam diléctæ sponsæ suæ.

Ant. 6 Gáudio et dulcédine cor Margarítæ afluébat, quando Panem angelórum suscipiébat.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Intende, próspere procéde, et regna.

Lectio iv

Cum sæculo décimo tértio Tártari regnum Hungáriæ ferro igníque vastárent, rex Bela quartus eiúsque uxor María Láscaris fíliam nascitúram pro pátria liberánda, ut ferunt, Deo obtulérunt. Voti præter humánam spem cómpotes effécti, genitóres e Dalmátia, quo confúgerant, in pátriam revérsi sunt filiáeque ibi natæ Margarítæ nomen imposuérunt. Mater, promíssi et benefícii memor, quo efficácius sibi suóque regno divínam conciliáret cleméntiam, puéllulam ad Veszprimiénses órdinis Prædicatórum moniáles quarto círciter ætátis anno dedúxit. Régiæ domus prorsus oblíta, oratiónibus et pæniténtiis præter ætátem inténta, Margaríta únice Regi regum Christo placére stúduit. Cum esset decem annórum, ad novum monastérium a patre-rege Budæ in Danúbii ínsula cónditum transláta est, ubi, recusátis núptiis cum quodam Polóniæ príncipe, duodecénnis coram venerábili Magístro órdinis Humbérto de Románis vota solémnia nuncupávit. A rege quoque Bohémiæ expetíta, ad quamvis occasiónem præcidéndam, ne tales importúnæ instántiæ renovaréntur, sacrum velámen ab archiepíscopo Strigoniénsi accípere festinávit, pactámque cum Sponso vírginum fidem sancte servávit, cum áliquot post annos Cároli regis Sicíliæ connúbium invícta ánimi constántia recusávit.

℟. iv. Dixit beáta Margaríta patri suo: Neque pro mundi glória, neque pro vita aut pro morte violábo virginitátis meæ puritátem, * Quam Dómino Iesu Christo adhuc párvula ex ánimo consecrávi. ℣. Integram atque immaculátam conservábo virginitátem meam. - Quam Dómino.

Lectio v

Admirábilis fuit a prima ætáte in hac vírgine virtus pæniténtiæ. Corpus, ieiúniis iam attrítum, cilício, flagris et vigíliis ácriter cruciábat, máxime fériis sextis, vigíliis maiórum solemnitátum et diébus

quíndecim festis paschálibus prævíis. Eo præsértim témpore exársit in ea expiándi desidérium, quo, per annos círciter quátuor, patrem inter fratrémque Stéphanum bellum acérrimum, cum magno diléctæ pátriæ detriménto, fúreret. Actiónem vero suam non coércuit inter incensíssimas oratiónes et duríssimam pæniténtiam, sed apostólico zelo inflammáta, iniustítias a quocúmque patrátas apertíssime exprobráre non dubitávit. Nec minus exímiæ fuérunt eius humílitas et cáritas. Detérrimis semper amícta véstibus, abiéctis munéribus inhiábat. Ægrótis soróribus et ancíllis, quarum morbis ínfici céteræ aliquándo timébant, tali inserviébat caritáte et abiectiónis desidério, ut grávia et ínfima offícia erga ipsas sibi únice arrogáret. Régiæ dignitátis oblíta, præpósitæ ad nutum obédiens et in paupertátis cultu sevéra erat. Fere sine intermissióne orábat. Operi Dei non raro addébat íntegrum psaltérium, vel étiam plúrimas álias ad Deum Patrem aut Spíritum Paráclitum preces vel ad dilectíssimam sibi Deíparam Vírginem salutatiónes. Dominícæ passiónis mystéria cum lácrimis recolébat et martýrii æstu flagrábat. Coram imágine Crucifíxi libéntius ad multas horas orábat et tanto devotiónis afféctu in sanctíssimum altáris Sacraméntum ferebátur, ut in elevatióne sacræ Hóstiæ atque in communióne sacramentáli sæpe lácrimas effúnderet.

℟. v. Desidérium magnum hábeo dissólvi et esse cum Christo, * Mihi enim vívere Christus est et mori lucrum. ℣. Proptérea afflígo corpus meum et libénter sustinérem martýrium pro amóre Iesu Christi. - Mihi enim.

Lectio vi

Fámulam suam, passiónis Christi consórtem, adhuc vivéntem Deus cæléstibus donis glorificávit, quæ tamen ipsa præ humilitáte sodálibus magna cum sollicitúdine occúlere tentábat. Córdium arcána cognoscébat et sæpe morbos, précibus vel tactu, abigébat. Plúries inter sacra vel ante tabernáculum in éxtasim rapiebátur et tunc velut in ángelum transfiguráta apparébat. Dénique anno Dómini millésimo ducentésimo septuagésimo, ætátis vicésimo octávo, in festo sanctæ Priscæ, Margaríta, dia-

démati Christi inserénda, in cælum migrávit. Virgíneum eius corpus, quoddam futúræ resurrectiónis decus cum suávi fragrántia præ se ferens, solémni pompa sepúlcro tráditum fuit et statim sanctitátem servæ suæ, multis eius intercessióne patrátis miráculis, Deus comprobávit. Annuum vírginis festum, iam a médio sæculo décimo quinto apud Dominicános Húngaros celebrátum et a Pio sexto diœcési Transilvaniénsi concéssum, Pius séptimus ad totum Prædicatórum órdinem exténdit. Pius vero duodécimus, ex sacrórum Rítuum Congregatiónis consúlto, Margarítam anno millésimo nongentésimo quadragésimo tértio sanctárum Vírginum catálogo adscrípsit.

℟. vi. Quam magna est bónitas quam reservávit Dóminus sponsæ suæ, * Dulcióra enim melle erant illi collóquia divína. ℣. Die ac nocte oratiónibus instábat cum magno timóre, devotióne et humilitáte. - Dulcióra enim. - Glória. - Dulcióra enim.

In III Nocturno

Ant. 7 Cum esset dives, facta est egéna, ut Christum Iesum lucrifáceret.

Ant. 8 Ter Margaríta núptias regáles recusávit, Sponsus autem vírginum insolúbili connúbio eam sibi iunxit.

Ant. 9 Quæ ipsa regnáre atque imperáre pótuit, propter Deum aliórum voluntáti sese súbdidit.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro; quem qui invénit homo, abscóndit et præ gáudio illíus vadit et vendit univérsa quæ habet et emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Homilia 47 in Matth.

Quemádmodum granum sinápis et ferméntum parum inter se différunt, sic et hæ duæ parábolæ thesáuri et margarítæ. Nam per utrámque hoc significátur, oportére prædicatiónem Evangélii ómnibus antepónere. Et illæ quidem ferménti et sinápis parábolæ ad vim prædicatiónis pértinent, ipsámque totum orbem esse superatúram índicant: hæ autem duæ parábolæ eius prétium et dignitátem declárant. Exténditur quippe illa ut sinápi, súperat ut ferméntum, pretiósa est ut margaríta, innúmera præbet cómmoda ut thesáurus.

℟. vii. Ténuit disciplínam nec dimísit eam, custodívit illam, quia ipsa est vita sapiéntis: * Sapiéntia enim et disciplína timor Dómini. ℣. Régulam suam in ómnibus servávit, non sicut serva sub lege, sed sicut líbera sub grátia constitúta. - Sapiéntia enim.

Lectio viii

Neque id solum díscimus, ómnibus se exúere par esse et prædicatióni hærére, sed étiam id cum gáudio esse faciéndum. Certe is, qui ómnibus renúntiat, sciat opórtet, rem illam esse negotiatiónem, non iactúram. Vidésne quómodo et in mundo sit abscóndita prædicátio et in prædicatióne láteant bona? Ac nisi ómnia vendíderis, non emis: nisi sollícito ánimo quæsíeris, non ínvenis.

℟. viii. Exémplum Dómini secúta, beáta Margaríta pedes sorórum lavábat, * Et in médio eárum erat sicut quæ minístrat. ℣. Quicúmque volúerit inter vos maior fíeri, sit vester miníster. - Et in médio eárum.

Lectio ix

Duo ígitur necessária sunt, sæculárium rerum abdicátio et iugis vigilántia. Nam ait: Quæ-rénti bonas margarítas: invénta una pretiósa, véndidit ómnia et emit eam. Una quippe est véritas, nec in partes divísa. Et sicut is qui margarítam habet, novit ipse se dívitem esse, sæpe autem, licet illam manu téneat, id áliis est ignótum (neque enim mole córporis insígnis est): sic et in prædicatióne, qui illam tenent, se dívites esse norunt, incréduli autem, thesáurum huiúsmodi ignorántes, nostras item divítias nésciunt.

℟. ix. Beáta Margaríta indúta est víscera misericórdiæ, benignitátem et humilitátem, * Omnibus ómnia facta est, Nec videbátur fília regis. ℣. Caritáte et humilitáte nulli sorórum secúnda apparébat. - Omnibus ómnia. - Glória. - Nec videbátur.

Reliqua ut supra 870, servato gradu I vel II classis.

Die 23 ianuarii

S. Raymundi de Pennafort

Confessoris O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Lætáre et gaude, Barcinonénsis Ecclésia; sed tu magis plaude, Prædicatórum família, quia hódie in cælésti cúria bina Raymúndus coronátur glória.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 24

Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorábitur, et in médio pópuli gloriábitur.

℟. Spretis honórum títulis, mitras recúsat húmilis: ex aula regis éxiit, * Et vastum mare tránsiit. ℣. Cumque extendísset pállium super aquas, ambulávit in médio eárum. - Et vastum mare tránsiit. - Glória. - Et vastum mare tránsiit.

Hymnus

Grande Raymúndi celebráte nomen,
Præsules, reges populíque terræ,
Cuius ætérnæ fuit univérsis
Cura salútis.

Quidquid est alta pietáte mirum
Exhibet purus niveúsque morum:
Omne virtútum rutiláre cernis
Lumen in illo.

Sparsa Summórum moniménta Patrum
Cólligit mira studiósus arte:
Quæque sunt prisci sacra digna cedro
Dógmata iuris.

Doctus infídum solidáre pontum
Currit invéctus stádio paténti:
Veste compónens baculóque cymbam
Æquora calcat.

Da, Deus, nobis sine labe mores:
Da viæ tutum sine clade cursum:
Da perennántis sine fine vitæ
Tángere portum. Amen.

℣. Ora pro nobis, beáte Raymúnde. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Doctrínæ suæ rádiis illustrávit sedéntes in errórum ténebris: et caritátis ardóre vinctos in mendicitáte et ferro redémit.

Oratio

Deus, qui beátum Raymúndum pæniténtiæ sacraménti insígnem ministrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti: concéde ut eius intercessióne dignos pæniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Mirábilem in sanctis suis adorémus Dóminum, * Qui in conspéctu príncipum magnificávit Raymúndum.

Hymnus

Pulchra, quæ mundus peritúra pandit,
Fórtiter spernens, inhiánsque cælo,
Prædicatórum iúbilans adívit
Claustra Raymúndus.

Ordinis magnum récolens Paréntem,
Atque divíno stúdio replétus,
Nítitur sanctam similémque Patri
Dúcere vitam.

Non satis linguæ póterunt referre
Cordis ardóres, quibus ipse terram
Réspuens, summo cupiébat æstu
Prémia cæli.

Sæpius corpus lácerans flagéllis,
Pérvigil custos ánimi pudíci,
Tactus ingénti pietáte flebat
Crímina mundi.

Ipse doctrína meritísque clarus,
Prædicans verbo simul atque factis,
Duxit errántes ad ovíle Christi,
Míraque gessit.

Annuat nobis, húmiles precámur,
Unus et trinus sine fine Rector:
Cuius illústres cánimus triúmphos,
Facta sequámur. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Raymúndus viam iustítiæ ingréssus ab adolescéntia sua, ambulávit in ea ómnibus diébus vitæ suæ.

Psalmi de Communi unius Confessoris [96].

Ant. 2 Doctrína illíus erudíti, apprehendérunt disciplínam magnátes et pópuli.

Ant. 3 In servum sibi fidélem Dóminus elégit eum: et Mater pulchræ dilectiónis fuit consolátio eius.

℣. Amávit eum Dóminus et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 39

Sapiéntiam ómnium antiquórum exquíret sá-

piens, et in prophétis vacábit. Narratiónem virórum nominatórum conservábit, et in versútias parabolárum simul introíbit. Occúlta proverbiórum exquíret, et in abscónditis parabolárum conversábitur. In médio magnatórum ministrábit, et in conspéctu præsídis apparébit. In terram alienigenárum géntium pertránsiet: bona enim et mala in homínibus tentábit.

℟. i. Raymúndus ortu nóbilis, magnum decus órdinis, * Móribus ac lítteris splendórem auxit géneris. ℣. A téneris annis pietátem cóluit, et omni mentem virtúte ímbuit. - Móribus ac lítteris.

Lectio ii

Cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium eius et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur.

℟. ii. Vanitátem próterens sæculi, órdinem subit Domínici, * Singulári clarus doctrína, regulári clárior disciplína. ℣. Despécto própriæ voluntátis arbítrio, aliéno totus subdebátur império. - Singulári clarus doctrína.

Lectio iii

Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam eius, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória eius, et nomen eius requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam eius enarrábunt gentes, et laudem eius enuntiábit ecclésia. Si permánserit, nomen derelínquet plus quam mille: et si requiéverit, próderit illi.

℟. iii. Edóctus viam Dómini, doctor erat honorábilis univérsæ plebi: * Et stupébant omnes super prudéntia et respónsis eius. ℣. Príncipes ab ore eius pendébant et faciébant illíus cuncta consílio. - Et stupébant. - Glória. - Et stupébant.

In II Nocturno

Ant. 4 In signis atque porténtis mirificávit Dóminus Sanctum suum, et transvéxit illum per aquam nímiam.

Ant. 5 Dedúxit eum Dóminus in iustítia sua: erudívit eum sciéntia, et viam prudéntiæ osténdit ei.

Ant. 6 Siccis pédibus perámbulans sémitas maris, clausis fóribus se sistit frátribus suis.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Ex bulla Canon. eius a Clemente VIII data anno Domini 1601 iii Kal. maii.

Lectio iv

Beátus Raymúndus Barcinonénsis, ex nóbili família de Pénnafort, christiánæ religiónis rudiméntis imbútus, adhuc párvulus exímia ánimi et córporis índole magnum áliquid porténdere visus est. Nam adoléscens humanióres lítteras in pátria proféssus, Bonóniam se cóntulit, ubi pietátis offíciis ac pontifício civilíque iuri sédulo incúmbens, et doctóris láurea insignítus, ibídem sacros cánones magna cum hóminum admiratióne est interpretátus. Eius virtútum fama percrebréscente, Berengárius Barcinonénsis epíscopus, cum Roma suam ad Ecclésiam redíret, eum conveniéndi causa Bonóniam iter instítuit, et tandem summis précibus ut secum in pátriam reverterétur obtínuit. Mox eiúsdem Ecclésiæ canonicátu et præpositúra ornátus, univérso clero et pópulo integritáte, modéstia, doctrína et morum suavitáte præfúlsit: ac Deíparæ Vírginis, quam singulári pietátis afféctu venerabátur, honórem et cultum semper pro víribus auxit.

℟. iv. Raymúndum Virgo vísitat, ut novum mox instítuat Redemptiónis órdinem, * Captivitátis óbsidem. ℣. Liberávit a poténte páuperem, novam condens societátem. - Captivitátis óbsidem.

Lectio v

Annum círciter quintum supra quadragésimum agens, in órdine Fratrum Prædicatórum, solémni emíssa professióne, ut novus miles in omni virtútum génere, sed præcípue in caritáte erga egénos, et máxime captívos ab infidélibus deténtos, se exércuit. Unde, cum eius hortátu sanctus Petrus Nolascus (cuius ipse confessiónes audiébat) suas opes piíssimo huic óperi conférret, tum eídem, tum beáto Raymúndo et Iacóbo primo Aragóniæ regi

appárens beatíssima Virgo, gratíssimum sibi et unigénito Fílio suo fore dixit, si in suum honórem instituerétur ordo Religiosórum, quibus captívos ex infidélium tyránnide liberándi cura incúmberet. Quare collátis inter se consíliis, órdinem beátæ Maríæ de Mercéde Redemptiónis captivórum fundavérunt: cui beátus Raymúndus certas vivéndi leges præscrípsit, ad eiúsdem órdinis vocatiónem accommodatíssimas: quarum approbatiónem áliquot post annos a Gregório nono impetrávit, et dictum sanctum Petrum primum generálem órdinis Magístrum suis ipse mánibus hábitu eódem indútum creávit.

℟. v. Caput creátus Ordinis, morum illústre spéculum, verbo, vita prælúxit frátribus, * Exémplum bonórum óperum. ℣. Non éxtulit se inter fratres, sed fuit in illis quasi unus ex ipsis. - Exémplum bonórum óperum.

Lectio vi

Ab eódem Gregório Romam accersítus, et capelláni ac pænitentiárii et confessárii sui múnere decorátus, eiúsdem iussu, Romanórum Pontíficum decréta, in divérsis concíliis et epístolis sparsa, in unum Decretálium volúmen redégit. Archiepiscopátum Tarraconénsem, ab ipso Pontífice sibi oblátum, constantíssime recusávit, et totíus órdinis Prædicatórum generále Magistérium, quod per biénnium sanctíssime administráverat, sponte dimísit. Iacóbo Aragóniæ regi, sacræ Inquisitiónis offícii suis in regnis instituéndi auctor fuit. Multa patrávit mirácula: inter quæ illud claríssimum, quod ex ínsula Baleári Maióri Barcinónem reversúrus, strato super aquas pállio, centum sexagínta milliária sex horis confécerit: et resúmpto pállio, quod ne quidem aqua perfúsum erat, suum cœnóbium iánuis clausis fúerit ingréssus. Tandem prope centenárius, virtútibus et méritis cumulátus, obdormívit in Dómino, anno salútis millésimo ducentésimo septuagésimo quinto: quem Clemens octávus in Sanctórum númerum rétulit.

℟. vi. Spretis honórum títulis, mitras recúsat húmilis: ex aula regis éxiit, * Et vastum mare tránsiit. ℣. Cumque extendísset pállium super aquas, ambulávit in médio eárum. - Et vastum mare tránsiit. - Glória. - Et vastum mare tránsiit.

In III Nocturno

Ant. 7 Honóris múnera non accépit, neque ánimum illíus fléctere pótuit ínfula aut grátia príncipis.

Ant. 8 Prævéntus in benedictiónibus dulcédinis, divínæ Matris mulcétur allóquiis.

Ant. 9 Consúmptus ætáte, plenus diérum et meritórum, ascéndit in montem Dómini, ínnocens mánibus et mundo corde.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 15 in Matth. sub med.

Atténdite quid díxerit, Vos estis sal terræ: per quod osténdit quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes, aut decem, aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam Prophétas: sed ad omnem terram prorsus, ac mare, totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

℟. vii. Raymúndus pauper et húmilis de sæculo nequam erípitur: cælum dives ingréditur, * Et bina glória coronátur. ℣. Post honóres non ábiit, neque sperávit in pecúniis: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino. - Et bina glória coronátur.

Lectio viii

Dicéndo enim, Vos estis sal terræ, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram, et peccatórum vi corrúptam: et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt atque útiles. Nam qui mansuétus est, ac modéstus, et miséricors, et iustus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátem præcláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. viii. Summe Dei Conféssor Raymúnde, tuo nos fove præsídio: * Tua caléntes mérita, tuis nos iuva précibus. ℣. Qui virtútum fragrántia totam reples Ecclésiam. - Tua caléntes mérita.

Lectio ix

Ne ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem: Vos estis sal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam: neque enim fíeri potest, ut ea, quæ iam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt, sed ante renováta, sibíque trádita atque ab illa iam putrédine liberáta, aspergébant sale, et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est: ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

℟. ix. Factum est sepúlcrum eius gloriósum: creávit in eo Altíssimus medicaméntum de terra, thesáurum sine defectióne, * Ad sanitátem géntium. ℣. Catervátim ruunt pópuli, súmere cupiéntes de sepúlcro púlverem. - Ad sanitátem géntium. - Glória. - Ad sanitátem géntium.

Reliqua ut supra 884, servato gradu I vel II classis.

Die 13 februarii

S. Catharinæ de Ricciis

Virginis O. P.

II classis

AD I VESPERAS, sicubi festum gradu I classis celebratur:

Super psalmos ant. Egredímini, fíliæ Sion, et vidéte sponsam in diadémate, quo coronávit eam Sponsus in die desponsatiónis illíus et lætítiæ cordis eius.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Apoc. 19

Regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus et exsultémus et demus glóriam ei, quia venérunt núptiæ Agni, et uxor eius præparávit se.

℟. O sponsa Christi amábilis, quæ sacra Sponsi stígmata expréssa refers córpore, eiúsque charismátibus pleno redúndas spíritu: * Nos te coléntes prótege, Et quæ precámur óbtine. ℣. Fac Crucifíxi vúlnera recogitémus pérpetim, eiúsque mortis prétio tuum assequámur prǽmium. - Nos te. - Glória. - Et quæ precámur óbtine.

Hymnus

Solémne laudis cánticum
Pangámus almæ Vírgini,
Quam Sponsus Agnus évocat
Ad sempitérnas núptias.

Regális hanc Etrúria,
Senénsis instar, prótulit,
Donis refértam grátiæ,
Totóque plenam Númine.

Oráre docta ab Angelo
Cælum puélla tránsvolat,
Corpusculíque mótibus
Christi dolóres éxprimit.

Sertum dat illi spíneum,
Dat ánulum, cor, stígmata,
Vulsísque Sponsus bráchiis
E cruce eam compléctitur.

O sponsa felix, áffluens
Cæléstibus delíciis,
Votis tuórum súpplicum
Aures benígnas ádmove.

Te, Sponse Iesu vírginum,
Castæ Paréntis Unice,
Laudent beáti Spíritus
In sæculórum sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis, beáta Catharína. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Exsultávit ánima mea in Deo meo, quia índuit me vestiménto salútis et induménto iustítiæ, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Oratio

Dómine Iesu Christe, qui beátam Catharínam Vírginem, tui amóre succénsam, passiónis contemplatióne claréscere voluísti: eius intercessióne concéde ut, passiónis mystéria devóte recoléntes, eius fructum percípere mereámur: Qui vivis.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Regi, sponso vírginum, exsultémus: * Sponsæ vírgini Catharínæ iubilémus.

Hymnus

O virgo, cui prǽcórdia
Sanctus perússit Spíritus,
Raptóque corde cárneo,
Dedit supérno vívere!

Beáta, cui Rex mártyrum
Spinas crucémque cóntulit,
Et sacra virgináribus
Membris inússit stígmata.

Beáta, quam Rex vírginum,
Alma Paránte prónuba,
Plaudénte cæli cúria,
Sacro recépit thálamo.

O iam perénni vínculo
Coniúncta Regi glóriæ,
Fac nos amóris néxibus
Iungi suprémo Númini.

Te, Sponse Iesu vírginum,
Castæ Paréntis Unice,
Laudent beáti Spíritus
In sæculórum sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ex ore infántis Catharínæ perfecísti tibi laudem, Deus, sapiéntiam præstans párvulis.

Psalmi de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Exsultávit ut gigas ad curréndam viam mandatórum tuórum, Dómine, cum dilatásti cor eius.

Ant. 3 Innocens mánibus et mundo corde, accépit benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

De Cánticis canticórum

Lectio i Cap. 8

Quis mihi det te fratrem meum sugéntem úbera matris meæ, ut invéniam te foris et deósculer te, et iam me nemo despíciat? Apprehéndam te et ducam in domum matris meæ: ibi me docébis, et dabo tibi póculum ex vino condíto et mustum malórum granatórum meórum. Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adiúro vos, fíliæ Ierúsalem, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit.

℟. i. Deus, docuísti me a iuventúte mea: Spíritus tuus bonus dedúxit me in terram rectam, * Et dócuit me fácere voluntátem tuam. ℣. Dominátor cælórum, misísti Angelum tuum ante me. - Et dócuit me fácere voluntátem tuam.

Lectio ii

Quæ est ista, quæ ascéndit de desérto, delíciis áffluens, innixa super diléctum suum? Sub árbore malo suscitávi te: ibi corrúpta est mater tua, ibi violáta est génetrix tua. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio: dura sicut inférnus æmulátio, lámpades eius lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt extínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. Si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

℟. ii. Sponsábo te mihi in sempitérnum, et sponsábo te in iustítia et iudício et * In misericórdia et in miseratiónibus. ℣. Despóndi vos uni viro vírginem castam exhibére Christo. - In misericórdia et in miseratiónibus.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas

Lectio iii Cap. 6

Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est et ego mundo. In Christo enim Iesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto.

℟. iii. Secúndum exspectatiónem et spem meam, * Magnificábitur Christus in córpore meo. ℣. Ego enim stígmata Dómini Iesu in córpore meo porto. - Magnificábitur Christus. - Glória. - Magnificábitur Christus.

In II Nocturno

Ant. 4 Oblíta es pópulum tuum et domum patris tui: et concupívit Rex decórem tuum.

Ant. 5 Sanctificávit in te tabernáculum suum Altíssimus: Deus in médio eius, non commovébitur.

Ant. 6 Gloriósa dicta sunt de te, Virgo mirábilis, quam Dóminus diléxit super ómnia tabernácula Iacob.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Lectio iv

Catharína nóbili família de Ricciis Floréntiæ nata, vel ab ineúnte ætáte piam índolem præmatúre osténdit. In suburbáno monastério sancti Petri de Montículis, ubi morum disciplína imbuerétur, collocáta, quotídie ad Christi crucifíxi imáginem orans, non sine lácrimis, horis étiam ánimi relaxatióni addíctis, eius Passiónem meditabátur. Ad monastérium póstea sancti Vincéntii, órdinis sancti Patris Domínici, in civitáte Prati, transláta, patérnos lares ad tempus repétere, nisi certa spe réditus hábita, constánter recusávit. Tandem anno décimo tértio, sæculi delíciis contémptis, ibídem religiósum Institútum proféssa est.

℟. iv. Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris

mei: cor meum derelíquit me, * Et appropinquávit cor illíus. ℣. Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus. - Et appropinquávit cor illíus.

Lectio v

Caritáte in Deum fervens, oratióni fere assídue vacábat, quidquid témporis necessáriis occupatiónibus et módicæ quiéti supérerat, in ea insúmens: utque corpus in servitútem redígeret, férrea caténa et flagéllis illud macerábat. Cibi parcíssima, octo supra quadragínta annis cárnibus abstínuit, legumínibus plerúmque et herbis vescens, intérdum vero solo pane et aqua conténta. Proximórum ætérnam salútem exóptans, ardentíssimas ad Deum pro peccatórum conversióne preces fundébat. Tanto étiam commiseratiónis sensu erga purgántem ánimam commóta est, ut acerbíssimos dolóres, sibi divínitus inflíctos, in pœnárum illi debitárum expiatiónem pertulísse visa sit. Exímia prudéntia et reguláris observántiæ zelo moniáles diu rexit, eas non minus exémplo quam adhortatiónibus ad omnem sanctimóniam infórmans: quo in offício humilitátem ádeo cóluit, ut abiectíssima quæque ópera sponte obíret, et infírmis præcípua caritáte atque summo stúdio inservíret.

℟. v. Dedit mihi pennas sicut colúmbæ, et volávi, et requiéscam: * Sive in córpore, sive extra corpus néscio. ℣. Nostra autem conversátio in cælis est. - Sive in córpore.

Lectio vi

Supernórum charísmatum cópia singuláris in ea enítuit, ánulo desponsatiónis, sacrísque stigmátibus, quæ non semel spectánda se exhibuérunt, accéptis. Plúrium annórum spátio, quinta et sexta féria in altíssimam contemplatiónem rapta, síngulos Redemptóris cruciátus in Passióne tolerátos ex órdine in córpore mirabíliter sentíre consuévit. Prati degens, sanctum Philíppum Nérium, Romæ commorántem, vidére proméruit, eiúsque collóquio frui. Extasum, ráptuum, cæléstium visiónum, ac prophétici lúminis dono illústris, futúra prædíxit, ac simul occúlta revelávit. Grávibus dénique morbis decúmbens, Ecclésiæ sacraméntis munita, anno a Christo nato millésimo quingentésimo nonagésimo, ætátis sexagésimo nono, quarto Nonas februárii in cælum migrávit. Eam Benedíctus décimus quartus Póntifex máximus solémni ritu sanctárum Vírginum fastis adscrípsit, anno salútis millésimo septingentésimo quadragésimo sexto.

℟. vi. Invéni quem díligit ánima mea: fascículus myrrhæ diléctus meus, inter úbera mea commorábitur: * Ténui eum, nec dimíttam. ℣. Ego autem exsultábo, et gaudébo in Deo Iesu meo. - Ténui eum, nec dimíttam. - Glória. - Ténui eum, nec dimíttam.

In III Nocturno

Ant. 7 Annuntiáte inter gentes Catharínæ glóriam, in ómnibus pópulis mirabília eius.

Ant. 8 Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: et vidérunt omnes pópuli glóriam sanctitátis eius.

Ant. 9 In conspéctu géntium revelávit Dóminus mirabília sponsæ suæ.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem vírgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 93 de verbis Ev. c. 2

Intelligámus, caríssimi, ad omnes nos, id est ad univérsam omníno Eccléslam pertinére istam parábolam. Quare ergo quinque et quinque vírgines? Istæ quinque et quinque vírgines, omnes omníno sunt ánimæ Christianórum, non qualescúmque ánimæ, sed tales ánimæ, quæ habent cathólicam fidem, et habére vidéntur bona ópera in Ecclésia Dei: et tamen ex ipsis quinque sunt prudéntes, et quinque fátuæ. Quare ergo appellátæ sunt quinque, et quare vírgines, prius videámus: et deínde cétera considerémus. Omnis ánima in córpore ídeo quinário número censétur, quia quinque sénsibus útitur. Qui ergo se ábstinet ab illícito visu, ab illícito audítu, ab illícito odorátu, ab illícito gustátu, ab illícito tactu, propter ipsam integritátem, vírginis nomen accépit.

℟. vii. Mihi absit gloriári nisi in Cruce Dómini nostri Iesu Christi: * Per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra. - Per quem.

Lectio viii

Sed, si bonum est abstinére ab illícitis sentiéndi mótibus, et ídeo unaquæque ánima christiána vírginis nomen accépit, quare quinque admittúntur et quinque repellúntur? Et vírgines sunt, et repellúntur. Parum est, quia vírgines sunt, et lámpades habent. Vírgines propter abstinéntiam ab illícitis sénsibus, lámpades habent propter ópera bona; de quibus opéribus Dóminus dicit: Lúceant ópera vestra coram homínibus, ut vídeant bona facta vestra et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Item discípulis dicit: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes. In lumbis accínctis virgínitas, in lucérnis ardéntibus ópera bona.

℟. viii. Vidi prævaricántes, et tabescébam: defécto ténuit me, * Pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. ℣. Optábam ego ipsa anáthema esse a Christo pro frátribus meis. - Pro peccatóribus.

Lectio ix

Etiam ipsas vírgines, et feréntes lámpades, álias dixit prudéntes, álias stultas. Unde intuémur? Unde discérnimus? De óleo. Aliquid magnum significat óleum: valde magnum. Putas non cáritas est? Apóstolus dicit: Adhuc supereminentiórem vobis viam demónstro: si linguis hóminum loquar et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum æraméntum sonans aut cýmbalum tínniens. Ipsa est superéminens via, id est cáritas, quæ mérito óleo significátur: ómnibus enim humóribus óleum superéminet.

℟. ix. O sponsa Christi amábilis, quæ sacra Sponsi stígmata expréssa refers córpore, eiúsque charismátibus pleno redúndas spíritu: * Nos te coléntes prótege, Et quæ precámur óbtine. ℣. Fac Crucifíxi vúlnera recogitémus pérpetim, eiúsque mortis prétio tuum assequámur præmium. - Nos te coléntes prótege. - Glória. - Et quæ precámur óbtine.

Reliqua ut supra 929, servato gradu I vel II classis.

IN MISSIONIBUS

Die 3 decembris

S. Francisci Xaverii

Confessoris

I classis

Omnia de Communi unius Confessoris [94], præter sequentia:

Oratio

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius ut, cuius gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per.

In II Nocturno

Lectio iv

Franciscus in Xavério diœcésis Pampelonénsis nobílibus paréntibus natus, Parísiis sancto Ignátio sese cómitem et discípulum iunxit. Ipso magístro, eo brevi devénit, ut in rerum divinárum contemplatióne defíxus, a terra aliquándo sublímis elevarétur: quod illi sacrificánti coram pópuli multitúdine aliquóties evénit. Has ánimi delícias magnis sui córporis cruciátibus merebátur. Nam interdícto sibi, non carnis solum et vini, sed panis quoque tríticei usu, vílibus cibis vesci sólitus, per bíduum subínde triduúmque omni prorsus aliménto abstínuit. Férreis in se flagéllis ita sæviit, ut sæpe copióso cruóre difflúeret: somnum brevíssimum humi iacens carpébat.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum et beatificávit illum in glória. - Et dedit illi.

Lectio v

Vitæ austeritáte ac sanctitáte apostólico múneri iam matúrus, cum Ioánnes tértius Lusitániæ rex áliquot nascéntis Societátis viros a Paulo tértio pro Indiis postulásset: sancti Ignátii hor-

tátu, ab eódem Pontífice ad tantum opus cum Apostólici núntii potestáte delígitur. Eo appúlsus, íllico variárum géntium difficíllimis et váriis linguis divínitus instrúctus appáruit. Quin eum quandóque único idiómate ad divérsas gentes concionántem, unaquǽque sua lingua loquéntem audívit. Províncias innúmeras pédibus semper, et sæpe nudis, peragrávit. Fidem Iapóniæ et sex áliis regiónibus invéxit. Multa centéna hóminum míllia ad Christum in Indiis convértit; magnósque príncipes regésque complúres sacro fonte expiávit. Et cum tam magna pro Deo ágeret, ea erat humilitáte, ut sancto Ignátio, tunc præpósito suo, flexis génibus scríberet.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Hunc dilatándi Evangélii ardórem multitúdine et excelléntia miraculórum Dóminus roborávit. Cæco visum réddidit. Tantum marínæ aquæ signo crucis convértit in dulcem, quantum quingéntis vectóribus, qui siti adigebántur ad mortem, diu suffécit: qua in várias quoque regiónes asportáta, ægri plúrimi súbito curáti sunt. Plures mórtuos revocávit ad vitam: inter quos prídie sepúltum érui iussum e túmulo suscitávit; duósque álios, dum efferréntur, apprehénsa eórum manu, paréntibus e féretro vivos restítuit. Prophetíæ spíritu passim afflátus, plúrima et loco et témpore remotíssima enuntiávit. Demum in Sanciáno Sinárum ínsula, die secúnda decémbris, óbiit plenus méritis, laboribúsque conféctus. Demórtui cadáver viva calce per multos menses bis óbrutum, sed pénitus incorrúptum, odóre et sánguine manávit: et ubi Málacam delátum est, pestem sævíssimam conféstim exstínxit. Dénique, ubíque terrárum novis maximísque fulgéntem miráculis, Gregórius décimus quintus Sanctis adscrípsit. Pius autem décimus ipsum sodalitáti et óperi Propagándæ Fídei cæléstem patrónum elégit atque constítuit.

℟. vi. Sancte Francísce, Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte Francísce, sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. - Et impetrátam. - Glória. - Tu defer indulgéntiam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Marcum

Lectio vii Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 29 in Evang. post initium

Potest omnis creatúræ nómine omnis nátio géntium designári. Ante étenim dictum fúerat: In viam géntium ne abiéritis. Nunc autem dícitur: Prædicáte omni creatúræ. Ut scílicet prius a Iudæa Apostolórum repúlsa prædicátio tunc nobis in adiutórium fíeret, cum hanc illa ad damnatiónis suæ testimónium supérba repulísset. Sed cum discípulos ad prædicándum Véritas mittit, quid áliud in mundo facit, nisi grana séminis spargit? Et pauca grana mittit in sémine, ut multárum méssium fruges recípiat ex nostra fide.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Neque étenim in univérso mundo tanta fidélium messis exsúrgeret, si de manu Dómini super rationálem terram illa elécta grana prædicántium non veníssent. Séquitur: Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Fortásse unusquísque apud semetípsum dicat: Ego iam crédidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem opéribus tenet. Vera étenim fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, móribus non contradícit. Hinc est enim quod de quibúsdam falsis fidélibus Paulus dicit: Qui confiténtur se nosse Deum, factis autem negant.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam

sanctórum: * Honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus: quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Signa autem eos, qui creditúri sunt, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia eícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Numquídnam, fratres mei, quia ista signa non fácitis, mínime créditis? Sed hæc necessária in exórdio Ecclésiæ fuérunt. Ut enim ad fidem crésceret multitúdo credéntium, miráculis fúerat nutriénda. Quia et nos, cum arbústa plantámus, támdiu eis aquam infúndimus, quoúsque ea in terra iam coaluísse videámus: et si semel radícem fíxerint, irrigátio cessábit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidélibus, sed infidélibus.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

In festis I classis ad I Vesperas

Sequentes psalmi dicuntur etiam in festis Domini II classis ad I Vesperas, quoties locum tenent dominicæ occurrentis.

1 Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

2 Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes gentes: * laudáte eum, omnes pópuli,

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia eius: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

3 Psalmus 145

Lauda, ánima mea, Dóminum, ℣. laudábo Dóminum in vita mea: * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus: * in fíliis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus eius et revertétur in terram suam: * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus cuius Deus Iacob adiútor eius, ℣. spes eius in Dómino Deo ipsíus: * qui fecit cælum et terram, mare et ómnia quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, ℣. facit iudícium iniúriam patiéntibus: * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos: * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit iustos.

Dóminus custódit ádvenas, ℣ pupíllum et víduam suscípiet: * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula, ℣ Deus tuus, Sion, * in generatiónem et generatiónem.

4 Psalmus 146

Laudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit iucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Ierúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster et magna virtus eius: * et sapiéntiæ eius non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum: * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat iuméntis escam ipsórum: * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * et in eis qui sperant super misericórdia eius.

5 Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

In Dedicatione ecclesiæ et in anniversario eiusdem

Festum Dedicationis ecclesiæ est festum Domini.

Ipso die Dedicationis ecclesiæ dicitur Officium de die liturgico occurrenti usque ad Nonam.

Ante reliquias Sanctorum, in altari ecclesiæ consecrandæ includendas, si commode fieri potest, celebrantur Vigiliæ, et cantetur vel dicatur Matutinum cum tribus Nocturnis in honorem sanctorum Martyrum, quorum reliquiæ sunt recondendæ. Invitentur quoque fideles ut his Vigiliis participent.

Qui vero Officio divino tenentur, obligationi suæ satisfaciunt, pro Matutino, recitatione Nocturnorum in honorem sanctorum Martyrum in Vigiliis peracta.

A Vesperis ipsius diei Dedicationis dicitur Officium de Dedicatione ecclesiæ, quod protrahitur usque ad Completorium diei sequentis, et dicitur ad modum Officii festi I classis.

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Sanctificávit Dóminus tabernáculum suum: hæc est domus Dómini, in qua invocétur nomen eius, de quo scriptum est: Erit nomen meum ibi, dicit Dóminus. T. P. Allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Apoc. 21

Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

℟. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli: * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia. ℣. Cumque evigilásset Iacob quasi de gravi somno, ait. - Vere. - Glória. - Extra T. P. Et ego. T. P. Allelúia.

Hymnus

Urbs Ierúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cælis
Vivis ex lapídibus,
Et Angelis coronáta
Ut sponsáta cómite:

Nova véniens e cælo,
Nuptiáli thálamo
Præparáta, ut sponsáta
Copulétur Dómino:
Platéæ et muri eius
Ex auro puríssimo:

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus:
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides
Suis coaptántur locis
Per manus Artíficis:
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. O quam metuéndus est locus iste! Vere non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. T. P. Allelúia.

In anniversario Dedicationis

Oratio

Deus, qui nobis per singulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui: et præsta ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per.

In ipso die Dedicationis

Oratio

Deus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis; templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra: et concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per.

Completorium de dominica.

AD MATUTINUM

Invit. Exsultémus Dómino Regi summo, * Qui suum sanctificávit tabernáculum. T. P. Allelúia.

Hymnus ut ad I Vesperas.

In I Nocturno

Ant. 1 Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles. T. P. Allelúia.

1 Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ☧ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ☧ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ☧ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles. T. P. Allelúia.

Ant. 2 Vidit Iacob scalam, súmmitas eius cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

2 Psalmus 45

Deus noster refúgium et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ☧ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Vidit Iacob scalam, súmmitas eius cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et dixit: Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

Ant. 3 Cum evigilásset Iacob de somno, ait: Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

3 Psalmus 47

Magnus Dóminus et laudábilis nimis * in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius.

Fundátur exsultatióne univérsæ terræ mons Sion, * látera Aquilónis, cívitas Regis magni.

Deus in dómibus eius cognoscétur, * cum suscípiet eam.

Quóniam ecce reges terræ congregáti sunt: * convenérunt in unum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt, conturbáti sunt, commóti sunt: * tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres ut parturiéntis: * in spíritu veheménti cónteres naves Tharsis.

Sicut audívimus, sic vídimus in civitáte Dómini virtútum, ℣ in civitáte Dei nostri: * Deus fundávit eam in ætérnum.

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam * in médio templi tui.

Secúndum nomen tuum, Deus, sic et laus tua in fines terræ: * iustítia plena est déxtera tua.

Lætétur mons Sion et exsúltent fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine.

Circúmdate Sion et complectímini eam: * narráte in túrribus eius.

Pónite corda vestra in virtúte eius: * et distribúite domos eius, ut enarrétis in progénie áltera.

Quóniam hic est Deus, Deus noster in ætérnum et in sæculum sæculi: * ipse reget nos in sæcula.

Ant. Cum evigilásset Iacob de somno, ait: Vere locus iste sanctus est. T. P. Allelúia.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

De libro secúndo Paralipómenon

Lectio i Cap. 7

Cum complésset Sálomon fundens preces, ignis descéndit de cælo et devorávit holocáusta et víctimas: et maiéstas Dómini implévit domum. Nec póterant sacerdótes íngredi templum Dómini, eo quod implésset maiéstas Dómini templum Dómini. Sed et omnes fílii Israël vidébant descendéntem ignem et glóriam Dómini super domum: et corruéntes proni in terram super paviméntum stratum lápide, adoravérunt et laudavérunt Dóminum: Quóniam bonus, quóniam in sæculum misericórdia eius. Rex autem et omnis pópulus immolábant víctimas coram Dómino.

℟. i. In dedicatióne templi decantábat pópulus laudem: * Et in ore eórum dulcis resonábat sonus. T. P. Allelúia. ℣. Obtulérunt sacrifícium super altáre Dómini: et cecidérunt in fácies suas et adoravérunt eum. - Et in ore.

Lectio ii

Mactávit ígitur rex Sálomon hóstias, boum vigínti duo míllia, aríetum centum vigínti míllia: et dedicávit domum Dei rex et univérsus pópulus. Sacerdótes autem stabant in offíciis suis: et Levítæ in órganis cárminum Dómini, quæ fecit David rex ad laudándum Dóminum: Quóniam in ætérnum misericórdia eius, hymnos David canéntes per manus suas. Porro sacerdótes canébant tubis ante eos, cunctúsque Israël stabat.

℟. ii. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium, et exaltáta est super omnes colles: et vénient ad eam omnes gentes, * Et dicent: Glória tibi, Dómine. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos. - Et dicent.

Lectio iii

Sanctificávit quoque Sálomon médium átrii ante templum Dómini: obtúlerat enim ibi holocáusta et ádipes pacificórum: quia altáre æneum, quod fécerat, non póterat sustinére holocáusta et sacrifícia et ádipes. Fecit ergo Sálomon solemnitátem in témpore illo septem diébus, et omnis Israël cum eo, ecclésia magna valde, ab intróitu Emath usque ad torréntem Ægýpti. Fecítque die octávo colléctam, eo quod dedicásset altáre septem diébus, et solemnitátem celebrásset diébus septem.

℟. iii. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper: votum vovit Dómino: * Vere locus iste sanctus est, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia,

allelúia. ℣. Vidit Iacob scalam, súmmitas eius cælos tangébat, et descendéntes Angelos, et ait. - Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. - Glória. - Et ego nesciébam.

In II Nocturno

Ant. 4 Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. T. P. Allelúia.

4 Psalmus 83

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * rex meus et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir cuius est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ℟. ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Iacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis * super míllia.

Elégi abiéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo qui sperat in te.

Ant. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. T. P. Allelúia.

Ant. 5 Eréxit Iacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper. T. P. Allelúia.

5 Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam

Et super sanctos suos * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * iustítia et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Ant. Eréxit Iacob lápidem in títulum, fundens óleum désuper. T. P. Allelúia.

Ant. 6 Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei. T. P. Allelúia.

6 Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Erit mihi Dóminus in Deum, et lapis iste vocábitur domus Dei. T. P. Allelúia.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. T. P. Allelúia. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 252 de Temp.

Lectio iv

Quotiescúmque, fratres caríssimi, altáris vel templi festivitátem cólimus, si fidéliter ac diligénter atténdimus et sancte ac iuste vívimus, quidquid in

templis manufáctis ágitur, totum in nobis spirituáli ædificatióne complétur. Non enim mentítus est ille qui dixit: Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Et íterum: Nescítis quia córpora vestra templum sunt Spíritus Sancti, qui in vobis est? Et ídeo, fratres caríssimi, quia, nullis præcedéntibus méritis, sed per grátiam Dei merúimus fíeri templum Dei, quantum póssumus, cum ipsíus adiutório laborémus, ne Dóminus noster in templo suo, hoc est in nobis ipsis, invéniat quod óculos suæ maiestátis offéndat.

℟. iv. Bénedic, Dómine, domum istam, quam ædificávi nómini tuo: veniéntium in locum istum * Exáudi preces in excélso sólio glóriæ tuæ. ℣. Dómine, si convérsus fúerit pópulus tuus, et oráverit ad sanctuárium tuum. - Exáudi.

Lectio v

Et ídeo, fratres caríssimi, unusquísque consideret consciéntiam suam: et quando se áliquo peccáto vulnerátum esse cognóverit, prius oratiónibus, iciúniis et eleemósynis stúdeat mundáre consciéntiam suam, et sic Eucharístiam præsúmat accípere. Qui enim, agnóscens reátum suum, ipse se humíliter ab altári Ecclésiæ pro emendatióne vitæ removére volúerit, ab ætérno illo et cælésti convívio excommunicári pénitus non timébit.

℟. v. O quam metuéndus est locus iste! Vere * Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli. ℣. Mane surgens Iacob votum vovit Dómino, et dixit. - Non est.

Lectio vi

Si ad mensam cuiuscúmque poténtis nemo præsúmit cum véstibus inquinátis accédere, quanto magis a convívio ætérni Regis, id est ab altári Dómini, debet se unusquísque invídiæ vel ódii venéno percússus, iracúndiæ furóre replétus, cum reveréntia et humilitáte subtráhere? Propter illud, quod scriptum est: Vade prius reconciliári fratri tuo, et tunc véniens ófferes munus tuum. Et íterum: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem?

℟. vi. Orántibus in loco isto, dimítte, Dómine, peccáta pópuli tui: et osténde eis viam bonam, per quam ámbulent: * Et da glóriam nómini tuo. ℣. Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat. - Et da glóriam. - Glória. - Et da glóriam.

In III Nocturno

Ant. 7 Qui hábitat in adiutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. † T. P. Allelúia.

7 Psalmus 90

Qui hábitat in adiutório Altíssimi, * in protectióne Dei cæli commorábitur.

† Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu et refúgium meum: * Deus meus, sperábo in eum.

Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium * et a verbo áspero.

Scápulis suis obumbrábit tibi: * et sub pennis eius sperábis.

Scuto circúmdabit te véritas eius: * non timébis a timóre noctúrno,

A sagítta volánte in die, ℣ a negótio perambulánte in ténebris: * ab incúrsu et dæmónio meridiáno.

Cadent a látere tuo mille, ℣ et decem míllia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquábit.

Verúmtamen óculis tuis considerábis: * et retributiónem peccatórum vidébis.

Quóniam tu es, Dómine, spes mea: * Altíssimum posuísti refúgium tuum.

Non accédet ad te malum: * et flagéllum non appropinquábit tabernáculo tuo.

Quóniam Angelis suis mandávit de te: * ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

In mánibus portábunt te: * ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum.

Super áspidem et basilíscum ambulábis: * et conculcábis leónem et dracónem.

Quóniam in me sperávit, liberábo eum: * prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum.

Clamábit ad me, et ego exáudiam eum: ℣ cum ipso sum in tribulatióne: * eripiam eum et glorificábo eum.

Longitúdine diérum replébo eum: * et osténdam illi salutáre meum.

Ant. Qui hábitat in adiutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. T. P. Allelúia.

Ant. 8 Domum istam prótege, Dómine: et Angeli tui custódiant muros eius. T. P. Allelúia.

8 Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣. afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣. commoveátur mare et plenitúdo eius: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Domum istam prótege, Dómine: et Angeli tui custódiant muros eius. T. P. Allelúia.

Ant. 9 Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium: et exaltáta est super omnes colles. T. P. Allelúia.

9 Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Fundáta est domus Dómini super vérticem móntium: et exaltáta est super omnes colles. T. P. Allelúia.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. T. P. Allelúia. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te. T. P. Allelúia.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 19

In illo témpore: Ingréssus Iesus perambulábat Iéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives. Et réliqua.

Homília sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 8 in Lucam

Zachæus, statúra pusíllus, hoc est, nulla nobilitátis ingénitæ dignitáte sublímis, exíguus méritis, sicut pópulus natiónum, audíto Dómini Salvatóris advéntu, quem sui non recéperant, vidére cupiébat. Sed nemo fácile Iesum videt: nemo potest Iesum vidére constitútus in terra. Et quia non Prophétas, non Legem habébat, tamquam formæ grátiam naturális, ascéndit in sycómorum, vanitátem scílicet Iudæórum vestígio suo próterens, erráta quoque córrigens superióris ætátis: et ídeo Iesum in interióris domus recépit hospítio.

℟. vii. Lápides pretiósi omnes muri tui: * Et turres Ierúsalem gemmis ædificabúntur. ℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta: bene fundáta est supra firmam petram. - Et turres.

Lectio viii

Et bene ascéndit in árborem, ut arbor bona fructus bonos fáceret: ac naturáli excísus oleástro et contra natúram insértus in bonam olívam, fructum posset Legis afférre. Radix enim sancta, etsi rami inútiles: quorum infructuósam glóriam plebs géntium fide resurrectiónis, quasi quadam córporis elevatióne transcéndit.

℟. viii. Domus mea do-

mus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: * In ea omnis qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. ℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. - In ea.

Lectio ix

Et ecce vir nómine Zachæus. Zachæus in sycómoro, cæcus in via: quorum álterum Dóminus miseratúrus exspéctat, álterum mansiónis suæ claritáte nobílitat; álterum sanatúrus intérrogat, apud álterum se non invitátus invítat. Sciébat enim úberem hospítii sui esse mercédem. Sed tamen, etsi nondum vocem invitántis audíerat, iam víderat afféctum.

℟. ix. Terríbilis est locus iste. Non est hic áliud nisi domus Dei et porta cæli: * Vere étenim Dóminus est in loco isto, Et ego nesciébam. T. P. Allelúia. ℣. Cumque evigilásset Iacob quasi de gravi somno, ait. - Vere. - Glória. - Extra T. P. Et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

Ante Laudes ℣. Dómine, diléxi decórem domus tuæ. T. P. Allelúia. ℟. Et locum habitatiónis glóriæ tuæ. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta: bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

3. Domus mea domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

4. Bene fundáta est domus Dómini supra firmam petram. T. P. Allelúia.

5. Lápides pretiósi omnes muri tui: et turres Ierúsalem gemmis ædificabúntur. T. P. Allelúia.

Capitulum Apoc. 21

Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus

Anguláris fundaméntum
Lapis Christus missus est,
Qui paríetum compáge
In utróque néctitur:
Quem Sion sancta suscépit,
In quo credens pérmanet.
Omnis illa Deo sacra
Et dilécta cívitas,

Plena módulis in laude
Et canóro iúbilo,
Trinum Deum unicúmque
Cum fervóre prædicat.
Hoc in templo, summe Deus,
Exorátus ádveni,
Et cleménti bonitáte
Precum vota súscipe:
Largam benedictiónem
Hic infúnde iúgiter.
Hic promereántur omnes
Petíta acquírere
Et adépta possidére
Cum Sanctis perénniter,
Paradísum introíre
Transláti in réquiem.
Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Domus mea. T. P. Allelúia. ℟. Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

Ad Bened. ant. Mane surgens Iacob erigébat lápidem in títulum, fundens óleum désuper: votum vovit Dómino: Vere locus iste sanctus est, et ego nesciébam. T. P. Allelúia.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui: et præsta ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per.

In ipso die Dedicationis

Oratio

Deus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis; templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra: et concéde ut omnes qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis, Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo, * Allelúia, allelúia. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Allelúia. Glória. Domum.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. T. P. Allelúia. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram. T. P. Allelúia.

In festis II ac III classis, et tempore Septuagesimæ:

℟. Domum tuam, Dómine, * Decet sanctitúdo. Domum. ℣. In longitúdinem diérum. Decet. Glória. Domum.

℣. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta. ℟. Bene fundáta est supra firmam petram.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui: et præsta ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per.

Vel oratio Deus, qui invisibíliter, ut supra [15].

AD SEXTAM

Capitulum Apoc. 21

Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus eius erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus.

℟. Hæc est domus Dómini fírmiter ædificáta, * Allelúia, allelúia. Hæc est. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Allelúia. Glória. Hæc est.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. T. P. Allelúia. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te. T. P. Allelúia.

In festis II ac III classis, et tempore Septuagesimæ:

℟. Hæc est domus Dómini * Fírmiter ædificáta. Hæc est. ℣. Bene fundáta est supra firmam petram. Fírmiter. Glória. Hæc est.

℣. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine. ℟. In sæcula sæculórum laudábunt te.

AD NONAM

Capitulum 1 Cor. 3

Fundaméntum áliud nemo potest pónere præter id quod pósitum est, quod est Christus Iesus.

℟. Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine, * Allelúia, allelúia. Beáti. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. Allelúia. Glória. Beáti.

℣. Domus mea. T. P. Allelúia. ℟. Domus oratiónis vocábitur. T. P. Allelúia.

In festis II ac III classis, et tempore Septuagesimæ:

℟. Beáti qui hábitant * In domo tua, Dómine. Beáti. ℣. In sæcula sæculórum laudábunt te. In domo. Glória. Beáti.

℣. Domus mea. ℟. Domus oratiónis vocábitur.

AD II VESPERAS

Ant. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Psalmus 121

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cuius participátio eius in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem: * et abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 146

Laudáte Dóminum, quóniam bonus est psalmus: * Deo nostro sit iucúnda decoráque laudátio.

Ædíficans Ierúsalem Dóminus: * dispersiónes Israélis congregábit.

Qui sanat contrítos corde: * et álligat contritiónes eórum.

Qui númerat multitúdinem stellárum: * et ómnibus eis nómina vocat.

Magnus Dóminus noster et magna virtus eius: * et sapiéntiæ eius non est número.

Suscípiens mansuétos Dóminus: * humílians autem peccatóres usque ad terram.

Præcínite Dómino in confessióne: * psállite Deo nostro in cíthara.

Qui óperit cælum núbibus: * et parat terræ plúviam.

Qui prodúcit in móntibus fenum: * et herbam servitúti hóminum.

Qui dat iuméntis escam ipsórum: * et pullis corvórum invocántibus eum.

Non in fortitúdine equi voluntátem habébit: * nec in tíbiis viri beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino super timéntes eum: * et in eis qui sperant super misericórdia eius.

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Ant. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo in longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Capitulum Apoc. 21

Vidi civitátem sanctam, Ierúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo.

Hymnus

Urbs Ierúsalem beáta,
Dicta pacis vísio,
Quæ constrúitur in cælis
Vivis ex lapídibus,
Et Angelis coronáta
Ut sponsáta cómite:

Nova véniens e cælo,
Nuptiáli thálamo
Præparáta, ut sponsáta
Copulétur Dómino:
Platéæ et muri eius
Ex auro puríssimo:

Portæ nitent margarítis,
Adytis paténtibus:
Et virtúte meritórum
Illuc introdúcitur
Omnis qui ob Christi nomen
Hic in mundo prémitur.

Tunsiónibus, pressúris
Expolíti lápides
Suis coaptántur locis
Per manus Artíficis:
Disponúntur permansúri
Sacris ædifíciis.

Glória et honor Deo
Usquequáque altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclito Paráclito,
Cui laus est et potéstas
Per ætérna sæcula.
Amen.

℣. Domum tuam, Dómine, decet sanctitúdo. T. P. Allelúia. ℟. In longitúdinem diérum. T. P. Allelúia.

Ad Magnif. ant. Zachæe, festínans descénde: quia hódie in domo tua opórtet me manére. At ille festínans descéndit, et suscépit illum gaudens in domum suam. Hódie huic dómui salus a Deo facta est. T. P. Allelúia, allelúia.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos huius sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes; exáudi preces pópuli tui: et præsta ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per.

Vel oratio Deus, qui invisibiliter, ut supra [15].

Completorium de dominica.

TEMPORE PASCHALI ad Matutinum dicuntur tres psalmi cum suis antiphonis et versículus secundum ordinem feriarum et Nocturnorum; tres lectiones leguntur de suprapositis, videlicet: prima et secunda de Scriptura, quarum altera efficitur e secunda et tertia, cum responsoriis primo et tertio; pro lectione tertia sumitur quarta cum responsorio nono.

In festis B. Mariæ Virginis

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Hæc est Regína vírginum, quæ génuit Regem, velut rosa decóra Virgo. Dei Génetrix, per quam repérimus Deum et hóminem, alma Virgo, intercéde pro nobis ómnibus.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 24

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis.

℟. Stirps Iesse virgam produxit, virgáque florem: * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génetrix virga est: flos Fílius eius. - Et super. - Glória. - Requiéscit.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Beatíssimæ Vírginis Maríæ (Solemnitátem) devotíssime celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Iesum Christum.

Oratio

Supplicatiónem servórum tuórum, Deus, miserátor exáudi: ut, qui in (Solemnitáte) Dei Genetrícis et Vírginis congregámur, eius intercessiónibus a te de instántibus periculis eruámur. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix.

Psalmi de dominica 610.

Ad Nunc dimittis ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

AD MATUTINUM

Invit. (Solemnitátem) Vírginis Maríæ celebrémus: * Christum eius Fílium adorémus Dóminum.

Hymnus

Quem terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ báiulat.

Cui luna, sol et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cuius supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fecúnda Sancto Spíritu,
Desideratus géntibus
Cuius per alvum fusus est.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra, óculi tui columbárum.

1 Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra, óculi tui columbárum.

Ant. 2 Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

2 Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias.

Ant. 3 Favus distíllans lábia tua, sponsa, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

3 Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Favus distíllans lábia tua, sponsa, et odor vestimentórum tuórum sicut odor thuris.

℣. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Benedictio Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum.

℟. Amen.

Incípiunt
Cántica canticórum

Lectio i Cap. 1

Osculétur me ósculo oris sui: quia melióra sunt úbera tua vino, fragrántia unguéntis óptimis. Oleum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te. Trahe me: post te currémus in odórem unguentórum tuórum. Introdúxit me rex in cellária sua: exsultábimus et lætábimur in te, mémores úberum tuórum super vinum: recti díligunt te. Nigra sum, sed formósa, fíliæ Ierúsalem, sicut tabernácula Cedar, sicut pelles Salomónis.

℟. i. Hódie solémnitas est beátæ Vírginis Maríæ ex progénie David, per quam salus mundi credéntibus appáruit: * Cuius vita gloriósa lucem

dedit sæculo. ℣. Beatíssimæ Vírginis Maríæ solemnitátem devotíssime celebrémus. - Cuius vita gloriósa lucem dedit sæculo.

Benedictio Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ii

Nolíte me consideráre quod fusca sim, quia decolorávit me sol: fílii matris meæ pugnavérunt contra me, posuérunt me custódem in víneis: víneam meam non custodívi. Indica mihi, quem díligit ánima mea, ubi pascas, ubi cubes in merídie, ne vagári incípiam post greges sodálium tuórum. Si ignóras te, o pulchérrima inter mulíeres, egrédere, et abi post vestígia gregum, et pasce hædos tuos iuxta tabernácula pastórum. Equitátui meo in cúrribus Pharaónis assimilávi te, amíca mea. Pulchræ sunt genæ tuæ sicut túrturis: collum tuum sicut monília.

℟. ii. Gloriósæ Vírginis Maríæ solemnitátem digníssimam recolámus: * Cuius Dóminus humilitátem respéxit, quæ Angelo nuntiánte concépit Redemptórem mundi. ℣. Hódie solémnitas est beátæ Vírginis Maríæ ex progénie David. - Cuius.

Benedictio Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iii

Murénulas áureas faciémus tibi, vermiculátas argénto. Dum esset rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suum. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur. Botrus cypri diléctus meus mihi, in víneis Engáddi. Ecce tu pulchra es, amíca mea, ecce tu pulchra es, óculi tui columbárum. Ecce tu pulcher es, dilécte mi, et decórus. Léctulus noster flóridus: tigna domórum nostrárum cédrina, laqueária nostra cypréssina.

℟. iii. Stirps Iesse virgam prodúxit, virgáque florem: * Et super hunc florem Requiéscit Spíritus almus. ℣. Virgo Dei Génetrix virga est: flos Fílius eius. - Et super. - Glória. - Requiéscit.

In II Nocturno

Ant. 4 Emissiónes tuæ, paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus.

4 Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ꝛ diffúsa est grátia in lábiis tuis: * propterea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ꝛ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem: * propterea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum * et in sæculum sæculi.

Ant. Emissiónes tuæ, paradísus malórum punicórum cum pomórum frúctibus.

Ant. 5 Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

5 Psalmus 45

Deus noster refúgium et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Fons hortórum, púteus aquárum vivéntium, quæ fluunt ímpetu de Líbano.

Ant. 6 Véniat diléctus meus in hortum suum, ut cómedat fructum pomórum suórum.

6 Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus et pópulus Æthíopum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Véniat diléctus meus in hortum suum, ut cómedat fructum pomórum suórum.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Benedictio Ab hoste malígno erípiat nos Dei Génetrix Virgo.

℟. Amen.

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi

Apud Metaphrast.

Lectio iv

Dei Fílius non dívitem aut locuplétem áliquam féminam sibi matrem elégit; sed beátam Vírginem illam, cuius ánima virtútibus ornáta erat. Cum enim beáta María supra omnem hóminum natúram castitátem serváret, proptérea Christum Dóminum in ventre concépit. Ad hanc ígitur sanctíssimam Vírginem et Dei Matrem accurréntes, eius patrocínii utilitátem assequámur. Itaque quæcúmque estis vírgines, ad Matrem Dómini confúgite. Illa enim pulchérrimam, pretiosíssimam et incorruptíbilem possessiónem patrocínio suo vobis conservábit.

℟. iv. Solémnitas gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David: * Cuius vita ínclita cunctas illústrat Eccĺesias. ℣. Regáli ex progénie María exórta refúlget. - Cuius vita ínclita.

Benedictio Iesus Maríæ Fílius sit nobis clemens et propítius. ℟. Amen.

Lectio v

Magnum revéra miráculum, fratres dilectíssimi, fuit beáta semper Virgo María. Quid namque illa maius aut illústrius ullo umquam témpore invéntum est seu aliquándo inveníri póterit? Hæc sola cælum ac terram amplitúdine superávit. Quidnam illa sánctius? Non Prophétæ, non Apóstoli, non Mártyres, non Patriárchæ, non Angeli, non Throni, non Dominatiónes, non Séraphim, non Chérubim: non dénique áliud quídpiam inter creátas res visíbiles aut invisíbiles maius aut excelléntius inveníri potest. Eadem ancílla Dei est et mater; éadem Virgo et Génetrix.

℟. v. Solémnitas tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: * Ex te enim ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam. ℣. Felix namque es, quæ sola Genetrícis dignitátem obtinuísti, et virginálem pudicítiam non amisísti. - Ex te enim.

Benedictio Stella María maris succúrrat piíssima nobis. ℟. Amen.

Lectio vi

Hæc eius mater est, qui a Patre ante omne princípium génitus fuit, quem Angeli et hómines agnóscunt Dóminum rerum ómnium. Visne cognóscere, quanto Virgo hæc præstántior sit cæléstibus Poténtiis? Illæ cum timóre et tremóre assístunt, fáciem veléntes suam; hæc humánum genus illi offert, quem génuit. Per hanc et peccatórum véniam conséquimur. Ave ígitur, Mater, cælum, puélla, virgo, thronus, Ecclésiæ nostræ decus, glória et firmaméntum: assídue pro nobis precáre Iesum, Fílium tuum et Dóminum nostrum, ut per te misericórdiam invenire in die iudícii, et quæ repósita sunt iis, qui díligunt Deum, bona cónsequi possímus, grátia et benignitáte Dómini nostri Iesu Christi: cum quo Patri simul et Sancto Spirítui sit glória, honor et impérium, nunc et semper in sæcula sæculórum. Amen. Tu autem.

℟. vi. Ad nutum Dómini nostrum ditántis honórem, * Sicut spina rosam, génuit Iudæa Maríam. ℣. Ut vítium virtus operíret, grátia culpam. - Sicut spina. - Glória. - Sicut spina.

In III Nocturno

Ant. 7 Veni in hortum meum, soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis.

7 Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tóllite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Etenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣ commoveátur mare et plenitúdo eius: * gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Veni in hortum meum, soror mea sponsa: méssui myrrham meam cum aromátibus meis.

Ant. 8 Comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

8 Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ, * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Comédi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.

Ant. 9 Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Ierúsalem.

9 Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, * et bráchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra: * cantáte et exsultáte et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ.

Iubiláte in conspéctu regis Dómini: ℣ moveátur mare et plenitúdo eius: * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣ simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terrárum in iustítia * et pópulos in æquitáte.

Ant. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Ierúsalem.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix.

Benedictio Evangélica léctio sit nobis salus et protéctio. ℟. Amen.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 11

In illo témpore: Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 4 in Luc., cap. 11

Magnæ devotiónis et fídei hæc múlier osténditur, quæ, scribis et pharisæis Dóminum tentántibus simul et blasphemántibus, tanta eius Incarnatiónem præ ómnibus sinceritáte cognóscit, tanta fidúcia confitétur, ut et præséntium prócerum calúmniam et futurórum confúndat hæreticórum perfídiam. Nam, sicut tunc Iudæi, Sancti Spíritus ópera blasphemándo, verum consubstantialémque Patri Dei Fílium negábant: sic hærétici póstea, negándo Maríam semper Vírginem, Sancti Spíritus operánte virtúte, nascitúro cum humánis membris Unigénito Dei carnis suæ matériam ministrásse, verum, consubstantialémque Matri Fílium hóminis fatéri non debére dixérunt.

℟. vii. Regáli ex progénie María exórta refúlget: * Cuius précibus nos adiuvári mente et spíritu devotíssime póscimus. ℣. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ. - Cuius.

Benedictio In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

Lectio viii

Sed, si caro Verbi Dei secúndum carnem nascéntis a carne Vírginis Matris pronuntiátur extránea, sine causa venter, qui eam portásset, et úbera, quæ lactássent, beatificántur. Dicit enim Apóstolus: Quia misit Deus Fílium suum factum ex mulíere, factum sub lege. Neque audiéndi sunt qui legéndum putant: Natum ex mulíere, factum sub lege, sed Factum ex mulíere: quia concéptus ex útero virgináli, carnem non de níhilo, non aliúnde, sed matérna traxit ex carne. Alióquin nec vere Fílius hóminis dicerétur, qui orígínem non habéret ex hómine.

℟. viii. Corde et ánimo Christo canámus glóriam * In hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ. ℣. Cum iucunditáte (Solemnitátem) sanctæ Maríæ celebrémus. - In hac.

Benedictio Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio ix

Et nos ígitur, his contra Eutychen dictis, extollámus vocem cum Ecclésia cathólica, cuius hæc múlier typum gessit: extollámus et mentem de médio turbárum, dicamúsque Salvatóri: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Vere enim beáta parens, quæ, sicut quidam ait, enixa est puérpera Regem, qui cælum terrámque regit per sæcula.

℟. ix. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima, * Quia ex te ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuam (Solemnitátem). - Quia ex te. - Glória. - Christus Deus noster.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. (Solémnitas) gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. (Solémnitas) est hódie sanctæ Maríæ Vírginis, cuius vita ínclita cunctas illústrat Ecclésias.

3. Regáli ex progénie María exórta refúlget: cuius précibus nos adiuvári mente et spíritu devotíssime póscimus.

4. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

5. Cum iucunditáte (Solémnitátem) sanctæ Maríæ celebrémus, ut ipsa pro nobis intercédat ad Dóminum Iesum Christum.

Capitulum Eccli. 24

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Bened. ant. (Solemnitátem) hodiérnam perpétuæ Vírginis Genetrícis Dei Maríæ solémniter celebrémus, qua celsitúdo throni procéssit, allelúia.

Oratio

Supplicatiónem servórum tuórum, Deus, miserátor exáudi: ut, qui in (Solemnitáte) Dei Genetrícis et Vírginis congregámur, eius intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúndem.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD PRIMAM

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Sancta Dei Génetrix, * Virgo semper María. Sancta Dei Génetrix. ℣. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum. Virgo semper María. Glória. Sancta Dei Génetrix. ℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 24

Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis implémini: spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum.

℟. Post partum, Virgo, * Invioláta permansísti. Post partum, Virgo. ℣. Dei Génetrix, intercéde pro nobis. Invioláta permansísti. Glória. Post partum, Virgo.

℣. Speciósa facta es et suávis. ℟. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 24

Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

℟. Speciósa facta es * Et suávis. Speciósa facta es. ℣. In delíciis tuis, sancta Dei Génetrix. Et suávis. Glória. Speciósa facta es. ℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II VESPERAS

Ant. (Solémnitas) gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 121

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cuius participátio eius in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem: * et abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Ant. (Solémnitas) gloriósæ Vírginis Maríæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex stirpe David.

Capitulum Eccli. 24

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis.

Hymnus

Hic genuflectitur usque ad Sumens illud Ave.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cæli porta.

Sumens illud Ave
Gabriélis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Hevæ.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.

Monstra te esse matrem:
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. (Solémnitas) tua, Dei Génetrix Virgo, gáudium annuntiávit univérso mundo: ex te enim ortus est Sol iustítiæ,

Christus Deus noster: qui solvens maledictiónem dedit benedictiónem, et confúndens mortem donávit nobis vitam sempitérnam.

Oratio

Supplicatiónem servórum tuórum, Deus, miserátor exáudi: ut, qui in (Solemnitáte) Dei Genetrícis et Vírginis congregámur, eius intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúndem.

AD COMPLETORIUM

Super psalmos ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix.

Psalmi de dominica 610.

Ad Nunc dimittis ant. Corde et ánimo Christo canámus glóriam in hac sacra solemnitáte præcélsæ Genetrícis Dei Maríæ.

COMMUNE SANCTORUM

Commune Apostolorum et Evangelistarum

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte: et accipiétis regnum ætérnum, allelúia. (Infra Septuagesimam loco allelúia, dicitur dicit Dóminus.)

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

℟. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. - Qui. - Glória. - Possidébitis.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Pro Apostolis

Ad Magnif. ant. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos et exprobráverint et eiécerint nomen vestrum tamquam malum

propter Fílium hóminis: gaudéte et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Pro Evangelistis

Ad Magnif. ant. Ecce ego Ioánnes vidi óstium apértum in cælo, et ecce sedes pósita erat in eo, et in médio sedis et in circúitu eius quátuor animália plena óculis ante et retro: et dabant glóriam et honórem et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sæcula sæculórum.

AD MATUTINUM

Pro Apostolis

Invit. Gaudéte et exsultáte, * Quia nómina vestra scripta sunt in cælis.

Pro Evangelistis

Invit. Regem Evangelistárum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Exsúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos, sæcli iusti iúdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque eius sólvitis:
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus et languor ómnium:
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

1 Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.

Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.

Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.

In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.

In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:

Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:

Et occúrsus eius usque

ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta, convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint dominàti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Ant. 2 Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos.

2 Psalmus 33

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus eius in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen eius in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti eius: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo et fac bonum: * inquíre pacem et perséquere eam.

Oculi Dómini super iustos: * et aures eius in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Iuxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes iustórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt iustum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos.

Ant. 3 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.

3 Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum * et in sæculum sæculi.

Ant. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Lectiones pro omnibus tribus Nocturnis petuntur ex proprio festo uniuscuiusque Apostoli aut Evangelistæ.

℟. i. Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum, dicit Dóminus: * Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. ℣. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos. - Estóte.

℟. ii. Tóllite iugum meum super vos, dicit Dóminus, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: * Iugum enim meum suáve est et onus meum leve. ℣. Et inveniétis réquiem animábus vestris. - Iugum.

℟. iii. Dum stetéritis ante reges et præsides, nolíte cogitáre quómodo aut quid loquámini: * Dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. ℣. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. - Dábitur. - Glória. - Dábitur.

In II Nocturno

Ant. 4 Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

4 Psalmus 46

Omnes gentes, pláudite mánibus: * iubiláte Deo in voce exsultatiónis.

Quóniam Dóminus excélsus, terríbilis, * rex magnus super omnem terram.

Subiécit pópulos nobis * et gentes sub pédibus nostris.

Elégit nobis hereditátem suam: * spéciem Iacob, quam diléxit.

Ascéndit Deus in iúbilo, * et Dóminus in voce tubæ.

Psállite Deo nostro, psállite: * psállite regi nostro, psállite.

Quóniam rex omnis terræ Deus: * psállite sapiénter.

Regnábit Deus super gentes: * Deus sedet super sedem sanctam suam.

Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham, * quóniam dii fortes terræ veheménter eleváti sunt.

Ant. Príncipes populórum congregáti sunt cum Deo Abraham.

Ant. 5 Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

5 Psalmus 60

Exáudi, Deus, deprecatiónem meam: * inténde oratióni meæ.

A fínibus terræ ad te clamávi: * dum anxiarétur cor meum, in petra exaltásti me.

Deduxísti me, quia factus es spes mea: * turris fortitúdinis a fácie inimíci.

Inhabitábo in tabernáculo tuo in sæcula: * prótegar in velaménto alárum tuárum.

Quóniam tu, Deus meus, exaudísti oratiónem meam: * dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

Dies super dies regis adícies: * annos eius usque in diem generatiónis et generatiónis.

Pérmanet in ætérnum in conspéctu Dei: * misericórdiam et veritátem eius quis requíret?

Sic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Ant. Dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum, Dómine.

Ant. 6 Annuntiavérunt ópera Dei: et facta eius intellexérunt.

6 Psalmus 63

Exáudi, Deus, oratiónem meam, cum déprecor: * a timóre inimíci éripe ánimam meam.

Protexísti me a convéntu malignántium: * a multitúdine operántium iniquitátem.

Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: ℣ intendérunt arcum rem amáram, * ut sagíttent in occúltis immaculátum.

Súbito sagittábunt eum et non timébunt: * firmavérunt sibi sermónem nequam.

Narravérunt ut abscónderent láqueos: * dixérunt: Quis vidébit eos?

Scrutáti sunt iniquitátes: * defecérunt scrutántes scrutínio.

Accédet homo ad cor altum: * et exaltábitur Deus.

Sagíttæ parvulórum factæ sunt plagæ eórum: * et infirmátæ sunt contra eos linguæ eórum.

Conturbáti sunt omnes qui vidébant eos: * et tímuit omnis homo.

Et annuntiavérunt ópera Dei, * et facta eius intellexérunt.

Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo, * et laudabúntur omnes recti corde.

Ant. Annuntiavérunt ópera Dei: et facta eius intellexérunt.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

℟. iv. Vidi coniúnctos viros habéntes spléndidas vestes, et Angelus Dómini locútus est ad me dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amíci Dei. ℣. Vidi Angelum Dei volántem per médium cæli, voce magna clamántem, et dicéntem. - Isti sunt.

℟. v. Isti sunt triumphatóres et amíci Dei, qui contemnéntes iussa príncipum, meruérunt prǽmia ætérna: * Modo coronántur, et accípiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Modo.

℟. vi. Vos estis lux mundi, dicit Dóminus, * Qui in patiéntia vestra Possidébitis ánimas vestras. ℣. Et ego dispóno vobis sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis et bibátis super mensam meam in regno meo. - Qui in patiéntia vestra. - Glória. - Possidébitis ánimas vestras.

In III Nocturno

Ant. 7 Peccatórum confríngam córnua: et exaltabúntur córnua iusti.

7 Psalmus 74

Confitébimur tibi, Deus: * confitébimur et invocábimus nomen tuum.

Narrábimus mirabília tua: * cum accépero tempus, ego iustítias iudicábo.

Liquefácta est terra et omnes qui hábitant in ea: * ego confirmávi colúmnas eius.

Dixi iníquis: Nolíte iníque ágere: * et delinquéntibus: Nolíte exaltáre cornu:

Nolíte extóllere in altum cornu vestrum: * nolíte loqui advérsus Deum iniquitátem.

Quia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque a desértis móntibus: * quóniam Deus iudex est.

Hunc humíliat et hunc exáltat: * quia calix in manu Dómini vini meri, plenus mixto.

Et inclinávit ex hoc in hoc: verúmtamen fæx eius non est exinaníta: * bibent omnes peccatóres terræ.

Ego autem annuntiábo in sæculum: * cantábo Deo Iacob.

Et ómnia córnua peccatórum confríngam: * et exaltabúntur córnua iusti.

Ant. Peccatórum confríngam córnua: et exaltabúntur córnua iusti.

Ant. 8 Lux orta est iusto, et rectis corde lætítia.

8 Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ, * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odíte malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Lux orta est iusto, et rectis corde lætítia.

Ant. 9 Custodiébant testimónia eius et præcépta eius, quæ dedit illis.

9 Psalmus 98

Dóminus regnávit, irascántur pópuli: * qui

sedet super Chérubim, moveátur terra.

Dóminus in Sion magnus: * et excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo magno: ℣ quóniam terríbile et sanctum est: * et honor regis iudícium díligit.

Tu parásti directiónes: * iudícium et iustítiam in Iacob tu fecísti.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte scabéllum pedum eius: * quóniam sanctum est.

Móyses et Aaron in sacerdótibus eius: * et Sámuel inter eos qui ínvocant nomen eius:

Invocábant Dóminum, et ipse exaudiébat eos: * in colúmna nubis loquebátur ad eos.

Custodiébant testimónia eius * et præcéptum quod dedit illis.

Dómine Deus noster, tu exaudiébas eos: * Deus, tu propítius fuísti eis et ulcíscens in omnes adinventiónes eórum.

Exaltáte Dóminum Deum nostrum, ℣ et adoráte in monte sancto eius: * quóniam sanctus Dóminus Deus noster.

Ant. Custodiébant testimónia eius et præcépta eius, quæ dedit illis.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est princípatus eórum.

℟. vii. Isti sunt viri sancti, quos elégit Dóminus in caritáte non ficta, et dedit illis glóriam sempitérnam: * Quorum doctrína fulget Ecclésia, ut sole luna. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum. - Quorum doctrína.

℟. viii. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, * Et quasi colúmbæ ad fenéstras suas? ℣. Candidióres nive, nitidióres lacte, rubicundióres ébore antíquo. - Et quasi.

℟. ix. Gregem tuum, Pastor ætérne, non déseras, sed per beátos Apóstolos tuos * Perpétua defensióne custódias. ℣. Prótege, Dómine, pópulum tuum, et Apostolórum tuórum patrocínio confidéntem. - Perpétua. - Glória. - Perpétua.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem. ℟. Timéntibus nomen tuum, Dómine.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Maiórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

3. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ præcípio vobis, dicit Dóminus.

4. Beáti pacífici, beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt.

5. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

Pro Apostolis

Ad Bened. ant. Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, iudicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Pro Evangelistis

Ad Bened. ant. In médio et in circúitu sedis Dei quátuor animália senas alas habéntia, óculis úndique plena, non cessant nocte ac die dícere: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitula ut in Laudibus.

℟. In omnem terram * Exívit sonus eórum. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Exívit. Glória. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine.

AD SEXTAM

Pro Apostolis

Capitulum Act. 5

Per manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

℟. Constítues eos príncipes * Super omnem terram. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. - Super. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum.

AD NONAM

Pro Apostolis

Capitulum Act. 5

Ibant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Iesu contuméliam pati.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

℟. Nimis honoráti sunt * Amíci tui, Deus. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Amíci. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei. ℟. Et facta eius intellexérunt.

AD II VESPERAS

Ant. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius.

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Psalmus 125

In converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in Austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Psalmus 138

Dómine, probásti me, et cognovísti me: * tu cognovísti sessiónem meam et resurrectiónem meam.

Intellexísti cogitatiónes meas de longe: * sémitam meam et funículum meum investigásti.

Et omnes vias meas prævidísti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Dómine, tu cognovísti ómnia novíssima et antíqua: * tu formásti me et posuísti super me manum tuam.

Mirábilis facta est sciéntia tua ex me: * confortáta est, et non pótero ad eam.

Quo ibo a spíritu tuo? * et quo a fácie tua fúgiam?

Si ascéndero in cælum, tu illic es: * si descéndero in inférnum, ades.

Si súmpsero pennas meas dilúculo, * et habitávero in extrémis maris:

Etenim illuc manus tua dedúcet me: * et tenébit me déxtera tua.

Et dixi: Fórsitan ténebræ conculcábunt me: * et nox illuminátio mea in delíciis meis.

Quia ténebræ non obscurabúntur a te, et nox sicut dies illuminábitur: * sicut ténebræ eius, ita et lumen eius.

Quia tu possedísti renes meos: * suscepísti me de útero matris meæ.

Confitébor tibi quia terribíliter magnificátus es: * mirabília ópera tua, et ánima mea cognóscit nimis.

Non est occultátum os meum a te, quod fecísti in occúlto: * et substántia mea in inferióribus terræ.

Imperféctum meum vidérunt óculi tui, ℣. et in libro tuo omnes scribéntur: * dies formabúntur, et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificáti sunt amíci tui, Deus: * nimis confortátus est principátus eórum.

Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur: * exsurréxi, et adhuc sum tecum.

Si occíderis, Deus, peccatóres: * viri sánguinum, declináte a me:

Quia dícitis in cogitatióne: * accípient in vanitáte civitátes tuas.

Nonne qui odérunt te, Dómine, óderam? * et super inimícos tuos tabescébam?

Perfécto ódio óderam illos: * et inimíci facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum: * intérroga me, et cognósce sémitas meas.

Et vide, si via iniquitátis in me est: * et deduc me in via ætérna.

Ant. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos.

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Exsúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos, sæcli iusti iúdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque eius sólvitis:
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus et languor ómnium:
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum.

Pro Apostolis

Ad Magnif. ant. In regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos, iudicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Pro Evangelistis

Ad Magnif. ant. Tua sunt hæc, Christe, ópera, qui Sanctos tuos ita glorificas, ut étiam dignitátis grátia in eis futúræ præíre mirácula fácias: tu insígnes Evangélii prædicatóres animálium cæléstium admirábili figúra præsignásti: his namque cæléste munus collátum gloriósis indíciis es dignátus osténdere: hinc laus, hinc glória tibi résonet in sæcula.

Commune unius Martyris

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Ant. Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. Gloriósus Dei amícus N., Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum, triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum. - Glória. - Cælos.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

¶ Si de Sancto vel Beato Ordinis Prædicatorum fiat Officium vel memoria, in hoc et in sequentibus Communibus ad Vesperas dicitur:

℣. Ora pro nobis, beáte (vel beáta) N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna felíciter pervénit.

De uno Martyre Pontifice

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis confísa suffrágiis: atque eius précibus gloriósis et

devóta permáneat, et secúra consístat. Per.

Alia oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti N. Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per.

De uno Martyre non Pontifice

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti N. Mártyris tui intercessióne liberémur. Per.

Alia oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti N. Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eius intercessióne liberémur. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Regem sempitérnum, veníte, adorémus, * Qui Mártyrem suum digne pro méritis coronávit in cælis.

In festo III classis

Invit. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Deus, tuórum mílitum
Sors et coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter:
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 In lege Dómini fuit volúntas eius die ac nocte.

1 Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus

decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus viam iustórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. In lege Dómini fuit volúntas eius die ac nocte.

Ant. 2 Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto eius.

2 Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Prædicans præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto eius.

Ant. 3 Voce mea ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo.

3 Psalmus 3

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Voce mea ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Pro Martyre non Pontifice lectiones Exístimo, cum suis ℟℟. [65].

Pro Martyre Pontifice lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

De Actibus Apostolórum

Lectio i Cap. 20

A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit maióres natu ecclésiæ. Qui cum veníssent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobíscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Iudæórum: quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Iudæis, atque gentílibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Iesum Christum.

℟. i. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. - Fundátus.

Lectio ii

Et nunc ecce alligátus ego spíritu, vado in Ierúsalem, quæ in ea ventúra sint mihi, ignórans: nisi quod Spíritus Sanctus per omnes civitátes mihi protestátur, dicens: quóniam víncula et tribulatiónes Ierosólymis me manent. Sed nihil horum véreor: nec fácio ánimam meam pretiosiórem quam me, dúmmodo consúmmem cursum meum, et

ministérium verbi, quod accépi a Dómino Iesu, testificári Evangélium grátiæ Dei.

℟. ii. Posuísti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória eius in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum. - In sæculum sæculi.

Lectio iii

Et nunc ecce ego scio quia ámplius non vidébitis fáciem meam vos omnes, per quos transívi prædicans regnum Dei. Quaprópter contéstor vos hodiérna die, quia mundus sum a sánguine ómnium. Non enim subterfúgi quóminus annuntiárem omne consílium Dei vobis. Atténdite vobis, et univérso gregi, in quo vos Spíritus Sanctus pósuit epíscopos régere Ecclésiam Dei, quam acquisívit sánguine suo.

℟. iii. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum: * Omnia subiecísti sub pédibus eius. ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cælos, Deus. - Omnia. - Glória. - Omnia.

In II Nocturno

Ant. 4 Fílii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

4 Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus iustítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem, et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium iustítiæ, ℣. et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe * constituísti me. [Gl.]

Ant. Fílii hóminum scitóte quia Dóminus sanctum suum mirificávit.

Ant. 5 Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum, Dómine.

5 Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ꝛ linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ꝛ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum, Dómine.

Ant. 6 In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

6 Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ꝛ glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. In univérsa terra glória et honóre coronásti eum.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Pro Martyre non Pontifice lectiones de sermone sancti Augustini Episcopi Triumphális [66].

Pro Martyre Pontifice lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Ex Serm. 3 de S. Cypr.

Lectio iv

Fácile est honórem Mártyris celebráre: magnum est fidem atque patiéntiam Mártyris imitári. Hoc sic agámus, ut illud optémus: illud sic celebrémus, ut hoc pótius diligámus. Quid laudémus in fide Mártyris? Quia usque ad mortem certávit pro veritáte, et ídeo vicit. Blandiéntem mundum contémpsit, sæviénti non cessit: ídeo victor ad Deum accéssit.

℟. iv. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam. - Quam.

Lectio v

Abúndant in isto sæculo erróres et terróres: beatíssimus Martyr erróres sapiéntia, terróres patiéntia superávit. Magnum est, quod fecit: secútus Agnum, leónem vicit. Quando persecútor sæviébat, leo fremébat: sed, quia Agnus sursum attendebátur, qui morte mortem destrúxit, ligno pepéndit, sánguinem fudit, redémit mundum: leo deórsum calcabátur.

℟. v. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius * Corónam de

lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine. - Corónam de lápide pretióso.

Lectio vi

Beátus hic Martyr, dum inexpugnábili firmitáte certáminis sui adversárium vicit, vincéndi céteris viam fecit: non brevi compéndio vúlnerum victor, sed, adhæréntibus diu et permanéntibus pœnis, longæ colluctatiónis miráculo triumphátor. Custódia cárceris septus, in nervo ac ferro fuit: sed pósito in vínculis córpore, solútus ac liber spíritus mansit. Caro famis ac sitis diuturnitáte contábuit: sed ánimam fide et virtúte vivéntem nutriméntis spiritálibus Deus pavit.

℟. vi. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, Sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Qui minas. - Glória. - Sed ad cæléstia.

In III Nocturno

Ant. 7 Iustus Dóminus et iustítias diléxit: æquitátem vidit vultus eius.

7 Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣. paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis et sulphur et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

Ant. Iustus Dóminus et iustítias diléxit: æquitátem vidit vultus eius.

Ant. 8 Habitábit in tabernáculo tuo: requiéscet in monte sancto tuo.

8 Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ℣. qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Habitábit in tabernáculo tuo: requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. 9 Posuísti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretióso.

9 Psalmus 20

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis eius tribuísti ei: * et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum et in sæculum sæculi.

Magna est glória eius in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Posuísti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretióso.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 14

In illo témpore: Dixit Iesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem et fílios et fratres et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 37 in Evang.

Si considerémus, fratres caríssimi, quæ et quanta sunt quæ nobis promittúntur in cælis, viléscunt ánimo ómnia quæ habéntur in terris. Terréna namque substántia supérnæ felicitáti comparáta, pondus est, non subsídium. Temporális vita ætérnæ vitæ comparáta, mors est pótius dicénda quam vita. Ipse enim quotidiánus defléctus corruptiónis quid est áliud, quam quædam prolíxitas mortis? Quæ autem lingua dícere, vel quis intelléctus cápere súfficit, illa supérnæ civitátis quanta sint gáudia: Angelórum choris interésse, cum beatíssimis spirítibus glóriæ Conditóris assístere, præséntem Dei vultum cérnere, incircumscríptum lumen vidére, nullo mortis metu áffici, incorruptiónis perpétuæ múnere lætári?

℟. vii. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput eius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. - Et corónam.

Lectio viii

Sed ad hæc audíta inardéscit ánimus, iamque illic cupit assístere, ubi se sperat sine fine gaudére. Sed ad magna prémia perveníri non potest, nisi per magnos labóres. Unde et Paulus egrégius prædicátor dicit: Non coronábitur, nisi qui legítime certáverit. Deléctet ergo mentem magnitúdo præmiórum, sed non detérreat certámen labórum. Unde ad se veniéntibus Véritas dicit: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxórem et fílios et fratres et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus.

℟. viii. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis, glória honóris * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. - Et opus fortitúdinis.

Lectio ix

Sed percontári libet, quómodo paréntes et carnáliter propínquos præcípimur odísse, qui iubémur et inimícos dilígere? Et certe Véritas de uxóre dicit: Quod Deus coniúnxit, homo non séparet. Et Paulus ait: Viri, dilígite uxóres vestras, sicut et Christus Ecclésiam. Ecce discípulus uxórem diligéndam prædicat, cum Magíster dicat: Qui uxórem non odit, non potest meus esse discípulus. Numquid áliud iudex núntiat, áliud præco clamat? An simul et odísse póssumus et dilígere? Sed si vim præcépti perpéndimus, utrúmque ágere per discretiónem valémus: ut uxórem et eos, qui nobis carnis cognatióne coniúncti sunt, et quos próximos nóvimus, diligámus; et quos adversários in via Dei pátimur, odiéndo et fugiéndo nesciámus.

℟. ix. GlorióSus Dei amícus N., Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum. - Glória. - Cælos.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

3. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

4. Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic erit et miníster meus.

5. Volo, Pater, ut, ubi ego sum, illic sit et miníster meus.

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Martyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus:
Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.
Solúta sunt iam víncula
Tui sacráti córporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.
Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

Ad Bened. ant. Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me.

¶ Si contingat fieri plures memorias de aliis singulis Martyribus in Laudibus,

Pro i memoria dicitur

Ant. Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ, dicit Dóminus.

Pro ii memoria dicitur

Ant. Si quis mihi minístráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis, dicit Dóminus.

Versiculi autem hoc ordine dicuntur:

I. ℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

II. ℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Glória et honóre * Coronásti eum, Dómine. Glória et honóre. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius. ℟. Corónam de lápide pretióso.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 10

Custodívit illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit eum, et certámen forte dedit illi ut vínceret.

℟. Posuísti, Dómine, * Super caput eius. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Super. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 4

Pro iustítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro iustítia.

℟. Magna est glória eius * In salutári tuo. Magna est. ℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. In salutári tuo. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput eius. ℟. Expréssa signo sanctitátis.

AD II VESPERAS

Ant. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ℣ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣ confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣ iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣ déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Psalmus 125

In converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Qui me conféssus fúerit coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo.

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Deus, tuórum mílitum
Sors et coróna, prǽmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.
Hic nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.
Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter:
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.
Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Ad Magnif. ant. Iste est qui pro lege Dei sui morti se trádidit: non dubitávit mori: ab iníquis interféctus est, et in ætérnum vivit cum Christo: Agnum secútus est, et accépit palmam.

LECTIONES UNIUS MARTYRIS NON PONTIFICIS

In I Nocturno

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 8

Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subiécta est non volens, sed propter eum, qui subiécit eam in spe:

quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. i. Iste Sanctus pro lege Dei sui certávit usque ad mortem, et a verbis impiórum non tímuit: * Fundátus enim erat supra firmam petram. ℣. Munímine régio septus, nullátenus est ab adversáriis superátus. - Fundátus.

Lectio ii

Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ vidétur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus: per patiéntiam exspectámus.

℟. ii. Posuísti, Dómine, super caput eius corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei * In sæculum sæculi. ℣. Magna est glória eius in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum. - In sæculum sæculi.

Lectio iii

Similiter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

℟. iii. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum: * Omnia subiecísti sub pédibus eius. ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cælos, Deus. - Omnia. - Glória. - Omnia.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Serm. 44 de Sanctis

Lectio iv

Triumphális beáti Mártyris N. dies hódie nobis anniversária celebritáte recúrrit: cuius glorificatióni sicut congáudet Ecclésia, sic eius propónit sequénda vestígia. Si enim compátimur, et conglorificábimur. In cuius glorióso agóne duo nobis præcípue consideránda sunt: induráta vidélicet tortóris sævítia et Mártyris invícta patiéntia. Sævítia tortóris, ut eam detestémur: patiéntia Mártyris, ut eam imitémur.

℟. iv. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, * Quam repromísit Deus diligéntibus se. ℣. Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam. - Quam.

Lectio v

Gloriósus Christi athléta non exhórruit cárcerem: ad imitatiónem Cápitis sui tolerávit probra, sustínuit irrisiónes, flagélla non tímuit: et quot ante mortem pro Christo pértulit supplícia, tot ei de se óbtulit sacrifícia. Quod enim propinánte Apóstolo bíberat, alte retinébat, Quia non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis: et Quia momentáneum hoc et leve nostræ tribulatiónis, ætérnum glóriæ pondus operátur in cælis.

℟. v. Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius * Corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine. - Corónam.

Lectio vi

Contemplabátur enim (quantum in ænígmate infirmitas humána óculum mentis in æternitáte fígere potest) quanta sint supérnæ civitátis gáudia: et ea enarráre non suffíciens, admirándo clamábat: Quid mihi est in cælo? Quasi díceret: Excédit vires meas, excédit facultátem eloquéntiæ meæ, transcéndit capacitátem intelligéntiæ meæ illud decus, illa glória, illa celsitúdo, qua, nobis a conturbatióne hóminum remótis, in abscóndito faciéi suæ Iesus Christus Dóminus noster reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ. Huius perféctæ libertátis contemplatióne nullum vitábat perículum, nullum horrébat supplícium: et si míllies posset mori, non putábat se hanc digne posse áliqua ratióne promeréri.

℟. vi. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sánguinem suum fudit: * Qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, Sed ad cæléstia regna pervénit. ℣. Iustum dedú-

xit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. - Qui minas iúdicum non tímuit, nec terrénæ dignitátis glóriam quæsívit, sed ad cæléstia regna pervénit. - Glória. - Sed ad cæléstia regna pervénit.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram mórtuum fúerit, ipsum solum manet. Et réliqua.

Homília sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 51 in Ioannem

Ipse Dóminus Iesus erat granum mortificándum et multiplicándum: mortificándum infidelitáte Iudæórum, multiplicándum fide populórum. Iam vero exhórtans nos ad passiónis suæ sectánda vestígia, Qui amat, inquit, ánimam suam, perdet eam. Quod duóbus modis potest intélligi: Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes: si cupis vitam tenére cum Christo, noli mortem timére pro Christo. Item álio modo: Qui amat ánimam suam, perdet eam: noli amáre, ne perdas; noli amáre in hac vita, ne perdas in ætérna vita.

℟. vii. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput eius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. - Et corónam.

Lectio viii

Hoc autem, quod postérius dixi, magis vidétur habére evangélicus sensus. Séquitur enim: Et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Ergo quod supra dictum est, Qui amat (subintellígitur, in hoc mundo) ipse útique perdet; et qui eam odit (útique in hoc mundo) in vitam ætérnam ipse custódit eam. Magna et mira senténtia, quemádmodum sit hóminis in ánimam suam amor ut péreat, ódium ne péreat. Si male amáveris, tunc odísti: si bene óderis, tunc amásti.

℟. viii. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis, glória honóris * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de

lápide pretióso. - Et opus fortitúdinis.

Lectio ix

Cum ergo causæ artículus vénerit, ut hæc condítio proponátur, aut faciéndum esse contra Dei præcéptum, aut ex hac vita emigrándum; quórum duórum homo si cogátur álterum elígere, comminánte mortem persecutóre: ibi éligat Deo dilécto émori, quam offénso vívere. Ibi óderit in hoc mundo ánimam suam, ut in vitam ætérnam custódiat eam.

℟. ix. Gloriósus Dei amícus N., Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum. - Glória. - Cælos.

ALIUD EVANGELIUM

similiter pro Martyre Pontifice et non Pontifice

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 16

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum et tollat crucem suam et sequátur me. Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Homil. 56 in Matth.

Quemádmodum qui lúdicrum instítuit agónem, si cui athletárum amicítiæ vínculo iúngitur, numquam eum, nisi descénderit in certámen, coronábit: qui próprium illíus vidélicet labórem desíderat, et quo magis eum díligit, eo magis victórem vidére cupit: sic étiam Christus, quos máxime díligit, eos non solum auxílio suo, verum étiam et a seípsis vult comprobári. Mínime autem onerósam oratiónem reddit, quia non sibi solis hæc imminére, sed commúniter univérso terrárum orbi propónit, dicens: Si quis vult, sive vir, sive múlier, sive princeps, sive súbditus, hanc viam ingrediátur.

℟. vii. Stola, ut supra.

Lectio viii

Et sermo quidem unum quid significáre vidétur, tria vero cóntinet: abnegatiónem tui ipsíus, et ut crucem accípias, et tértio ut Christum sequáris: quorum duo coniúncta sunt, unum per seípsum separátim pónitur.

Considerémus ígitur prius, quidnam sit álium abnegáre: tunc recte percípies, quid sit abnegáre teípsum.

℟. viii. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis, glória honóris * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. - Et opus fortitúdinis.

Lectio ix

Quid ígitur abnegáre teípsum? Quid ígitur abnegáre álium? Qui álium iam abnegávit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis álium, si cædi eum virgis vídeat, si arcéri vínculis, quidquid áliud mali pati eum conspéxerit, non occúrrit, non auxiliátur, non fléctitur, nec prorsus ullo modo movétur, ceu ille qui pénitus ab illo alienátus est. Sic ígitur nullo nos pacto córpori nostro párcere vult, ut neque si cæditur, neque si péllitur, neque si úritur, nec si quid áliud huiúsmodi pátitur, ei parcámus.

℟. ix. Glorióus Dei amícus N., Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum. - Glória. - Cælos.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Ioánnem

Lectio vii Cap. 15

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Et réliqua.

Homilía sancti Augustíni Epíscopi

Tract. 80 in Ioannem

Iste locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra eius, mediátor Dei et hóminum, homo Christus Iesus. Unius quippe natúræ sunt vitis et pálmites. Propter quod, cum esset Deus, cuius natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cuius et nos hómines pálmites esse possémus.

℟. vii. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super

caput eius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. - Et corónam.

Lectio viii

Quid ergo est, Ego sum vitis vera? Numquid ut ádderet, Vera, hoc ad eam vitem rétulit, unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dícitur vitis per similitúdinem, non per proprietátem: quemádmodum dícitur ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera huiúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus ducúntur istæ similitúdines, non proprietátes. Sed cum dicit, Ego sum vitis vera: ab illa se útique discérnit, cui dícitur: Quómodo convérsa es in amaritúdinem, vitis aliéna? Nam quo pacto est vitis vera, quæ exspectáta est ut fáceret uvam, fecit autem spinas?

℟. viii. Coróna, ut supra.

Lectio ix

Ego sum, inquit, vitis vera: et Pater meus agrícola est. Numquid unum sunt agrícola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait, Pater maior me est. Secúndum autem id quod ait, Ego et Pater unum sumus, et ipse agrícola est: nec talis, quales sunt qui extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. Nam neque qui plantat est áliquid, neque qui rigat: sed qui increméntum dat, Deus.

℟. ix. Glorióus, ut supra.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 10

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nolíte arbitrári, quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Comment. in Matth., cap. 10

Quæ ista divísio est? inter prima enim legis præcépta accépimus: Honóra patrem tuum et matrem tuam; et ipse Dóminus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relínquo vobis. Quid sibi vult missus pótius gládius in terram, et separátus a patre fílius, et fília a matre, et nurus advérsus socrum, et hóminis doméstici eius inimíci? Igitur exínde pública auctóritas

impietáti proferétur. Ubíque ódia, ubíque bella, et gládius Dómini inter patrem et fílium, et inter fíliam matrémque desæviens.

℟. vii. Stola iucunditátis índuit eum Dóminus, * Et corónam pulchritúdinis pósuit super caput eius. ℣. Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit eum. - Et corónam.

Lectio viii

Gládius telórum ómnium telum acutíssimum est, in quo sit ius potestátis, et iudícii sevéritas, et animadvérsio peccatórum. Et huius quidem teli nómine, novi Evangélii prædicatiónem appellátam, frequens in Prophétis auctóritas est. Dei ígitur verbum nuncupátum meminérimus in gládio; qui gládius missus in terram est, id est, prædicátio eius hóminum córdibus infúsa. Fitque gravis in domo una dissénsio, et doméstica novo hómini erunt inimíca; quia ille, per verbum Dei divísus ab illis, manére et intérior et extérior, id est, et corpus et ánima, in spíritus novitáte gaudébit.

℟. viii. Coróna áurea super caput eius, expréssa signo sanctitátis, glória honóris * Et opus fortitúdinis. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso. - Et opus fortitúdinis.

Lectio ix

Pergit deínde eódem præceptórum et intelligéntiæ decúrsu. Nam, posteáquam relinquénda ómnia, quæ in sæculo caríssima sunt, imperáverat, adiécit: Qui non áccipit crucem suam et séquitur me, non est me dignus; quia Qui Christi sunt, crucifixérunt corpus cum vítiis et concupiscéntia. Et indígnus est Christo, qui non crucem suam, in qua compátimur, commórimur, consepelímur, conresúrgimus, accípiens, Dóminum sit secútus, in hoc sacraménto fídei, spíritus novitáte victúrus.

℟. ix. Gloriósus Dei amícus N., Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplícia stetit impertérritus: * Ac demum triumpháli morte insígnis, Cælos petívit sánguine laureátus. ℣. Felíci commércio, pro terrénis cæléstia, pro peritúris ætérna commútans. - Ac demum. - Glória. - Cælos.

Commune plurimorum Martyrum

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Hi sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

℟. Lavérunt stolas suas et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. - In sánguine Agni. - Glória. - In sánguine Agni.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

¶ Si de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum fiat Officium vel memoria, dicitur:

℣. Ora pro nobis, beáte N. cum sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Gaudent in cælis ánimæ Sanctórum, qui Christi vestígia sunt secúti: et quia pro eius amóre sánguinem suum fudérunt, ídeo cum Christo regnábunt in ætérnum.

De pluribus Martyribus

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per.

Alia oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere, da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per.

De pluribus Martyribus Pontificibus

Oratio

Infirmitátem nostram, quæsumus, Dómine, propítius réspice: et mala ómnia, quæ iuste merémur, sanctórum Mártyrum tuórum atque Pontíficum N. et N. intercessióne avérte. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Veníte, adorémus Regem regum, * Qui beátis Martýribus corónam dedit glóriæ.

In festo III classis

Invit. Regem Mártyrum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclita gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia:
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit:
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum sævaque vérbera:
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium:
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera práparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te, summa Déitas únaque, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Secus decúrsus aquárum plantávit víneam iustórum: et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

1 Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: *

sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus vias iustórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Secus decúrsus aquárum plantávit víneam iustórum: et in lege Dómini fuit volúntas eórum.

Ant. 2 Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus: et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

2 Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas figuli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Appreháendite, disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Tamquam aurum in fornáce probávit eléctos Dóminus: et quasi holocáusta accépit eos in ætérnum.

Ant. 3 Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

3 Psalmus 10

In Dómino confído: quómodo dícitis ánimæ meæ: * Tránsmigra in montem sicut passer?

Quóniam ecce peccatóres intendérunt arcum, ℣ paravérunt sagíttas suas in pháretra, * ut sagíttent in obscúro rectos corde.

Quóniam quæ perfecísti, destruxérunt: * iustus autem quid fecit?

Dóminus in templo sancto suo, * Dóminus in cælo sedes eius:

Oculi eius in páuperem respíciunt: * pálpebræ eius intérrogant fílios hóminum.

Dóminus intérrogat iustum et ímpium: * qui autem díligit iniquitátem, odit ánimam suam.

Pluet super peccatóres láqueos: * ignis et sulphur et spíritus procellárum pars cálicis eórum.

Quóniam iustus Dóminus et iustítias diléxit: * æquitátem vidit vultus eius.

Ant. Si coram homínibus torménta passi sunt, spes electórum est immortális in ætérnum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

De Epístola beáti Pauli Apóstoli ad Romános

Lectio i Cap. 8

Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes huius témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subiécta est non volens, sed propter eum, qui subiécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis in libertátem glóriæ filiórum Dei.

℟. i. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum: et iam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor, * Quóniam prióra transiérunt. ℣. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus. - Quóniam prióra transiérunt.

Lectio ii

Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri. Spe enim salvi facti sumus. Spes autem, quæ vidétur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat? Si autem quod non vidémus, sperámus: per patiéntiam exspectámus.

℟. ii. Viri sancti gloriósum sánguinem fudérunt pro Dómino, amavérunt

Christum in vita sua, imitáti sunt eum in morte sua: * Et ídeo corónas triumpháles meruérunt. ℣. Unus spíritus et una fides erat in eis. - Et ídeo corónas.

Lectio iii

Simíliter autem et Spíritus ádiuvat infirmitátem nostram: nam quid orémus, sicut opórtet, nescímus: sed ipse Spíritus póstulat pro nobis gemítibus inenarrabílibus. Qui autem scrutátur corda, scit quid desíderet Spíritus: quia secúndum Deum póstulat pro sanctis. Scimus autem quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis, qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti.

℟. iii. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, * Et meruérunt habére corónas perpétuas. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni. - Et meruérunt. - Glória. - Et meruérunt.

In II Nocturno

Ant. 4 Dabo Sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

4 Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ¿ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dabo Sanctis meis locum nominátum in regno Patris mei, dicit Dóminus.

Ant. 5 Sanctis, qui in terra sunt eius, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

5 Psalmus 15

Consérva me, Dómine, quóniam sperávi in te. * Dixi Dómino: Deus meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra eius, * mirificávit omnes voluntátes meas in eis.

Multiplicátæ sunt infirmitátes eórum: * póstea acceleravérunt.

Non congregábo conventícula eórum de sanguínibus, * nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

Dóminus pars hereditátis meæ et cálicis mei: * tu es qui restítues hereditátem meam mihi.

Funes cecidérunt mihi in præcláris: * étenim heréditas mea præclára est mihi.

Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intellectum: * ínsuper et usque ad noctem increpuérunt me renes mei.

Providébam Dóminum in conspéctu meo semper: * quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Propter hoc lætátum est cor meum et exsultávit lingua mea: * ínsuper et caro mea requiéscet in spe.

Quóniam non derelínques ánimam meam in inférno: * nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem.

Notas mihi fecísti vias vitæ, ℣ adimplébis me lætítia cum vultu tuo: * delectatiónes in déxtera tua usque in finem.

Ant. Sanctis, qui in terra sunt eius, mirificávit omnes voluntátes meas inter illos.

Ant. 6 Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilæ, volábunt et non defícient.

6 Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ æternáles, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Sancti, qui sperant in Dómino, habébunt fortitúdinem, assúment pennas ut áquilæ, volábunt et non defícient.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Ex Epístola sancti Cypriáni Epíscopi et Mártyris ad Mártyres et Confessóres

Lib. 2, Epist. 6

Lectio iv

Quibus ego vos láudibus prædicem, fortíssimi Mártyres? Robur péctoris vestri et perseverántiam fídei quo præcónio vocis exórnem? Tolerástis usque ad consummatiónem glóriæ duríssimam quæstiónem: nec cessístis supplíciis, sed vobis pótius supplícia cessérunt. Finem dolórum, quem torménta non dabant, corónæ dedérunt. Laniéna grávior ad hoc diu perseverávit, non ut stantem fidem deíceret, sed ut hómines Dei ad Dóminum velócius mítteret.

℟. iv. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, * Ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum. - Ut inveniréntur.

Lectio v

Vidit admírans præséntium multitúdo cæléste certámen, certámen Dei, spiritále certámen, prœlium Christi: stetísse servos eius voce líbera, mente incorrúpta, virtúte divína, telis quidem sæculáribus nudos, sed armis fídei credéntes armátos. Stetérunt torti torquéntibus fortióres, et pulsántes ac laniántes úngulas pulsáta ac laniáta membra vicérunt.

℟. v. Vérbera carníficum non timuérunt Sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fíerent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. - Ut herédes.

Lectio vi

Inexpugnábilem fidem superáre non pótuit sæviens diu plaga repetíta: quamvis rupta compáge víscerum, torqueréntur in servis Dei iam non mem-

bra, sed vúlnera. Fluébat sanguis, qui incéndium persecutiónis exstíngueret, qui flammas et ignes gehénnæ glorióso cruóre sopíret. O quale illud fuit spectáculum Dómino, quam sublíme, quam magnum, quam Dei óculis sacraménto ac devotióne mílitis eius accéptum! Quam lætus illic Christus fuit, quam libens in tálibus servis suis et pugnávit et vicit!

℟. vi. O veneránda Mártyrum gloriósa certámina, qui in suis corpóribus pro Christo immánia pertulérunt torménta! * Et ídeo percípere meruérunt immarcescíbilem ætérnæ glóriæ corónam. ℣. Despécta namque præséntis vitæ luce, contemptóque suórum córporum cruciátu, sæviéntem mundum Dei pro amóre vicérunt. - Et ídeo. - Glória. - Et ídeo.

In III Nocturno

Ant. 7 Iusti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

7 Psalmus 32

Exsultáte, iusti, in Dómino: * rectos decet collaudátio.

Confitémini Dómino in cíthara: * in psaltério decem chordárum psállite illi.

Cantáte ei cánticum novum: * bene psállite ei in vociferatióne.

Quia rectum est verbum Dómini, * et ómnia ópera eius in fide.

Díligit misericórdiam et iudícium: * misericórdia Dómini plena est terra.

Verbo Dómini cæli firmáti sunt: * et spíritu oris eius omnis virtus eórum.

Cóngregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesáuris abýssos.

Tímeat Dóminum omnis terra: * ab eo autem commoveántur omnes inhabitántes orbem.

Quóniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt.

Dóminus dissipat consília géntium: * réprobat autem cogitatiónes populórum et réprobat consília príncipum.

Consílium autem Dómini in ætérnum manet: * cogitatiónes cordis eius in generatióne et generatiónem.

Beáta gens, cuius est Dóminus Deus eius: * pópulus, quem elégit in hereditátem sibi.

De cælo respéxit Dóminus: * vidit omnes fílios hóminum.

De præparáto habitáculo suo * respéxit super omnes qui hábitant terram.

Qui finxit sigillátim corda eórum: * qui intélligit ómnia ópera eórum.

Non salvátur rex per multam virtútem: * et gigas non salvábitur in multitúdine virtútis suæ.

Fallax equus ad salútem: * in abundántia autem virtútis suæ non salvábitur.

Ecce óculi Dómini super metuéntes eum: * et in eis qui sperant super misericórdia eius:

Ut éruat a morte ánimas eórum: * et alat eos in fame.

Anima nostra sústinet Dóminum: * quóniam adiútor et protéctor noster est.

Quia in eo lætábitur cor nostrum: * et in nómine sancto eius sperávimus.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos: * quemádmodum sperávimus in te.

Ant. Iusti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum.

Ant. 8 Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, ut herédes fíerent in domo Dómini.

8 Psalmus 33

Benedícam Dóminum in omni témpore: * semper laus eius in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: * áudiant mansuéti et læténtur.

Magnificáte Dóminum mecum: * et exaltémus nomen eius in idípsum.

Exquisívi Dóminum, et exaudívit me: * et ex ómnibus tribulatiónibus meis erípuit me.

Accédite ad eum, et illuminámini: * et fácies vestræ non confundéntur.

Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum: * et de ómnibus tribulatiónibus eius salvávit eum.

Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum: * et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus: * beátus vir qui sperat in eo.

Timéte Dóminum, omnes sancti eius: * quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt: * inquiréntes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

Veníte, fílii, audíte me: * timórem Dómini docébo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * díligit dies vidére bonos?

Próhibe linguam tuam a malo: * et lábia tua ne loquántur dolum.

Divérte a malo et fac bonum: * inquíre pacem et perséquere eam.

Oculi Dómini super iustos: * et aures eius in preces eórum.

Vultus autem Dómini super faciéntes mala: * ut perdat de terra memóriam eórum.

Clamavérunt iusti, et Dóminus exaudívit eos: * et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Iuxta est Dóminus iis qui tribuláto sunt corde: * et húmiles spíritu salvábit.

Multæ tribulatiónes iustórum: * et de ómnibus his liberábit eos Dóminus.

Custódit Dóminus ómnia ossa eórum: * unum ex his non conterétur.

Mors peccatórum péssima: * et qui odérunt iustum delínquent.

Rédimet Dóminus ánimas servórum suórum: * et non delínquent omnes qui sperant in eo.

Ant. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia, ut herédes fíerent in domo Dómini.

Ant. 9 Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum: ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in ætérnum.

9 Psalmus 45

Deus noster refúgium et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Ecce merces Sanctórum copiósa est apud Deum: ipsi vero mórtui sunt pro Christo, et vivent in ætérnum.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 21

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Cum audiéritis prœlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Epíscopi

Lib. 9 in Luc. cap. 21

Verbórum cæléstium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invénit. Quanta enim prœlia et quas opiniónes accípimus prœliórum! Hunni in Alános, Aláni in Gothos, et Gothi in Taífalos et Sármatas insurrexérunt. Hos quoque in Illýrico éxsules pária Gothórum exsília fecérunt: et nondum est finis. Quæ ómnium fames, lues páriter boum atque hóminum, ceteríque pécoris! ut étiam nos, qui bellum non pertúlimus, debellátis tamen pares fécerit pestiléntia.

℟. vii. In circúitu tuo, Dómine, lumen est, quod numquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes: * Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius. - Ibi.

Lectio viii

Ergo quia in occásu sæculi sumus, præcédunt quædam ægritúdines mundi. Ægritúdo mundi est fames, ægritúdo mundi est pestiléntia, ægritúdo mundi est persecútio. Sunt autem etália bella, quæ vir sústinet christiánus, diversárum quoque prœlia cupiditátum, studiorúmque conflíctus; multóque gravióres doméstici hostes quam extránei.

℟. viii. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. - Mercédem.

Lectio ix

Nunc avarítia stímulat, nunc accéndit libído, nunc metus terret, nunc iracúndia exágitat, nunc ambítio movet, nunc terrére tentant spiritália nequítiæ, quæ sunt in cæléstibus. Itaque quasi qui-

búsdam urgétur prœliis, et quibúsdam terræ mótibus quátitur móbilis ánimi nutántis afféctus. Sed fórtior dicit: Si consístant advérsum me castra, non timébit cor meum: si exsúrgat in me prœlium, in hoc ego sperábo.

℟. ix. Lavérunt stolas suas et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. - In sánguine Agni. - Glória. - In sánguine Agni.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

¶ Si de pluribus Martyribus Ordinis Prædicatorum fiat Officium, dicitur:

℣. Ora pro nobis, beáte N. cum sóciis tuis. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Iustórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Cum palma ad regna pervenérunt Sancti: corónas decóris meruérunt de manu Dómini.

3. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt: et vivent nómina eórum in ætérnum.

4. Mártyres Dómini, Dóminum benedícite in ætérnum.

5. Mártyrum chorus, laudáte Dóminum in excélsis.

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Ætérna Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Terróre victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres
Et bestiárum déntibus:
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur:
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut Mártyrum consórtio

Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Bened. ant. Isti sunt Sancti, qui pro Dei amóre minas hóminum contempsérunt: sancti Mártyres in regno cælórum exsúltant cum Angelis. O quam pretiósa est mors Sanctórum, qui assídue assístunt ante Dóminum, et ab ínvicem non sunt separáti!

¶ Si contingat fieri plures memorias de aliis pluribus Martyribus in Laudibus,

Pro i memoria dicitur

Ant. Cum palma ad regna pervenérunt Sancti: corónas decóris meruérunt de manu Dómini.

Pro ii memoria dicitur

Ant. Córpora Sanctórum in pace sepúlta sunt: et vivent nómina eórum in ætérnum.

Versiculi autem hoc ordine dicuntur:

I. ℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

II. ℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino * Et exsultáte, iusti. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Et exsultáte, iusti. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei. ℟. Et delecténtur in lætítia.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 10

Réddidit Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. Exsúltent iusti * In conspéctu Dei. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. In conspéctu Dei. Glória. Exsúltent.

℣. Iusti autem in perpétuum vivent. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum.

AD NONAM

Capitulum Sap. 3

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis in-

sipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

℟. Iusti autem * In perpétuum vivent. Iusti autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. In perpétuum vivent. Glória. Iusti autem.

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

AD II VESPERAS

Ant. Iustórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Psalmus 125

In converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Psalmus 139

Eripe me, Dómine, ab hómine malo: * a viro iníquo éripe me.

Qui cogitavérunt iniquitátes in corde: * tota die constituébant prœlia.

Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: * venénum áspidum sub lábiis eórum.

Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: * et ab homínibus iníquis éripe me.

Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: * abscondérunt supérbi láqueum mihi:

Et funes extendérunt in láqueum: * iuxta iter scándalum posuérunt mihi.

Dixi Dómino: Deus meus es tu: * exáudi, Dómine, vocem deprecatiónis meæ.

Dómine, Dómine, virtus salútis meæ: * obumbrásti super caput meum in die belli.

Ne tradas me, Dómine, a desidério meo peccatóri: * cogitavérunt contra me, ne derelínquas me, ne forte exalténtur.

Caput circúitus eórum: * labor labiórum ipsórum opériet eos.

Cadent super eos carbónes, ℣. in ignem deícies eos: * in misériis non subsístent.

Vir linguósus non dirigétur in terra: * virum iniústum mala cápient in intéritu.

Cognóvi quia fáciet Dóminus iudícium ínopis * et vindíctam páuperum.

Verúmtamen iusti confitebúntur nómini tuo: * et habitábunt recti cum vultu tuo.

Ant. Iustórum autem ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ.

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclita gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia:
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit:
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum sævaque vérbera:
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium:
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te, summa Déitas úna-que, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. ant. Abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis Sanctórum: et iam non erit ámplius neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor: quóniam prióra transiérunt.

ALIÆ LECTIONES
de pluribus Martyribus

In II Nocturno

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi
Homil. de Machab.

Lectio iv

Quam speciósa et grata festívitas nobis enítuit, et totíus anni diébus splendídior dies hodiérna præfúlget, non de usitátis solis rádiis illumináta præclárius; sed de lúmine Mártyrum, supra corúscum omne fulgur micánte, illustráta sublímius. Multis enim sólibus illustrióres sunt Mártyres, et magnis lumináribus clarióres. Non tales de supérno solis círculo in terram rádii iaciúntur, quales a corpóribus eórum prosíliunt corúsca luce fulgóres, et ipsos diáboli óculos invidéntis obcæcant.

℟. iv. Sancti tui, Dómine, mirábile consecúti sunt iter, serviéntes præcéptis tuis, * Ut inveniréntur illæsi in aquis válidis: terra appáruit árida, et in Mari Rubro via sine impedimento. ℣. Victrícem manum tuam laudavérunt páriter, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum. - Ut inveniréntur illæsi.

Lectio v
Idem in Serm. de Mart.

Qui Sanctórum mérita religiósa caritáte mirátur, quique iustórum glórias frequénti laude collóquitur, eórum mores sanctos atque iustítiam imitétur: quóniam quem deléctat Sancti alicúius méritum, delectáre debet par circa cultum Dei obséquium. Quare aut imitári debet, si laudat, aut laudáre non debet, si imitári detréctat. Nam si proptérea iustos fidelésque dilígimus, quod in ipsis iustítiam fidémque suspícimus, póssumus nos quoque esse quod sunt, si faciámus ipsi quod fáciunt.

℟. v. Vérbera carnífícum non timuérunt sancti Dei, moriéntes pro Christi nómine, * Ut herédes fierent in domo Dómini. ℣. Tradidérunt córpora sua propter Deum ad supplícia. - Ut herédes fierent.

Lectio vi

In istis semper pares virtútes, dissímiles pugnæ, gloriósæ victóriæ. Unde tu, Christiáne, delicátus es miles, si putas te posse sine pugna víncere, sine certámine triumpháre. Exsere vires, fórtiter dímica, atróciter in prœlio isto concérta. Considera pactum, conditiónem atténde,

milítiam nosce: pactum quod spopondísti, conditiónem qua accessísti, milítiam cui nomen dedísti. Hoc enim pacto, quos miráris, cuncti pugnárunt: hac conditióne univérsi vicérunt, hac milítia omnes triumphárunt.

℟. vi. O veneránda Mártyrum gloriósa certámina, qui in suis corpóribus pro Christo immánia pertulérunt torménta! * Et ídeo percípere meruérunt immarcescíbilem ætérnæ glóriæ corónam. ℣. Despécta namque præséntis vitæ luce, contemptóque suórum córporum cruciátu, sæviéntem mundum Dei pro amóre vicérunt. - Et ídeo. - Glória. - Et ídeo.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5

In illo témpore: Videns Iesus turbas, ascéndit in montem, et, cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli eius, et apériens os suum docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Episcopi

Comment. in Matth. cap. 5

Congregátis ígitur plúribus turbis, montem conscéndit, et docet: in Patérnæ scílicet maiestátis pósitus celsitúdine, cæléstis vitæ præcépta constítuit. Non enim ætérnitátis institúta, nisi in ætérnitáte pósitus, tradidísset. Dénique ita scriptum est: Apéruit os suum, et docébat eos. Locútum eum fuísse prómptius erat dícere; sed, quia in glória Patérnæ maiestátis instíterat, et ætérnitátem docébat, idcírco ad motum spíritus eloquéntis, obedísse osténditur humáni oris offícium.

℟. vii. In circúitu tuo, Dómine, lumen est, quod numquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes: * Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius. - Ibi.

Lectio viii

Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Exémplo Dóminus docúerat humánæ ambitiónis glóriam relinquéndam, dicens: Dóminum Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies. Et cum se per Prophétas pópulum húmilem et ad verba sua treméntem præmónuit esse lectúrum; in

spíritus humilitáte perféctæ beatitúdinis pósuit exórdium.

℟. viii. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. - Mercédem.

Lectio ix

Nulla nos nec sæculáris fastus insoléntia, nec opum cupíditas, nec inánis glóriæ ambítio corrúmpat: sed subiécti Deo simus, et de communióne vivéndi in omnes commúnis vitæ caritáte teneámur. Magnum étiam in eo, quod nati sumus, divínæ bonitátis futúrum profectum existimántes: cuius prǽmium atque honos præséntis vitæ opéribus sit meréndus: atque ita per hanc spíritus humilitátem, qua a Deo nobis meminérimus et indúlta ómnia, et deínceps potióra speránda, cælórum regnum erit nostrum.

℟. ix. Lavérunt stolas suas et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. - In sánguine Agni. - Glória. - In sánguine Agni.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 6

In illo témpore: Descéndens Iesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum eius et multitúdo copiósa plebis ab omni Iudæa et Ierúsalem et marítima et Tyri et Sidónis. Et réliqua.

Homilía sancti Ambrósii Episcopi

Lib. 5 in Luc. cap. 6

Advérte ómnia diligénter, quómodo et cum Apóstolis ascéndat, et descéndat ad turbas. Quómodo enim turba nisi in húmili Christum vidéret? Non séquitur ad excélsa, non ascéndit ad sublímia. Dénique ubi descéndit, invénit infírmos: in excélsis enim infírmi esse non possunt. Sic enim Matthæus docet, in inferióribus débiles esse sanátos. Prius enim unusquísque sanándus est, ut paulátim virtútibus procedéntibus ascéndere possit ad montem. Et ídeo unumquémque in inferióribus sanat, hoc est, a libídine révocat, iniúriam cæcitátis avértit, ad vúlnera nostra descéndit: ut usu quodam et cópia suæ natúræ, compartícipes nos fáciat esse regni cæléstis.

℟. vii. In circúitu tuo, Dómine, lumen est, quod numquam defíciet, ubi constituísti lucidíssimas mansiónes: * Ibi requiéscunt Sanctórum ánimæ. ℣. Magnus Dóminus et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto eius. - Ibi.

Lectio viii Paulo post

Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Quátuor tantum beatitúdines sanctus Lucas domínicas pósuit, octo vero sanctus Matthæus: sed in istis octo illæ quátuor sunt, et in quátuor istis illæ octo. Hic enim quátuor velut virtútes ampléxus est cardináles: ille in illis octo mýsticum número reserávit. Pro octáva enim multi scribúntur psalmi: et mandátum áccipis octo illis partem dare, fortásse benedictiónibus. Sicut enim spei nostræ octáva perféctio est, ita octáva summa virtútum est.

℟. viii. Sancti mei, qui in isto sæculo certámen habuístis, * Mercédem labórum ego reddam vobis. ℣. Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum. - Mercédem.

Lectio ix

Sed prius quæ sunt amplióra videámus. Beáti, inquit, páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Primam benedictiónem hanc utérque Evangelísta pósuit. Ordine enim prima est, et parens quædam generatióque virtútum: quia qui contémpserit sæculária, ipse merébitur sempitérna: nec potest quisquam méritum regni cæléstis adipísci, qui, mundi cupiditáte posséssus, emergéndi non habet facultátem.

℟. ix. Lavérunt stolas suas et cándidas eas fecérunt * In sánguine Agni. ℣. Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas. - In sánguine Agni. - Glória. - In sánguine Agni.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 4 in Luc., cap. 12

De hoc ferménto Apóstolus præcipit: Itaque epulémur, non in

ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ et nequítiæ, sed in ázymis sinceritátis et veritátis. Nam, sicut módicum ferméntum totam farínæ, cui inícitur, massam corrúmpit, universámque mox conspersiónem suo sapóre commáculat: sic nimírum simulátio, cuius semel ánimum imbúerit, tota virtútum sinceritáte et veritáte fraudábit.

℟. vii. In circúitu, ut supra.

Lectio viii

Est ergo sensus: Atténdite ne æmulémini simulatóres: quia véniet profécto tempus, in quo et vestra virtus ómnibus et eórum revelétur hypócrisis. Verum quod séquitur, Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: non solum in futúro, quando cuncta córdium abscóndita proferéntur ad lucem; sed et in præsénti témpore potest congruénter áccipi: quóniam, quæ inter ténebras quondam pressurárum carcerúmque umbras vel locúti vel passi sunt Apóstoli, nunc clarificáta per orbem Ecclésia, lectis eórum áctibus públice prædicántur.

℟. viii. Sancti mei, ut supra.

Lectio ix

Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent quid fáciant. Si persecutóres Sanctórum, occísis corpóribus, non habent ámplius quid contra illos agant; ergo supervácua furunt insánia, qui mórtua Mártyrum membra feris avibúsque discerpénda proíciunt: cum nequáquam omnipoténtiæ Dei, quin ea resuscitándo vivíficet, obsístere possint. Et, quia duo sunt génera persecutórum, unum palam sæviéntium, álterum ficte fraudulentérque blandiéntium: contra utrúmque nos munire volens Salvátor, et ab hypócrisi pharisæórum atténdere, et a cæde carnificum præcipit non timére.

℟. ix. Lavérunt, ut supra.

Commune unius Confessoris

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Sancte N., Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N., sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe clemántia. - Et impetrátam. - Glória. - Tu defer indulgéntiam.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. ant. Conféssor Dómini N., astántem plebem corróbora sancta intercessióne: ut, qui vitiórum póndere prémimur, beatitúdinis tuæ glória sublevémur, et te duce ætérna prǽmia consequámur.

De uno Confessore Pontifice

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis veneránda solémnitas et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per.

Alia oratio

Exáudi, quæsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: ut, qui tibi digne méruit famulári, eius intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólvas peccátis. Per.

De uno Confessore Doctore

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti: præsta, quæsumus, ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per.

De uno Confessore non Pontifice

Oratio

Deus, qui nos beáti N. Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius ut, cuius natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per.

Alia oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N. Confessóris tui solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ iustítiæ fidúciam non habémus, eius, qui tibi plácuit, précibus adiuvémur. Per.

De uno Abbate

Oratio

Intercéssio nos, quæsumus, Dómine, beáti N. Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, eius patrocínio assequámur. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Confessórum Regem adorémus, * Qui cæléstis regni méritum et glóriam cóntulit sancto suo N.

In festo III classis

Invit. Regem Confessórum Dóminum, * Veníte, adorémus.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cuius célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit eius
Córporis artus.

Ob sacrum cuius méritum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus in honórem
Ipsius hymnum canit hunc libénter:
Ut piis eius précibus iuvémur,
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cæli résidens cacúmen,
Tótius mundi máchinam gubérnat
Trinus et unus.
Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Beátus vir qui in lege Dómini meditátur: volúntas eius pérmanet die

ac nocte, et ómnia quæcúmque fáciet semper prosperabúntur.

1 Psalmus 1

Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, ℣ et in via peccatórum non stetit, * et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas eius, * et in lege eius meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantátum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dabit in témpore suo:

Et fólium eius non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet, prosperabúntur.

Non sic ímpii, non sic: * sed tamquam pulvis, quem próicit ventus a fácie terræ.

Ideo non resúrgent ímpii in iudício: * neque peccatóres in concílio iustórum.

Quóniam novit Dóminus viam iustórum: * et iter impiórum períbit.

Ant. Beátus vir qui in lege Dómini meditátur: volúntas eius pérmanet die ac nocte, et ómnia quæcúmque fáciet semper prosperabúntur.

Ant. 2 Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino: prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto eius.

2 Psalmus 2

Quare fremuérunt gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ ℣ et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum et advérsus Christum eius.

Dirumpámus víncula eórum: * et proiciámus a nobis iugum ipsórum.

Qui hábitat in cælis, irridébit eos: * et Dóminus subsannábit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbábit eos.

Ego autem constitútus sum rex ab eo super Sion, montem sanctum eius, * prædicans præcéptum eius.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula a me, et dabo tibi gentes hereditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc, reges, intellígite: * erudímini, qui iudicátis terram.

Servíte Dómino in timóre: * et exsultáte ei cum tremóre.

Apprehéndite disciplínam, nequándo irascátur Dóminus, * et pereátis de via iusta.

Cum exárserit in brevi ira eius, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Ant. Beátus iste Sanctus, qui confísus est in Dómino: prædicávit præcéptum Dómini, constitútus est in monte sancto eius.

Ant. 3 Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dómine: tu exáltas caput meum et exaudísti me de monte sancto tuo.

3 Psalmus 3

Dómine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo eius.

Tu autem, Dómine, suscéptor meus es, * glória mea et exáltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi et soporátus sum: * et exsurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdántis me: * exsúrge, Dómine, salvum me fac, Deus meus.

Quóniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Ant. Tu es glória mea, tu es suscéptor meus, Dómine: tu exáltas caput meum et exaudísti me de monte sancto tuo.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Pro Doctore lectiones Beátus vir, qui in sapiéntia, cum suis ℟℟. [111].

Pro Confessore non Pontifice lectiones Beátus vir, qui invéntus est, cum suis ℟℟. [115].

Pro Confessore Pontifice lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum

Lectio i Cap. 3

Fidélis sermo: Si quis Episcopátum desíderat, bonum opus desíderat. Opórtet ergo Epíscopum irreprehensíbilem esse, uníus uxóris virum, sóbrium, prudéntem, ornátum, pudícum, hospitálem, doctórem, non vinoléntum, non percussórem, sed modéstum: non litigiósum, non cúpidum, sed suæ dómui bene præpósitum: fílios habéntem súbditos cum omni castitáte. Si quis autem dómui suæ præésse nescit, quómodo Ecclésiæ Dei diligéntiam habébit? Non neóphytum: ne in supér-

biam elátus, in iudícium íncidat diáboli. Opórtet autem illum et testimónium habére bonum ab iis, qui foris sunt, ut non in oppróbrium íncidat, et in láqueum diáboli.

℟. i. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. - Intra.

De Epístola ad Titum

Lectio ii Cap. 1

Opórtet Epíscopum sine crímine esse, sicut Dei dispensatórem: non supérbum, non iracúndum, non vinoléntum, non percussórem, non turpis lucri cúpidum: sed hospitálem, benígnum, sóbrium, iustum, sanctum, continéntem, amplecténtem eum, qui secúndum doctrínam est, fidélem sermónem: ut potens sit exhortári in doctrína sana, et eos, qui contradícunt, argúere.

℟. ii. Iustus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. - Et florébit.

Lectio iii Cap. 2

Tu autem lóquere quæ decent sanam doctrínam: senes ut sóbrii sint, pudíci, prudéntes, sani in fide, in dilectióne, in patiéntia: anus simíliter in hábitu sancto, non criminatríces, non multo vino serviéntes, bene docéntes: ut prudéntiam dóceant adolescéntulas, ut viros suos ament, fílios suos díligant, prudéntes, castas, sóbrias, domus curam habéntes, benígnas, súbditas viris suis, ut non blasphemétur verbum Dei.

℟. iii. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum: * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. - Quóniam. - Glória. - In illa.

In II Nocturno

Ant. 4 Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum: Dóminus exaudívit eum et constítuit eum in pace.

4 Psalmus 4

Cum invocárem, exaudívit me Deus iustítiæ meæ: * in tribulatióne dilatásti mihi.

Miserére mei * et exáudi oratiónem meam.

Fílii hóminum, úsquequo gravi corde? * ut quid dilígitis vanitátem et quæritis mendácium?

Et scitóte quóniam mirificávit Dóminus sanctum suum: * Dóminus exáudiet me, cum clamávero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccáre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium iustítiæ, ℣. et speráte in Dómino. * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lumen vultus tui, Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti vini et ólei sui * multiplicáti sunt.

In pace in idípsum * dórmiam et requiéscam;

Quóniam tu, Dómine, singuláriter in spe * constituísti me.

Ant. Invocántem exaudívit Dóminus Sanctum suum: Dóminus exaudívit eum et constítuit eum in pace.

Ant. 5 Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine: quóniam tu benedixísti iusto, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

5 Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ℣. linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ℣ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Ant. Læténtur omnes qui sperant in te, Dómine: quóniam tu benedixísti iusto, scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

Ant. 6 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

6 Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?

Minuísti eum paulo minus ab Angelis, ℣ glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! quia glória et honóre coronásti Sanctum tuum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Pro Doctore lectiones sancti Gregorii Papæ Qui post Orionas [112].

Pro Confessore non Pontifice lectiones de sermone sancti Ioannis Chrysostomi Beáti N. dies [116].

Pro Confessore Pontifice lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

Sermo sancti Máximi Epíscopi

Homil. 78, de S. Eusebio 2

Lectio iv

Ad sancti ac beatíssimi Patris nostri N., cuius hódie festa celebrámus, laudes addidísse áliquid, decerpsísse est: síquidem virtútum eius grátia non sermónibus exponénda est, sed opéribus comprobánda. Cum enim dicat Scriptúra: Glória patris est fílius sápiens: quantæ huius sunt glóriæ, qui tantórum filiórum sapiéntia et devotióne lætátur! In Christo enim Iesu per Evangélium ipse nos génuit.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. - Et dedit.

Lectio v

Quidquid ígitur in hac sancta plebe potest esse virtútis et grátiæ, de hoc quasi lucidíssimo fonte, ómnium rivulórum púritas emanávit. Etenim quia castitátis pollébat vigóre, quia abstinéntiæ gloriabátur angústiis, quia blandiméntis erat prædítus lenitátis, ómnium cívium in Deum provocávit afféctum: quia Pontíficis administratióne fulgébat, plures e discípulis relíquit sui sacerdótii successóres.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et.

Lectio vi

Bene et cóngrue in hac die, quam nobis beáti Patris nostri N. ad paradísum tránsitus exsultábilem reddit, præséntis psalmi versículum decantávimus: In memória ætérna erit iustus. Digne enim in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum. Illíus ergo, in quantum póssumus, vestígiis insistámus, quibus per illam nimis arctam viam ad cæli ampla festínans, qua eum sequerémur, osténdit.

℟. vi. Sancte N., Christi Conféssor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N., sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. - Et impetrátam. - Glória. - Tu defer.

In III Nocturno

Ant. 7 Dómine, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo: operátus est iustítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

7 Psalmus 14

Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiéscet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula * et operátur iustítiam:

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua:

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad níhilum dedúctus est in conspéctu eius malígnus: * timéntes autem Dóminum glorificat:

Qui iurat próximo suo, et non décipit, ℣ qui pecúniam suam non dedit ad usúram, * et múnera super innocéntem non accépit.

Qui facit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Ant. Dómine, iste Sanctus habitábit in tabernáculo tuo: operátus est iustítiam, requiéscet in monte sancto tuo.

Ant. 8 Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine: glóriam et magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

8 Psalmus 20

Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exsultábit veheménter.

Desidérium cordis eius tribuísti ei: * et voluntáte labiórum eius non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit a te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum et in sæculum sæculi.

Magna est glória eius in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex sperat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniátur manus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eórum de terra perdes: * et semen eórum a fíliis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dorsum: * in relíquiis tuis præparábis vultum eórum.

Exaltáre, Dómine, in virtúte tua: * cantábimus et psallémus virtútes tuas.

Ant. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei, Dómine: glóriam et magnum decórem imposuísti super eum: posuísti in cápite eius corónam de lápide pretióso.

Ant. 9 Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

9 Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prélio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. Hic accípiet benedictiónem a Dómino et misericórdiam a Deo salutári suo: quia hæc est generátio quæréntium Dóminum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 24

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Et réliqua.

Homilía sancti Hilárii Epíscopi

Cap. 26 et 27 in Matth.

Ut ignorántiam illam diéi ómnibus táciti non sine útilis siléntii ratióne esse scirémus, vigiláre nos Dóminus propter advéntum furis admónuit, et oratiónum assiduitáte deténtos ómnibus præceptórum suórum opéribus inhærére. Furem enim esse osténdit zábulum, ad detrahénda ex nobis spólia pervígilem et córporum nostrórum dómibus insidiántem: ut ea, incuriósis nobis et somno déditis, consiliórum suórum atque illecebrárum iáculis perfódiat.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Parátos ígitur esse nos cónvenit, quia diéi ignorátio inténtam sollicitúdinem suspénsæ exspectatiónis exágitat. Quisnam est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam? Quamquam in commúne nos ad indeféssam vigiántiæ curam adhortétur, speciálem tamen pópuli princípibus, id est Epíscopis, in exspectatióne adventúque suo sollicitúdinem mandat.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Hunc enim servum fidélem atque prudéntem, præpósitum famíliæ significat, cómmoda atque utilitátes commíssi sibi pópuli curántem. Qui, si dicto áudiens et præcéptis obédiens erit, id est, si doctrínæ opportunitáte et veritáte infirma confírmet, disrúpta consólidet, depraváta convértat, et verbum vitæ in æternitátis cibum aléndæ famíliæ dispéndat, atque hæc agens hisque ímmorans deprehendátur; glóriam a Dómino tamquam dispensátor fidélis et víllicus útilis consequétur, et super ómnia bona constituétur, id est, in Dei glória collocábitur:

qua nihil sit ultra quod mélius sit.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arséntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando revertátur a núptiis.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus et pulsáverit iánuam, invénerit vigilántem.

3. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

4. Ecce vere Israëlíta, in quo dolus non est.

5. Serve bone et fidélis, intra in gáudium Dómini tui.

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iesu, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus,

Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cuius celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.

Qui, rite mundi gáudia
Huius cadúca réspuens,
Cum Angelis cæléstibus
Lætus potítur prémiis.

Huius benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia:
Huius precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

Ad Bened. ant. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, dicit Dóminus.

¶ Si contingat fieri plures memorias de aliis Confessoribus in Laudibus,

Pro i memoria dicitur

Ant. Beátus ille servus, quem, cum vénerit Dóminus et pulsáverit iánuam, invénerit vigilántem.

Pro ii memoria dicitur

Ant. Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam, ut det illis in témpore trítici mensúram.

Versiculi autem hoc ordine dicuntur:

I. ℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

II. ℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

Si de pluribus Confessoribus fiat Officium vel memoria, dicitur:

℣. Mirábilis Deus. ℟. In Sanctis suis.

Ad Bened. ant. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis.

Oratio

Deus, qui nos sanctórum Confessórum tuórum N. et N. confessiónibus gloriósis circúmdas et prótegis: da nobis eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. Amávit eum Dóminus, * Et ornávit eum. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Et ornávit eum. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas. ℟. Et osténdit illi regnum Dei.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 39

Iustus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Deum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. Iustum dedúxit Dóminus * Per vias rectas. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Per vias. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

AD NONAM

Capitulum Sap. 10

Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus.

℟. Iustus ut palma florébit * In domo Dómini. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. In domo. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum.

AD II VESPERAS

Ant. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 111

Beátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis eius volet nimis.

Potens in terra erit semen eius: * generátio rectórum benedicétur.

Glória et divítiæ in domo eius: * et iustítia eius manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * miséricors et miserátor et iustus.

Iucúndus homo qui miserétur et cómmodat, ꝛ dispónet sermónes suos in iudício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit iustus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor eius speráre in Dómino, ℣. confirmátum est cor eius: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: ℣. iustítia eius manet in sæculum sæculi, * cornu eius exaltábitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, ℣. déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus, Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Psalmus 125

In converténdo Dóminus captivitátem Sion: * facti sumus sicut consoláti:

Tunc replétum est gáudio os nostrum: * et lingua nostra exsultatióne.

Tunc dicent inter gentes: * Magnificávit Dóminus fácere cum eis.

Magnificávit Dóminus fácere nobíscum: * facti sumus lætántes.

Convérte, Dómine, captivitátem nostram, * sicut torrens in austro.

Qui séminant in lácrimis, * in exsultatióne metent.

Eúntes ibant et flebant, * mitténtes sémina sua.

Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, * portántes manípulos suos.

Ant. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum.

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cuius célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit eius
Córporis artus.

Ob sacrum cuius méritum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus in honórem
Ipsius hymnum canit hunc libénter:
Ut piis eius précibus iuvémur,
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui supra cæli résidens cacúmen,
Tótius mundi máchinam gubérnat
Trinus et unus. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum. ℟. Stolam glóriæ índuit eum.

Ad Magnif. ant. Similábo eum viro sapiénti, qui ædificávit domum suam supra petram.

Si de pluribus Confessoribus fiat Officium vel memoria, dicitur:

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde.

Ad Magnif. ant. Fulgébunt iusti et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent; iudicábunt natiónes et regnábunt in ætérnum.

ALIUD EVANGELIUM
de Confessore Pontifice

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos et trádidit illis bona sua. Et réliqua.

Homília sancti Hilárii Epíscopi

Comment. in Matth. 25

Divísio quidem pecúniæ inæquális est, sed non ad dividéntem referénda divérsitas est. Ait enim unumquémque secúndum virtútem suam accepísse. Patrem famílias seipsum esse significat. Peregrinatiónis tempus pæniténtiæ spátium est, quo in cælis a dextris Dei ássidens, potestátem univérso géneri humáno fídei atque operatiónis evangélicæ permísit.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Igitur unusquísque secúndum fídei suæ mensúram taléntum, id est, Evangélii prædicatiónem, a prædicánte suscépit. Hæc enim incorrúpta substántia est: hoc Christi patrimónium ætérnis herédibus reservátum. Sed servus ille, qui quinque talénta accépit, pópulus ex Lege credéntium est: ex qua proféctus, méritum ipsíus recte probéque perfúnctus evangélicæ Fídei operatióne duplicávit.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

In ratióne autem ponénda iudícii exámen est: quo cæléstis verbi usus et réditus dispensáti talénti postulátur. Igitur cui erant quinque commíssa, dómino revérso de quinque decem óbtulit, talis scílicet in Fide repértus, qualis in Lege: qui decem verbórum quinque libris Móysi præceptórum obediéntiam

per grátiam evangélicæ iustificatiónis expléverit. Igitur iubétur in gáudium Dómini introíre, id est, in honórem glóriæ Christi recípitur.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

LECTIONES UNIUS DOCTORIS

In I Nocturno

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 14

Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in iustítia sua meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Qui excógitat vias illíus in corde suo, et in abscónditis suis intélligens, vadens post illam quasi investigátor, et in viis illíus consístens: qui réspicit per fenéstras illíus, et in iánuis illíus áudiens: qui requiéscit iuxta domum illíus, et in pariétibus illíus figens palum státuet cásulam suam ad manus illíus, et requiéscent in cásula illíus bona per ævum: státuet fílios suos sub tégmine illíus, et sub ramis eius morábitur: protegétur sub tégmine illíus a fervóre, et in glória eius requiéscet.

℟. i. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. - Intra.

Lectio ii Cap. 24

Qui implet quasi Phison sapiéntiam, et sicut Tigris in diébus novórum. Qui adímplet quasi Euphrátes sensum: qui multíplicat quasi Iordánis in témpore messis. Qui mittit disciplínam sicut lucem, et assístens quasi Gehon in die vindémiæ. Qui pérficit primus scire ipsam, et infírmior non investigábit eam. A mari enim abundávit cogitátio eius: et consílium illíus ab abýsso magna. Ego sapiéntia effúdi flúmina. Ego quasi trames aquæ imménsæ de flúvio, ego quasi flúvii dióryx, et sicut aquædúctus exívi de paradíso.

℟. ii. Iustus germinábit

sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. - Et florébit.

Lectio iii

Dixi: Rigábo hortum meum plantatiónum, et inebriábo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abúndans, et flúvius meus appropinquávit ad mare: quóniam doctrínam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum. Penetrábo omnes inferióres partes terræ, et inspíciam omnes dormiéntes, et illumináb omnes sperántes in Dómino. Adhuc doctrínam quasi prophetíam effúndam, et relínquam illam quæréntibus sapiéntiam, et non désinam in progénies illórum usque in ævum sanctum. Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

℟. iii. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum: * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. - Quóniam in hac. - Glória. - In illa.

In II Nocturno

Ex libro Morálium sancti Gregórii Papæ

Lib. 9, cap. 11

Lectio iv

Qui post Oríonas Hýadum nómine nisi Doctóres sanctæ Ecclésiæ designántur? Qui subdúctis Martýribus eo iam témpore ad mundi notítiam venérunt, quo fides clárius elúcet: et, représsa infidelitátis híeme, áltius per corda fidélium sol veritátis calet. Qui, remóta tempestáte persecutiónis, explétis longis nóctibus infidelitátis, tunc sanctæ Ecclésiæ orti sunt, cum ei iam per credulitátis vernum lucídior annus aperítur.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum, et beatificávit illum in glória. - Et dedit illi.

Lectio v

Nec immérito Doctóres sancti Hýadum nuncupatióne signántur. Græco quippe elóquio hýetos plúvia vocátur, et Hýades nomen a plúviis accepérunt, quia ortæ procul dúbio imbres ferunt. Bene ergo Hýadum appellatióne expréssi sunt, qui, ad statum universális Ecclésiæ, quasi in cæli fáciem dedúcti, super aréntem terram humáni péctoris sanctæ prædicatiónis imbres fudérunt. Si enim prædicatiónis sermo plúvia non esset, Móyses mínime dixísset: Exspectétur sicut plúvia elóquium meum; et nequáquam per Isaíam Véritas díceret: Mandábo núbibus meis, ne pluant super eam imbrem; atque hoc, quod paulo ante protúlimus: Quam ob rem prohíbitæ sunt stellæ pluviárum.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Lectio vi

Dum ergo Hýades cum plúviis véniunt, ad cæli spátia altióra sol dúcitur: quia, apparénte Doctórum sciéntia, dum mens nostra imbre prædicatiónis infúnditur, fídei calor augétur. Et perfúsa terra ad fructum próficit, cum lumen ætheris ignéscit: quia ubérius frugem boni óperis réddimus, dum per sacræ eruditiónis flammam in corde clárius ardémus. Dumque per eos diébus síngulis magis magísque sciéntia cæléstis osténditur, quasi intérni nobis lúminis vernum tempus aperítur: ut novus sol nostris méntibus rútilet, et, eórum verbis nobis cógnitus, seípso quotídie clárior micet. Urgénte étenim mundi fine, supérna sciéntia próficit, et lárgius cum témpore excréscit.

℟. vi. Sancte N., Christi Confessor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N., sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. - Et impetrátam cælitus. - Glória. - Tu defer indulgéntiam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 5

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Et réliqua.

Homilía sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 15 in Matth. sub med.

Atténdite quid díxerit, Vos estis sal terræ: per quod osténdit quam necessário ista præcípiat. Non enim de vestra, inquit, tantúmmodo vita, sed de univérso orbe vobis rátio reddénda est. Non ad duas quippe urbes aut decem aut vigínti, neque ad unam gentem vos mitto, sicut mittébam prophétas: sed ad omnem terram prorsus ac mare totúmque mundum, et hunc váriis crimínibus oppréssum.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Dicéndo enim, Vos estis sal terræ, osténdit univérsam hóminum infatuátam esse natúram et peccatórum vi corrúptam; et idcírco illas ab eis virtútes requírit, quæ máxime ad multórum salútem procurándam necessáriæ sunt atque útiles. Nam, qui mansuétus est ac modéstus et miséricors et iustus, non intra se tantúmmodo hæc recte facta conclúdit, verum in aliórum quoque utilitátem præcláros hos fáciet efflúere fontes. Igitur qui corde mundo est atque pacíficus, et persecutiónem pro veritáte pátitur, nihilóminus in commúne cómmodum vitam instítuit.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Ne ígitur putétis, inquit, ad lévia vos ducéndos esse certámina, neque exiguárum rerum vobis ineúndam esse ratiónem. Vos estis sal terræ. Quid ígitur? Ipsíne putrefácta medicáti sunt? Nequáquam: neque enim fieri potest, ut ea, quæ iam corrúpta sunt, salis perfricatióne reparéntur. Non ergo hoc fecérunt; sed ante renováta sibíque trádita atque ab illa iam putrédine liberáta aspergébant sale et in ea novitáte conservábant, quam a Dómino suscéperant. Liberáre quippe a putrédine peccatórum, Christi virtútis est; ut autem ad illa íterum non revertántur, Apostolórum curæ est ac labóris.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ arléntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

LECTIONES UNIUS CONFESSORIS NON PONTIFICIS

In I Nocturno

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 31

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? Fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

℟. i. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: * Intra in gáudium dómini tui. ℣. Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecceália quinque superlucrátus sum. - Intra.

Lectio ii Cap. 32

Qui timet Dóminum, excípiet doctrínam eius: et qui vigiláverint ad illum, invénient benedictiónem. Qui quærit legem, replébitur ab ea: et qui insidióse agit, scandalizábitur in ea. Qui timent Dóminum invénient iudícium iustum, et iustítias quasi lumen accéndent. Qui credit Deo, atténdit mandátis: et qui confídit in illo, non minorábitur.

℟. ii. Iustus germinábit sicut lílium, * Et florébit in ætérnum ante Dóminum. ℣. Plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. - Et florébit.

Lectio iii Cap. 33 et 34

Timénti Dóminum non occúrrent mala, sed in tentatióne Deus illum

conservábit, et liberábit a malis. Sápiens non odit mandáta et iustítias, et non illidétur quasi in procélla navis. Homo sensátus credit legi Dei, et lex illi fidélis. Spíritus timéntium Deum quæritur, et in respéctu illíus benedicétur. Spes enim illórum in salvántem illos, et óculi Dei in diligéntes se. Qui timet Dóminum nihil trepidábit, et non pavébit: quóniam ipse est spes eius. Timéntis Dóminum beáta est ánima eius.

℟. iii. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum: * Quóniam in hac peregrinatióne solo córpore constitútus, cogitatióne et aviditáte In illa ætérna pátria conversátus est. ℣. Vínculis carnis absolútus, taléntum sibi créditum Dómino suo duplicátum reportávit. - Quóniam. - Glória. - In illa.

In II Nocturno

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi

In Orat. de S. Philog.

Lectio iv

Beáti N. dies, cuius festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit: síquidem hódie beátus iste ad tranquíllam omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit: eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem.

℟. iv. Magnificávit eum in conspéctu regum, * Et dedit illi corónam glóriæ. ℣. Státuit illi testaméntum sempitérnum et beatificávit illum in glória. - Et dedit illi.

Lectio v

Quam ob rem maximópere grátulor huius Sancti felicitáti, quod, quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit: tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei: ac, digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in cælis: ac, relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum.

℟. v. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum, * Et ad portas paradísi coronávit eum. ℣. Induit eum Dóminus lorícam fídei, et ornávit eum. - Et ad portas.

Sermo sancti Ephræm Syri, Diáconi

Encomio in S. Basil.

Lectio vi

Sápiens hic et fidélis N. vere gressus est virtútum, liber laudum, vita miraculórum: qui in carne grádiens, spíritu incedébat; communémque cum áliis in terra vitam degens, supérna contemplabátur: berýllium plectrum mýsticæ cítharæ regiónem sanctórum Angelórum obléctans: certus agnus matrícis vitæ, Spíritus Sancti agrum ac hortum illústrans, desidério atque amóre exsúltans, ac florem ex ima radíce pretiosíssimæ crucis decérpens: membrána pulchra divínæ sapiéntiæ, quæ de cælo divínas impressiónes accépit.

℟. vi. Sancte N., Christi Confessor, audi rogántes sérvulos: * Et impetrátam cælitus Tu defer indulgéntiam. ℣. O sancte N., sidus áureum, Dómini grátia servórum gémitus sólita súscipe cleméntia. - Et impetrátam. - Glória. - Tu defer indulgéntiam.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 11

In illo témpore: Respóndens Iesus dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Et réliqua.

Homília sancti Ioánnis Chrysóstomi

Hom. 39 in Matth.

Quod hic, Confíteor, dixit, idem valet quod Grátias ago. Grátias, inquit, tibi ago, quóniam a prudéntibus et sapiéntibus hæc celásti. An ígitur perditióne illórum gaudére ipsum dicémus, et quóniam illi hæc non didicére? Mínime. Non ergo quia sapiéntes non cognovérunt, gaudet: sed quia párvuli percepérunt, lætátur. Ita et Paulus dicit: Grátias ago Deo meo, quóniam fuístis servi peccáti: obedístis autem ex corde in quam tráditi estis formam doctrínæ. Non ergo Paulus proptérea gaudet, quia erant servi peccáti; sed quia, cum essent huiúsmodi, veritátis cultóres facti sunt.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Prudéntes autem hic scribas et pharisæos appéllat: quibus verbis alacrióres reddit discípulos: cum intélligant illa se piscatóres esse consecútos, a quibus illi summi, ut vidébántur, viri excidérunt. Cum autem Sapiéntes díxerit: non illam veram laudábilem sapiéntiam intélligit: sed hanc quæ sæculári doctrína præstátur. Idcírco étiam non dixit, Stultis revelásti, sed Párvulis: quasi non formátis adhuc, sed simplícibus.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Ita osténdit non indígne illos, sed iure his rebus fuísse privátos: ac per ómnia nos docet flatum supérbiæ omníno esse fugiéndum ac simplicitátem æmulándam. Quod Paulus amplióribus verbis scribit, dicens: Si quis in vobis vidétur in hoc sæculo sápiens esse, is fiat stultus, ut sápiens efficiátur: sic enim grátia Dei monstrátur. Cur vero grátias agit Patri, cum ipse illud fécerit? Sicut orat et intercédit pro nobis ad Deum, magnam erga nos declárans caritátem, sic étiam et hoc ex caritátis fervóre péragit.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum quando revertátur a núptiis. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 13 in Evang.

Sancti Evangélii, fratres caríssimi, apérta vobis est léctio recitáta: sed

ne alíquibus ipsa eius planities alta fortásse videátur, eam sub brevitáte transcúrrimus, quátenus eius expositio ita nesciéntibus fiat cógnita, ut tamen sciéntibus non sit onerósa. Lumbórum nómine luxúria designátur, cum Dóminus dicit, Sint lumbi vestri præcíncti. Lumbos enim præcíngimus, cum carnis luxúriam per continéntiam coarctámus.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Sed, quia minus est mala non ágere, nisi étiam quisque stúdeat et bonis opéribus insudáre, prótinus ádditur: Et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris. Lucérnas quippe ardéntes in mánibus tenémus, cum per bona ópera próximis nostris lucis exémpla demonstrámus. De quibus profécto opéribus Dóminus dicit: Lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.

℟. viii. Iustum, ut supra.

Lectio ix

Duo autem sunt quæ iubéntur: et lumbos præcíngere, et lucérnas ténere: ut et mundítia sit castitátis in córpore, et lumen veritátis in operatióne. Redemptóri étenim nostro unum sine áltero nequáquam placére potest: si aut is, qui bona agit, adhuc luxúriæ inquinaménta non déserit; aut is, qui castitáte præéminet, necdum se per bona ópera exércet. Nec cástitas ergo magna est sine bono ópere, nec opus bonum est áliquid sine castitáte.

℟. ix. Sint lumbi, ut supra.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 12

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis: Nolíte timére pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Et réliqua.

Homília sancti Bedæ Venerábilis Presbýteri

Lib. 4 in Luc., cap. 12

Pusíllum gregem electórum, vel ob comparatiónem maióris núməri

reprobórum, vel pótius ob humilitátis devotiónem nóminat. Quia vidélicet Ecclésiam suam, quantálibet numerositáte iam dilatátam, tamen usque ad finem mundi humilitáte vult créscere, et ad promíssum regnum humilitáte pervenire.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Nolíte, inquit, timére, ne propter regnum Dei militántibus huius vitæ necessária desint: quin étiam possessa propter eleemósynam véndite. Quod tunc digne fit, quando quis, semel pro Dómino suis ómnibus spretis, nihilóminus post hæc labóre mánuum, unde et victum transígere et eleemósynam dare queat, operátur.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt: eleemósynas vidélicet operándo, quarum merces in ætérnum máneat. Ubi non hoc præcéptum esse putándum est, ut nihil pecúniæ reservétur a sanctis, vel suis scílicet vel páuperum úsibus suggeréndæ: sed, ne Deo propter ista serviátur, et ob inópiæ timórem iustítia deserátur.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

ALIUD EVANGELIUM

Léctio sancti Evangélii secúndum Lucam

Lectio vii Cap. 10

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos, et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Hom. 17 in Evang.

Dóminus et Salvátor noster, fratres caríssimi, binos in prædicatiónem discípulos mittit: quia duo sunt præcépta caritátis, Dei vidélicet amor et próximi: et minus quam inter duos cáritas habéri non potest. Ecce enim binos ad prædicándum discípulos Dóminus mittit: quátenus hoc nobis tácitus ínnuat, quia qui caritátem erga álterum non habet, prædicatiónis offícium suscípere nullátenus debet.

℟. vii. Iustus, ut supra.

Lectio viii

Bene autem dícitur quia misit eos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum quo erat ipse ventúrus. Prædicatóres enim suos Dóminus séquitur: quia prædicátio prævenit, et tunc ad mentis nostræ habitáculum Dóminus venit, quando verba exhortatiónis præcúrrunt, atque per hæc véritas in mente suscípitur. Hinc namque eísdem prædicatóribus Isaías dicit: Paráte viam Dómini: rectas fácite sémitas Dei nostri.

℟. viii. Iustum, ut supra.

Lectio ix

Hinc illis Psalmísta ait: Iter fácite ei, qui ascéndit super occásum. Super occásum namque Dóminus ascéndit: quia unde in passióne occúbuit, inde maiórem suam glóriam resurgéndo manifestávit. Super occásum vidélicet ascéndit: quia mortem, quam pértulit, resurgéndo calcávit. Ei ergo, qui ascéndit super occásum, iter fácimus, cum nos eius glóriam vestris méntibus prædicámus: ut eas et ipse post véniens per amóris sui præséntiam illústret.

℟. ix. Sint lumbi, ut supra.

LECTIONES UNIUS ABBATIS

In I Nocturno

Lectiones unius Confessoris non Pontificis Beátus vir, qui invéntus est [115].

In II Nocturno

Lectiones quæ notatæ fuerint in Proprio Sanctorum.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 19

In illo témpore: Dixit Petrus ad Iesum: Ecce

nos relíquimus ómnia et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homilía sancti Hierónymi Presbýteri

Lib. 3 in Matth. cap. 19

Grandis fidúcia! Petrus piscátor erat, dives non fúerat, cibos manu et arte quærébat: et tamen lóquitur confidénter: Relíquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, iungit quod perféctum est: Et secúti sumus te. Fécimus quod iussísti: quid ígitur nobis dabis prǽmii? Iesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, iudicántes duódecim tribus Israël.

℟. vii. Iustus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, * In átriis domus Dei nostri florébit. ℣. Glória et divítiæ in domo eius: et iustítia eius manet in sæculum sæculi. - In átriis.

Lectio viii

Non dixit, Qui reliquístis ómnia: hoc enim et Crates fecit philósophus, et multi álii divítias contempsérunt: sed, Qui secúti estis me: quod próprie Apostolórum est atque credéntium. In regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede maiestátis suæ (quando et mórtui de corruptióne resúrgent incorrúpti), sedébitis et vos in sóliis iudicántium, condemnántes duódecim tribus Israël, quia vobis credéntibus illi crédere noluérunt.

℟. viii. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: * Honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus. ℣. Immortális est enim memória illíus, quia apud Deum nota est et apud hómines. - Honestávit.

Lectio ix

Et omnis qui relíquerit domum vel fratres aut soróres aut patrem aut matrem aut uxórem aut fílios aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa sententia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem a patre suo, et matrem a fília, et nurum a socru: et inimíci hóminis doméstici eius. Qui ergo propter fidem Christi et prædicatiónem Evangélii omnes afféctus contempserint atque divítias et sæculi voluptátes, isti céntuplum recípient et vitam ætérnam possidébunt.

℟. ix. Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, * Et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, Quando revertátur a núptiis. ℣. Vigiláte ergo, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. - Et vos. - Glória. - Quando.

Commune unius Virginis

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Veniénte Sponso, prudens Virgo præparáta introívit cum eo ad núptias.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem crédidi.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Ista est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit: quæ accépta lámpade sumpsit secum óleum, et veniénte Dómino introívit cum eo ad núptias.

De una Virgine et Martyre

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta N. Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis et tuæ professióne virtútis. Per.

Alia oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius ut, qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuæ solémnia cólimus, eius apud te patrocínia sentiámus. Per.

De una Virgine non Martyre

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut sicut de beátæ N. Vírginis tuæ festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

AD MATUTINUM

Invit. Agnum, sponsum Vírginum, * Veníte, adorémus Dóminum Iesum Christum.

In festo III classis

Invit. Regem Vírginum Dóminum, * Veníte, adorémus.

In festo unius Virginis et Martyris dicitur sequens

Hymnus

Vírginis Proles opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus trophæum,
Accipe votum.
Hæc tua Virgo dúplici beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Córpore sæclum.
Unde nec mortem, nec amíca mortis
Sæva pœnárum génera pavéscens,
Sánguine fuso méruit sacráta
Scándere cælum.
Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

In festo autem unius Virginis non Martyris dicitur sequens

Hymnus

Vírginis Proles, opiféxque matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus beátæ,
Accipe votum.
Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 Ante torum huius Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

1 Psalmus 8

Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!
Quóniam eleváta est magnificéntia tua * super cælos.
Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.
Quóniam vidébo cælos tuos, ópera digitórum tuórum: * lunam et stellas, quæ tu fundásti.
Quid est homo, quod memor es eius? * aut fílius hóminis, quóniam vísitas eum?
Minuísti eum paulo minus ab Angelis, * glória et honóre coronásti eum: * et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.
Omnia subiecísti sub pédibus eius, * oves et boves univérsas: ínsuper et pécora campi.
Vólucres cæli et pisces maris, * qui perámbulant sémitas maris.
Dómine, Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Ant. Ante torum huius Vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica drámatis.

Ant. 2 Unguéntum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

2 Psalmus 18

Cæli enárrant glóriam Dei, * et ópera mánuum eius annúntiat firmaméntum.
Dies diéi erúctat verbum, * et nox nocti índicat sciéntiam.
Non sunt loquélæ, neque sermónes, * quorum non audiántur voces eórum.
In omnem terram exívit sonus eórum: * et in fines orbis terræ verba eórum.
In sole pósuit tabernáculum suum: * et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo:
Exsultávit ut gigas ad curréndam viam, * a summo cælo egréssio eius:
Et occúrsus eius usque ad summum eius: * nec est qui se abscóndat a calóre eius.

Lex Dómini immaculáta convértens ánimas: * testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis.

Iustítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda: * præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

Timor Dómini sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: * iudícia Dómini vera, iustificáta in semetípsa.

Desiderabília super aurum et lápidem pretiósum multum: * et dulcióra super mel et favum.

Etenim servus tuus custódit ea, * in custodiéndis illis retribútio multa.

Delícta quis intélligit? ℣ ab occúltis meis munda me: * et ab aliénis parce servo tuo.

Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: * et emundábor a delícto máximo.

Et erunt ut compláceant elóquia oris mei: * et meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Dómine, adiútor meus * et redémptor meus.

Ant. Unguéntum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Ant. 3 O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

3 Psalmus 23

Dómini est terra et plenitúdo eius, * orbis terrárum et univérsi qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum, * et super flúmina præparávit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stabit in loco sancto eius?

Innocens mánibus et mundo corde, ℣ qui non accépit in vano ánimam suam, * nec iurávit in dolo próximo suo.

Hic accípiet benedictiónem a Dómino: * et misericórdiam a Deo, salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium eum, * quæréntium fáciem Dei Iacob.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus fortis et potens, Dóminus potens in prœlio.

Attóllite portas, príncipes, vestras, ℣ et elevámini, portæ ætérnales, * et introíbit rex glóriæ.

Quis est iste rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est rex glóriæ.

Ant. O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Pro Virgine non Martyre lectiones De virgínibus, cum suis ℣℟. [140].

Pro Virgine Martyre lectiones cum suis ℣℟. ut infra.

De libro Ecclesiástici

Lectio i Cap. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adiútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua iniústa.

℟. i. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit: * Pro cuius amóre sánguinem tuum fudísti et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. - Pro cuius.

Lectio ii

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum, et vita mea appropínquans erat in inférno deórsum. Circumdedérunt me úndique, et non erat qui adiuváret. Respíciens eram ad adiutórium hóminum, et non erat. Memoráta sum misericórdiæ tuæ, Dómine, et operatiónis tuæ, quæ a sæculo sunt: quóniam éruis sustinéntes te, Dómine, et líberas eos de mánibus géntium.

℟. ii. Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam. - Et dedúcet.

Lectio iii

Exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, Patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis

meæ, et in témpore superbórum sine adiutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, et benedícam nómini Dómini.

℟. iii. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. - Inténde. - Glória. - Próspere.

In II Nocturno

Ant. 4 Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

4 Psalmus 44

Eructávit cor meum verbum bonum: * dico ego ópera mea regi.

Lingua mea cálamus scribæ * velóciter scribéntis.

Speciósus forma præ fíliis hóminum, ℣ diffúsa est grátia in lábiis tuis: * proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Accíngere gládio tuo super femur tuum, * potentíssime,

Spécie tua et pulchritúdine tua * inténde, próspere procéde, et regna.

Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Sagíttæ tuæ acútæ, ℣ pópuli sub te cadent, * in corda inimicórum regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: * virga directiónis virga regni tui.

Dilexísti iustítiam et odísti iniquitátem: * proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Myrrha et gutta et cásia a vestiméntis tuis, a dómibus ebúrneis: * ex quibus delectavérunt te fíliæ regum in honóre tuo.

Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto: * circúmdata varietáte.

Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: * et oblivíscere pópulum tuum et domum patris tui.

Et concupíscet rex decórem tuum: * quóniam ipse est Dóminus Deus tuus, et adorábunt eum.

Et fíliæ Tyri in munéribus, * vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis.

Omnis glória eius fíliæ regis ab intus, * in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus.

Adducéntur regi vírgines post eam: * próximæ eius afferéntur tibi.

Afferéntur in lætítia et exsultatióne: * adducéntur in templum regis.

Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: * constítues eos príncipes super omnem terram.

Mémores erunt nóminis tui * in omni generatióne et generatiónem.

Proptérea pópuli confitebúntur tibi in ætérnum * et in sæculum sæculi.

Ant. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Ant. 5 Adiuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio eius, non commovébitur.

5 Psalmus 45

Deus noster refúgium et virtus: * adiútor in tribulatiónibus, quæ invenérunt nos nimis.

Proptérea non timébimus dum turbábitur terra: * et transferéntur montes in cor maris.

Sonuérunt et turbátæ sunt aquæ eórum: * conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

Flúminis ímpetu lætíficat civitátem Dei: * sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Deus in médio eius, non commovébitur: * adiuvábit eam Deus mane dilúculo.

Conturbátæ sunt gentes et inclináta sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Veníte, et vidéte ópera Dómini, ℣ quæ pósuit prodígia super terram: * áuferens bella usque ad finem terræ.

Arcum cónteret et confrínget arma: * et scuta combúret igni.

Vacáte, et vidéte quóniam ego sum Deus: * exaltábor in géntibus et exaltábor in terra.

Dóminus virtútum nobíscum: * suscéptor noster Deus Iacob.

Ant. Adiuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio eius, non commovébitur.

Ant. 6 Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

6 Psalmus 86

Fundaménta eius in móntibus sanctis: * díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriósa dicta sunt de te, * cívitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylónis * sciéntium me.

Ecce alienígenæ et Tyrus et pópulus Æthiópum, * hi fuérunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo et homo natus est in ea: * et ipse fundávit eam Altíssimus?

Dóminus narrábit in scriptúris populórum et príncipum: * horum qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium * habitátio est in te.

Ant. Læva eius sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Pro Virgine non Martyre lectiones de sermone sancti Augustini Episcopi In festo Virginis, cum suis ℟℟. [141].

Pro Virgine Martyre lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

Sermo sancti Máximi Episcopi

Homil. de S. Agnete

Lectio iv

Cum in toto mundo virgíneus flos Maríæ immarcescíbiles corónas innéctat, et sceptrígeram pudóris aulam immaculáto consérvet afféctu: eo usque intégritas perseverávit ad palmam, ut in puéllis trophæum sanctitátis arríperet, et per vestígia Matris Vírginis ad cæléstem thálamum perveníret. O quam imitábile virgínibus, Virgo, tui amóris tradidísti exémplum, contemnéndo mundi divítias, exsecrándo carnis concupiscéntias, et solam Christi pulchritúdinem adamándo!

℟. iv. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est: in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, prǽmia calcávit. - Et Dóminus.

Lectio v

Beatíssima hæc Virgo magnum de se pudicítiæ excitávit exémplum, cum virginitátem prætulit vitæ, trophæum crucis Christi arrípuit, et tam contra libídines quam étiam contra supplícia univérsa, fide pótius armáta quam ferro, fórtiter dimicávit et vicit. Nescit amáre áliquid quod transit: et dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammas, nec supplícia, nec carnífices métuit: postrémo nec gládium furéntis percussóris expávit.

℟. v. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit: quæ, acéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et, veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. - Et veniénte.

Lectio vi

Veni iam, Virgo, ad thálamum, quem quæsísti: ut sponsam te virgínitas immaculáta cómprobet Christi, et Mártyrem conféssio probáta consígnet. Felix catérva vírginum, quibus stúdium est tuæ sequi confessiónis vestígia! Itaque o spléndida Christo, pulchra Dei Fílio, et ómnibus Angelis atque Archángelis grata: ut nostri memínisse dignéris, quibus póssumus, précibus exorámus: ut nobis ille tríbuat peccatórum indulgéntiam, qui tibi tuórum ómnium labórum trádidit palmam.

℟. vi. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi * In lætítia et exsultatióne. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte lámpades vestras: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - In lætítia. - Glória. - In lætítia.

In III Nocturno

Ant. 7 Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

7 Psalmus 95

Cantáte Dómino cánticum novum: * cantáte Dómino, omnis terra.

Cantáte Dómino et benedícite nómini eius: * annuntiáte de die in diem salutáre eius.

Annuntiáte inter gentes glóriam eius, * in ómnibus pópulis mirabília eius.

Quóniam magnus Dóminus et laudábilis nimis: * terríbilis est super omnes deos.

Quóniam omnes dii géntium dæmónia: * Dóminus autem cælos fecit.

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: * sanctimónia et magnificéntia in sanctificatióne eius.

Afférte Dómino, pátriæ géntium, ℣ afférte Dómino glóriam et honórem: * afférte Dómino glóriam nómini eius.

Tollite hóstias et introíte in átria eius: * adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

Commoveátur a fácie eius univérsa terra: * dícite in géntibus quia Dóminus regnávit.

Étenim corréxit orbem terræ, qui non commovébitur: * iudicábit pópulos in æquitáte.

Læténtur cæli et exsúltet terra: ℣ commoveátur mare et plenitúdo eius: *

gaudébunt campi et ómnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultábunt ómnia ligna silvárum a fácie Dómini, quia venit: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terræ in æquitáte * et pópulos in veritáte sua.

Ant. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Ant. 8 Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

8 Psalmus 96

Dóminus regnávit, exsúltet terra: * læténtur ínsulæ multæ.

Nubes et calígo in circúitu eius: * iustítia et iudícium corréctio sedis eius.

Ignis ante ipsum præcédet, * et inflammábit in circúitu inimícos eius.

Illuxérunt fúlgura eius orbi terræ: * vidit et commóta est terra.

Montes sicut cera fluxérunt a fácie Dómini: * a fácie Dómini omnis terra.

Annuntiavérunt cæli iustítiam eius: * et vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

Confundántur omnes qui adórant sculptília: * et qui gloriántur in simulácris suis.

Adoráte eum, omnes Angeli eius: * audívit et lætáta est Sion.

Et exsultavérunt fíliæ Iudæ, * propter iudícia tua, Dómine:

Quóniam tu Dóminus Altíssimus super omnem terram: * nimis exaltátus es super omnes deos.

Qui dilígitis Dóminum, odite malum: * custódit Dóminus ánimas sanctórum suórum, de manu peccatóris liberábit eos.

Lux orta est iusto, * et rectis corde lætítia.

Lætámini, iusti, in Dómino: * et confitémini memóriæ sanctificatiónis eius.

Ant. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Ant. 9 Hæc est Virgo sápiens atque gloriósa, quia Dóminus ómnium diléxit eam.

9 Psalmus 97

Cantáte Dómino cánticum novum, * quia mirabília fecit.

Salvávit sibi déxtera eius, * et bráchium sanctum eius.

Notum fecit Dóminus salutáre suum: * in conspéctu géntium revelávit iustítiam suam.

Recordátus est misericórdiæ suæ * et veritátis suæ dómui Israël.

Vidérunt omnes términi terræ * salutáre Dei nostri.

Iubiláte Deo, omnis terra: * cantáte et exsultáte et psállite.

Psállite Dómino in cíthara, in cíthara et voce psalmi: * in tubis ductílibus et voce tubæ córneæ.

Iubiláte in conspéctu regis Dómini: ℣. moveátur mare et plenitúdo eius: * orbis terrárum et qui hábitant in eo.

Flúmina plaudent manu, ℣. simul montes exsultábunt a conspéctu Dómini: * quóniam venit iudicáre terram.

Iudicábit orbem terrárum in iustítia * et pópulos in æquitáte.

Ant. Hæc est Virgo sápiens atque gloriósa, quia Dóminus ómnium diléxit eam.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Pro Virgine Martyre

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 11 in Evang.

Cælórum regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur. Qua in re notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus: malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident.

℟. vii. Audívi vocem de cælo veniéntem: veníte,

omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. - Oleum.

Lectio viii

Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant: sed ut sic sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto. Rursum cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam ínvenit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit: quia qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit: ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit.

℟. viii. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Quia.

Lectio ix

Recte per Salomónem dícitur: Fortis est ut mors diléctio: quia, sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc, cuius hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, prǽmia calcávit. Quid inter hæc nos barbáti et débiles dícimus, qui ire ad regna cæléstia puéllas per ferrum vidémus, quos ira súperat, supérbia inflat, ambítio pertúrbat, luxúria ínquinat? Qui si adipísci regna cælórum per bella persecutiónum non póssumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quod Deum nólumus saltem per pacem sequi.

℟. ix. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Hæc est Virgo sápiens et una de número prudéntum.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

3. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

4. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

5. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas.

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Hymnus

Iesu, coróna vírginum,
Quem Mater illa cóncipit,
Quæ sola virgo párturit,
Hæc vota clemens áccipe.

Qui pascis inter lília,
Septus choréis vírginum,
Sponsus decórus glória
Sponsísque reddens prǽmia.

Quocúmque pergis, vírgines
Sequúntur, atque láudibus
Post te canéntes cúrsitant,
Hymnósque dulces pérsonant.

Te deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Bened. ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

¶ Si contingat in Laudibus fíeri plures memorias de aliis Virginibus,

Pro i memoria dicitur

Ant. Hæc est Virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit.

Pro ii memoria dicitur

Ant. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum.

Versiculi autem hoc ordine dicuntur:

I. ℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

II. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

Si de pluribus Virginibus fiat Officium vel memoria, dicitur:

Ad Bened. ant. Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ.

Versiculi autem hoc ordine dicuntur:

I. ℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

II. ℣. Média nocte clamor factus est. ℟. Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Propterea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM

Capitulum 2 Cor. 11

Æmulor enim vos Dei æmulatióne: despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

AD NONAM

Capitulum Sap. 4

O quam pulchra est casta generátio cum claritáte: immortális est enim memória illíus: quóniam apud Deum nota est et apud hómines.

℟. Adiuvábit eam Deus * Vultu suo. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adiuvábit.

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

AD II VESPERAS

Ant. Hæc est Virgo sápiens et una de número prudéntum.

Psalmus 109

Dixit Dóminus Dómino meo: * Sede a dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtútis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * domináre in médio inimicórum tuórum.

Tecum princípium in die virtútis tuæ in splendóribus sanctórum: * ex útero ante lucíferum génui te.

Iurávit Dóminus et non pænitébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus a dextris tuis, * confrégit in die iræ suæ reges.

Iudicábit in natiónibus, implébit ruínas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltábit caput.

Psalmus 112

Laudáte, púeri, Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes gentes Dóminus, * et super cælos glória eius.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cælo et in terra?

Súscitans a terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem:

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitáre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Psalmus 121

Lætátus sum in his quæ dicta sunt mihi: * In domum Dómini íbimus.

Stantes erant pedes nostri * in átriis tuis, Ierúsalem.

Ierúsalem, quæ ædificátur ut cívitas: * cuius participátio eius in idípsum.

Illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini: * testimónium Israël ad confiténdum nómini Dómini.

Quia illic sedérunt sedes in iudício, * sedes super domum David.

Rogáte quæ ad pacem sunt Ierúsalem: * et abundántia diligéntibus te:

Fiat pax in virtúte tua: * et abundántia in túrribus tuis.

Propter fratres meos et próximos meos * loquébar pacem de te:

Propter domum Dómini Dei nostri * quæsívi bona tibi.

Psalmus 126

Nisi Dóminus ædificáverit domum, * in vanum laboravérunt qui ædíficant eam.

Nisi Dóminus custodíerit civitátem, * frustra vígilat qui custódit eam.

Vanum est vobis ante lucem súrgere: * súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolóris.

Cum déderit diléctis suis somnum: * ecce heréditas Dómini fílii: merces fructus ventris.

Sicut sagíttæ in manu poténtis: * ita fílii excussórum.

Beátus vir qui implévit desidérium suum ex ipsis: * non confundétur cum loquétur inimícis suis in porta.

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum: * lauda Deum tuum, Sion,

Quóniam confortávit seras portárum tuárum: * benedíxit fíliis tuis in te.

Qui pósuit fines tuos pacem: * et ádipe fruménti sátiat te.

Qui emíttit elóquium suum terræ: * velóciter currit sermo eius.

Qui dat nivem sicut lanam: * nébulam sicut cínerem spargit.

Mittit crystállum suam sicut buccéllas: * ante fáciem frígoris eius quis sustinébit?

Emíttet verbum suum et liquefáciet ea: * flabit spíritus eius et fluent aquæ.

Qui annúntiat verbum suum Iacob: * iustítias et iudícia sua Israël.

Non fecit táliter omni natióni: * et iudícia sua non manifestávit eis.

Ant. Hæc est Virgo sápiens et una de número prudéntum.

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

In festo unius Virginis et Martyris dicitur sequens

Hymnus

Vírginis Proles opiféxque Matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus trophæum,
Accipe votum.

Hæc tua Virgo dúplici beáta
Sorte, dum gestit frágilem domáre
Córporis sexum, dómuit cruéntum
Córpore sæclum.

Unde nec mortem, nec amíca mortis
Sæva pœnárum génera pavéscens,
Sánguine fuso méruit sacráta
Scándere cælum.

Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.

Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli.
Amen.

In festo autem unius Virginis non Martyris dicitur sequens

Hymnus

Vírginis Proles, opiféxque matris,
Virgo quem gessit, peperítque Virgo,
Vírginis festum cánimus beátæ,
Accipe votum.

Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.

Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Accínxit fortitúdine lumbos suos et roborávit brachium suum: ideóque lucérna eius non exstinguétur in sempitérnum.

Si de pluribus Virginibus fiat Officium vel memoria dicitur:

℣. Adducéntur regi vírgines post eam. ℟. Próximæ eius afferéntur tibi.

Ad Magnif. ant. Prudéntes Vírgines, aptáte lámpades vestras: ecce Sponsus venit, exíte óbviam ei.

LECTIONES UNIUS VIRGINIS NON MARTYRIS

In I Nocturno

De Epístola prima beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios

Lectio i Cap. 7

De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem: non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt huiúsmodi.

℟. i. Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit: * Pro cuius amóre sæculum contempsísti et cum Angelis in paradísum introísti. ℣. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam. - Pro.

Lectio ii

Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: præterit enim figúra huius mundi.

℟. ii. Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam. - Et dedúcet.

Lectio iii

Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu. Quæ autem nupta est, cógitat quæ sunt mundi, quómodo pláceat viro.

℟. iii. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: propterea benedíxit te Deus in ætérnum. - Inténde. - Glória. - Próspere.

In II Nocturno

Sermo sancti Augustíni Epíscopi

Lib. de Virginit.

Lectio iv

In festo Vírginis prædicánda est virgínitas. Hoc in isto sermóne suscépimus. Adiuvet Christus Vírginis Fílius et Vírginum sponsus: virgináli útero corporáliter natus, virgináli connúbio spirituáliter coniugátus. Cum ígitur univérsa Ecclésia virgo sit, sicut dicit Apóstolus, quanto digna sunt honóre membra, quæ hæc custódiunt étiam in ipsa carne, quæ ipsa tota custódit in fide! Nulla ergo fecúnditas carnis sanctæ virginitáti, étiam carnis, comparári potest.

℟. iv. Hanc amávi et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo. - Et amátor.

Lectio v

Illa autem Virgo coniugátæ mérito præpónitur, quæ nec multitúdini se amándam propónit, sed Speciósum forma præ fíliis hóminum sic amávit, ut, quia eum sicut María concípere carne non posset, ei corde concépto carnem étiam íntegram custodíret. Cedat virginitáti omnis fecúnditas carnis, omnis pudicítia coniugális. Illa non est in potestáte: ista non est in ætérnitáte. Fecunditátem carnálem non habet líberum arbítrium: pudicítiam coniugálem non habet cælum.

℟. v. Hæc est virgo sápiens, quam Dóminus vigilántem invénit: quæ, accéptis lampádibus, sumpsit secum óleum: * Et, veniénte Dómino, introívit cum eo ad núptias. ℣. Ista est una de número prudéntum, quæ aptávit lámpades suas. - Et veniénte Dómino.

Lectio vi

Profécto habébunt magnum áliquid præter céteros in illa commúni immortalitáte, qui habent áliquid iam non carnis in carne. Cum enim dixísset Dóminus de spadónibus, Dabo eis in domo mea locum nominátum multo

meliórem quam filiórum atque filiárum: contínuo subiécit: Nomen ætérnum dabo eis; quod útique glóriam quandam própriam excellentémque significat.

℟. vi. Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ eius afferéntur tibi * In lætítia et exsultatióne. ℣. Prudéntes vírgines, aptáte lámpades vestras: ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. - In lætítia. - Glória. - In lætítia.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 25

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem vírgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homilia 12 in Evang.

Sæpe vos, fratres caríssimi, admóneo prava ópera fúgere, mundi huius inquinaménta devitáre: sed hodiérna sancti Evangélii lectióne compéllor dícere, ut et bona, quæ ágitis, cum magna cautéla teneátis; ne per hoc, quod a vobis rectum gérítur, favor aut grátia humána requirátur: ne appetítus laudis subrépat, et quod foris ostenditur, intus a mercéde vacuétur.

℟. vii. Audívi vocem de cælo veniéntem: Veníte, omnes vírgines sapientíssimæ, * Oleum recóndite in vasis vestris, dum sponsus advénerit. ℣. Média nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit. - Oleum.

Lectio viii

Ecce enim Redemptóris voce decem vírgines, et omnes dicúntur vírgines, et tamen intra beatitúdinis iánuam non omnes recéptæ sunt: quia eárum quædam, dum de virginitáte sua glóriam foris éxpetunt, in vasis suis óleum habére noluérunt. Sed sciéndum nobis est, quod sæpe in sacro elóquio regnum cælórum præséntis témporis Ecclésia dícitur: quæ, quia ex utróque sexu fidélium collígitur, decem virgínibus símilis esse denuntiátur. In qua quia mali cum bonis, et réprobi cum eléctis commíxti sunt, recte símilis virgínibus prudéntibus et fátuis esse perhibétur.

℟. viii. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Quia.

Lectio ix

Sunt namque pleríque continéntes, qui ab exterióri se appetítu custódiunt et spe ad interióra rapiúntur, carnem mácerant et toto desidério ad supérnam pátriam anhélant, ætérna prǽmia éxpetunt, pro labóribus suis recípere humánas laudes nolunt. Hi nimírum glóriam suam non in ore hóminum ponunt, sed intra consciéntiam cóntegunt. Et sunt pleríque, qui corpus per abstinéntiam afflígunt, sed de ipsa sua abstinéntia humános favóres éxpetunt.

℟. ix. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem.

¶ Hæc eadem homilia dici potest in festo unius Virginis et Martyris.

Commune unius non Virginis

extra tempus paschale

AD I VESPERAS

Pro Martyre tantum

Super psalmos ant. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

℟. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est: in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, prǽmia calcávit. - Et Dóminus. - Glória. - Et Dóminus.

Pro nec Virgine nec Martyre

Super psalmos ant. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Prov. 31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

℟. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera eius. - Múlier. - Glória. - Múlier.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Pro Martyre tantum

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius ut, qui beátæ N. Mártyris tuæ natalítia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

Pro nec Virgine nec Martyre

Oratio

Tuórum corda fidélium, Deus, miserátor illústra; et beátæ N. précibus gloriósis fac nos próspera mundi despícere, et cælésti semper consolatióne gaudére. Per.

Alia oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus, ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per.

AD MATUTINUM

Pro Martyre tantum

Invit. Laudémus Deum nostrum * In confessióne beátæ N.

Pro nec Virgine nec Martyre

Invit. Laudémus Deum nostrum * In solemnitáte sanctæ N.

Hymnus

Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
Glória Patri, genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

In I Nocturno

Ant. 1 O quam pulchra est casta generátio cum claritáte!

Psalmi I Nocturni de Communi unius Virginis [125].

Ant. 2 Unguéntum effúsum nomen tuum: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te nimis.

Ant. 3 Ista est speciósa inter fílias Ierúsalem.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Pro Martyre tantum lectiones Confitébor, ut pro Virgine Martyre, cum suis ℟℟. [127].

Pro nec Virgine nec Martyre lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

De Parábolis Salomónis

Lectio i Cap. 31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum, ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum.

℟. i. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ N., * De cuius solemnitáte gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. ℣. Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius. - De cuius.

Lectio ii

Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio eius: non exstinguétur in nocte lucérna eius. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti eius apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici eius vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus et púrpura induméntum eius. Nóbilis in portis vir eius, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo.

℟. ii. Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam: * Et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam. - Et dedúcet te.

Lectio iii

Fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua eius. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii eius, et beatíssimam prædicavérunt: vir eius, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum, et laudent eam in portis ópera eius.

℟. iii. Spécie tua et pulchritúdine tua * Inténde, Próspere procéde, et regna. ℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. - Inténde. - Glória. - Próspere procéde.

In II Nocturno

Antiphonæ, psalmi et ℣. II Nocturni de Communi unius Virginis [128].

Pro Martyre tantum lectiones de sermone sancti Ioannis Chrysostomi Ego máxime, cum suis ℟℟. [151].

Pro nec Virgine nec Martyre lectiones cum suis ℟℟. ut infra.

De libro sancti Ambrósii Epíscopi de Víduis

Lectio iv Cap. 14

Agrum hunc Ecclésiæ fértilem cerno, nunc integritátis flore vernántem, nunc viduitátis gravitáte polléntem, nunc étiam coniúgii frúctibus redundántem. Nam etsi divérsi, uníus tamen agri fructus sunt: nec tanta hortórum lília, quantæ arístæ ségetum, méssium spicæ: compluriúmque spátia campórum recipiéndis aptántur semínibus, quam rédditis nováles frúctibus feriántur. Bona ergo vidúitas, quæ tóties apostólico iudício prædicátur. Hæc enim magístra fídei, magístra est castitátis.

℟. iv. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum: gustávit, et vidit quia bona est negotiátio eius: * Non exstinguétur in nocte lucérna eius. ℣. Lucérna pédibus meis verbum tuum et lumen sémitis meis. - Non exstinguétur.

Lectio v

Unde et illi, qui deórum suórum adultéria et probra veneréntur, cælibátus et viduitátis statuére pœnas, ut æmuli críminum mulctárent stúdia virtútum: spécie quidem, qua fecunditátem quærerent, sed stúdio, quo propósitum castitátis abolérent. Nam confectis et miles stipéndiis arma depónit, et relícto offício quod gerébat, ad própria veteránus rura dimíttitur, ut et ipse exércitæ labóribus vitæ réquiem consequátur et álios spes futúræ quiétis subeúndis fáciat opéribus promptióres. Agrícola quoque matúrior torquéndam áliis stivam commíttit, et, iuveníli gravátus ópera, providéntiam curæ senílis explórat: vitem facílius tondére quam prémere, ut iuvenescéntem luxúriam réprimat, et adolescéntem lascíviam falce succídat; parcórum quandam pártuum castitátem docens étiam in vítibus expeténdam.

℟. v. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem: * Non timébit dómui suæ a frigóribus nívium. ℣. Dispérsit, dedit paupéribus: iustítia eius manet in sæculum sæculi. - Non timébit.

Lectio vi

Símilis huic vídua, velut eméritis veterána stipéndiis castitátis, et si coniúgii arma depónat, domus tamen totíus pacem gubérnat; et si vehéndis onéribus otiósa, maritándis tamen iunióribus próvida, ubi cultus utílior, ubi fructus ubérior sit, quarum cópulam aptiórem seníli gravitáte dispónit. Itaque si matutióribus pótius quam iunióribus committitur ager, cur putes utiliórem nuptam esse quam víduam? Quod si persecutóres fídei persecutóres fuérunt étiam viduitátis, útique fidem sequéntibus vidúitas non pro supplício fugiénda est, sed tenénda pro prǽmio.

℟. vi. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Quia concupívit. - Glória. - Quia concupívit.

In III Nocturno

Ant. 7 Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis.

Psalmi III Nocturni de Communi unius Virginis [131].

Ant. 8 Exsultavérunt fíliæ Iudæ propter iudícia tua, Dómine.

Ant. 9 Hæc est quæ nescívit torum in delícto:

habébit fructum in respectióne animárum sanctárum.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Pro nec Virgine nec Martyre

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro. Et réliqua.

Homília sancti Gregórii Papæ

Homil. 11 in Evang.

Cælórum regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur: quem qui invénit homo abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum.

℟. vii. Hanc amávi et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo. - Et amátor.

Lectio viii

Qua in re hoc quoque notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus. Malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident. Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant, sed ut sic sit opus in públicо, quátenus inténtio máneat in occúlto.

℟. viii. Date ei de fructu mánuum suárum: * Et laudent eam in portis ópera eius. ℣. Labóres mánuum tuárum quia manducábis: beáta es, et bene tibi erit. - Et laudent eam.

Lectio ix

Thesáurus autem cæléste est desidérium: ager vero, in quo thesáurus abscónditur, disciplína stúdii cæléstis. Quem profécto agrum vénditis ómnibus cómparat, qui voluptátibus carnis renúntians, cuncta sua terréna desidéria per disciplínæ cæléstis custódiam calcat: ut nihil iam, quod caro blandítur, líbeat; nihil, quod carnálem vitam trucídat, spíritus perhorréscat.

℟. ix. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera eius. - Múlier timens Deum. - Glória. - Múlier timens Deum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáta N. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta: omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus suæ.

3. Fundaménta ætérna supra petram sólidam, sic mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

4. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris.

5. Ædificátio civitátis confirmábit nomen, et super hanc múlier immaculáta computábitur.

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virgine nec Martyre

Capitulum Prov. 31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

Pia mater et húmilis,
Natúræ memor frágilis,
In huius vitæ flúctibus
Nos rege tuis précibus.

Te deprecámur, lárgius
Nostris adáuge sénsibus
Nescíre prorsus ómnia
Corruptiónis vúlnera.

Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Vel, si hic ℣. iam dictus fuerit:

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

Ad Bened. ant. Manum suam apéruit ínopi et palmas suas exténdit ad páuperem; fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

In festis I classis extra Septuagesimam responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD TERTIAM

Capitula ut ad II Vesperas.

℟. Diffúsa est grátia * In lábiis tuis. Diffúsa est. ℣. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. In lábiis tuis. Glória. Diffúsa est.

℣. Spécie tua et pulchritúdine tua. ℟. Inténde, próspere procéde, et regna.

AD SEXTAM

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51

Liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de multis tribulatiónibus quæ circumdedérunt me.

Pro nec Virgine nec Martyre

Capitulum Prov. 31

Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem: non timébit dómui suæ a frigóribus nivis.

℟. Spécie tua * Et pulchritúdine tua. Spécie tua. ℣. Inténde, próspere procéde, et regna. Et pulchritúdine tua. Glória. Spécie tua.

℣. Adiuvábit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in médio eius, non commovébitur.

AD NONAM

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51

Laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de manu angústiæ, Dómine Deus noster.

Pro nec Virgine nec Martyre

Capitulum Prov. 31

Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia et vana est pulchritúdo, múlier timens Deum ipsa laudábitur.

℟. Adiuvábit eam Deus * Vultu suo. Adiuvábit. ℣. Deus in médio eius, non commovébitur. Vultu suo. Glória. Adiuvábit.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Grátia super grátiam múlier sancta et pudoráta: omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ.

Psalmi de Communi unius Virginis [137].

Pro Martyre tantum

Capitulum Eccli. 51

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo, quóniam adiútor et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne.

Pro nec Virgine nec Martyre

Capitulum Prov. 31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul et de últimis fínibus prétium eius. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit.

Hymnus

Huius obténtu, Deus alme, nostris
Parce iam culpis, vítia remíttens:
Quo tibi puri resonémus almum
Péctoris hymnum.
Glória Patri genitæque Proli,
Et tibi, compar utriúsque semper
Spíritus alme, Deus unus, omni
Témpore sæcli. Amen.

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Ad Magnif. ant. Accínxit fortitúdine lumbos suos et roborávit bráchium suum: gustávit, et vidit quia bona est negotiátio eius: non exstinguétur in nocte lucérna eius.

LECTIONES UNIUS MARTYRIS TANTUM

In II Nocturno

Sermo sancti Ioánnis Chrysóstomi

Serm. 67 de div. Novi Test. loc.

Lectio iv

Ego máxime commemoratiónes díligo Mártyrum, díligo et amplec-

tor: atque omnes quidem, sed tum præcípue, cum mulíerum certámina proponúntur. Quanto enim infírmius est vas, tanto maior est grátia, tanto illústrius est tropháeum, tanto insígnior est victória, non ob imbecillitátem sexus athletárum, sed quod per ea, quibus vícerat inimícus, nunc étiam vincátur.

℟. iv. Grata facta est a Dómino in certámine, quia apud Deum et apud hómines glorificáta est: in conspéctu príncipum loquebátur sapiéntiam, * Et Dóminus ómnium diléxit eam. ℣. Erécta namque in virtútis cúlmine, torménta derísit, prǽmia calcávit. - Et Dóminus.

Lectio v

Per mulíerem vicit, per mulíerem superátus est. Hoc illíus ántea telum erat: hoc illíus nunc cædis factum est instruméntum, hoc vas appáruit insuperábile. Peccávit illa prior, et mórtua est: ista mórtua est, ne peccáret. Illa tum fútilis promíssi spe infláta, Dei leges violávit: hæc vitam præséntem contémpsit, ne fidem in suum benefactórem eiuráret. Quam ígitur deínceps speráre póterunt excusatiónem viri, si molles sint et ignávi? Quam vero véniam, cum fórtiter ac viríliter se gerant mulíeres, cum ádeo se generóse ad certámina pietátis accíngant?

℟. v. Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ N., * De cuius passióne gaudent Angeli et colláudant Fílium Dei. ℣. Conféssio et pulchritúdo in conspéctu eius: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne eius. - De cuius.

Lectio vi

Fuit illi corpus imbecíllum, et obnóxius sexus iniúriæ; verúmtamen ómnium horum imbecillitátem advéniens grátia occultávit. Nihil enim est, nihil plane poténtius est eo, qui magno cum stúdio Dei timórem hábeat in mente defíxum: sed, quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis béstias, quamvis áliud quidvis miníntur hostes, ómnia nullo negótio contémnit: quod útique Beáta ista étiam fecit.

℟. vi. Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum: * Quia concupívit Rex spéciem tuam. ℣. Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. - Quia concupívit. - Glória. - Quia concupívit.

In III Nocturno

Léctio sancti Evangélii secúndum Matthæum

Lectio vii Cap. 13

In illo témpore: Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa quæ habet, et emit agrum illum. Et réliqua.

Homilía sancti Gregórii Papæ

Homil. 11 in Evang.

Cælórum regnum, fratres caríssimi, idcírco terrénis rebus símile dícitur, ut ex his, quæ ánimus novit, surgat ad incógnita, quæ non novit: quátenus exémplo visibílium se ad invisibília rápiat, et per ea, quæ usu dídicit, quasi confricátus incaléscat: ut per hoc, quod scit notum dilígere, discat et incógnita amáre. Ecce enim cælórum regnum thesáuro abscóndito in agro comparátur. Qua in re notándum est, quod invéntus thesáurus abscónditur, ut servétur: quia stúdium cæléstis desidérii a malígnis spirítibus custodíre non súfficit, qui hoc ab humánis láudibus non abscóndit. In præsénti étenim vita quasi in via sumus, qua ad pátriam pérgimus: malígni autem spíritus iter nostrum quasi quidam latrúnculi óbsident.

℟. vii. Hanc amávi et exquisívi sponsam mihi assúmere, * Et amátor factus sum formæ illíus. ℣. Fortitúdo et decor induméntum eius, et ridébit in die novíssimo. - Et amátor.

Lectio viii

Deprædári ergo desíderat, qui thesáurum públice portat in via. Hoc autem dico, non ut próximi ópera nostra bona non vídeant: sed ut sic sit opus in público, quátenus inténtio máneat in occúlto. Rursum cæléste regnum negotiatóri hómini símile dícitur, qui bonas margarítas quærit, sed unam pretiósam ínvenit, quam vidélicet invéntam, ómnia vendens, emit: quia qui cæléstis vitæ dulcédinem, in quantum possibílitas admíttit, perfécte cognóverit: ea, quæ in terrénis amáverat, libénter cuncta derelínquit.

℟. viii. Fallax grátia et vana est pulchritúdo: * Múlier timens Deum ipsa laudábitur. ℣. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera eius. - Múlier.

Lectio ix

Recte per Salomónem dícitur: Fortis est ut mors diléctio: quia sicut mors corpus intérimit, sic ab amóre rerum corporálium ætérnæ vitæ cáritas occídit. Nam quem perfécte absorbúerit, ad terréna foris desidéria velut insensíbilem reddit. Nec enim Sancta hæc, cuius hódie natalítia celebrámus, mori pro Dómino potuísset in córpore, si prius a terrénis desidériis mórtua non fuísset in mente. Eréctus namque in virtútis cúlmine ánimus torménta despéxit, prǽmia calcávit. Quid inter hæc nos barbáti et débiles dícimus, qui ire ad regna cæléstia puéllas per ferrum vidémus, quos ira súperat, supérbia inflat, ambítio pertúrbat, luxúria ínquinat? Qui si adipísci regna cælórum per bella persecutiónum non póssumus, hoc ipsum nobis turpe sit, quod Deum nólumus saltem per pacem sequi.

℟. ix. Regnum mundi et omnem ornátum sæculi contémpsi propter amórem Dómini mei Iesu Christi, * Quem vidi, quem amávi, In quem crédidi, quem diléxi. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. - Quem vidi. - Glória. - In quem crédidi.

Commune Apostolorum et Evangelistarum

tempore paschali

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Estóte fortes in bello, et pugnáte cum antíquo serpénte: et accipiétis regnum ætérnum, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

℟. Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia: splendórem Deo dedérunt, allelúia: * Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Et sicut lac. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, allelúia. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Ad Magnif. ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus

Exsúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos, sæcli iusti iúdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque eius sólvitis:
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus et languor ómnium:
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres psalmi de Communi Apostolorum alterius temporis secundum ordinem Nocturnorum, scilicet dominica, feria secunda et feria quinta ex I Nocturno; feria tertia et feria sexta ex II Nocturno; feria quarta et sabbato ex III Nocturno.

Versículus secundum ordinem Nocturnorum, scilicet:

Dominica, feria secunda et feria quinta

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, allelúia. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Feria tertia et feria sexta

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram, allelúia. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine, allelúia.

Feria quarta et sabbato

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, allelúia. ℟. Nimis confortátus est princípátus eórum, allelúia.

Benedictiones etiam ante lectiones dantur secundum ordinem Nocturnorum.

℟. i. Virtúte magna reddébant Apóstoli * Testimónium resurrectiónis Iesu Christi Dómini nostri, allelúia, allelúia. ℣. Repléti quidem Spíritu Sancto loquebántur cum fidúcia verbum Dei. - Testimónium.

℟. ii. Isti sunt agni novélli, qui annuntiavérunt, allelúia: modo venérunt ad fontes: * Repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. ℣. In conspéctu Agni amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. - Repléti sunt.

℟. iii. Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia: splendórem Deo dedérunt, allelúia: * Et sicut lac coaguláti sunt, Allelúia, allelúia. ℣. In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. - Et sicut lac. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Dedísti hereditátem, allelúia. ℟. Timéntibus nomen tuum, Dómine, allelúia.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

3. In velaménto clamábunt Sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

4. Spíritus et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

5. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, allelúia: et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Ætérna Christi múnera,
Apostolórum glóriam,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Ecclesiárum príncipes,
Belli triumpháles duces,
Cæléstis aulæ mílites,
Et vera mundi lúmina.

Devóta sanctórum fides,
Invícta spes credéntium,
Perfécta Christi cáritas
Mundi triúmphat príncipem.

In his Patérna glória,
In his volúntas Spíritus,
Exsúltat in his Fílius,
Cælum replétur gáudiis.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut ipsórum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, allelúia. ℟. Et facta eius intellexérunt, allelúia.

Ad Bened. ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD TERTIAM

Capitula ut ad II Vesperas.

℟. In omnem terram exívit sonus eórum, * Allelúia, allelúia. In omnem. ℣. Et in fines orbis terræ verba eórum. Allelúia. Glória. In omnem.

℣. Constítues eos príncipes super omnem terram, allelúia. ℟. Mémores erunt nóminis tui, Dómine, allelúia.

AD SEXTAM

Pro Apostolis

Capitulum Act. 5

Per manus autem Apostolórum fiébant signa et prodígia multa in plebe.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus, et aqua sapiéntiæ salutáris potávit illum.

℟. Constítues eos príncipes super omnem terram, * Allelúia, allelúia. Constítues eos. ℣. Mémores erunt nóminis tui, Dómine. Allelúia. Glória. Constítues eos.

℣. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, allelúia. ℟. Nimis confortátus est principátus eórum, allelúia.

AD NONAM

Pro Apostolis

Capitulum Act. 5

Ibant Apóstoli gaudéntes a conspéctu concílii, quóniam digni hábiti sunt pro nómine Iesu contuméliam pati.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

In médio ecclésiæ apéruit os eius et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stolam glóriæ índuit eum.

℟. Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus, * Allelúia, allelúia. Nimis honoráti sunt. ℣. Nimis confortátus est principátus eórum. Allelúia. Glória. Nimis honoráti sunt.

℣. Annuntiavérunt ópera Dei, allelúia. ℟. Et facta eius intellexérunt, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmi de Communi Apostolorum alterius temporis [47].

Pro Apostolis

Capitulum Ephes. 2

Iam non estis hóspites et ádvenæ, sed estis cives sanctórum et doméstici Dei, superædificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Iesu.

Pro Evangelistis

Capitulum Eccli. 15

Qui timet Deum fáciet bona, et qui cóntinens est iustítiæ apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta.

Hymnus

Exsúltet cælum láudibus,
Resúltet terra gáudiis:
Apostolórum glóriam
Sacra canunt solémnia.

Vos, sæcli iusti iúdices
Et vera mundi lúmina,
Votis precámur córdium,
Audíte preces súpplicum.

Qui cælum verbo cláuditis,
Serásque eius sólvitis:
Nos a peccátis ómnibus
Sólvite iussu, quæsumus.

Quorum præcépto súbditur
Salus et languor ómnium:
Sanáte ægros móribus,
Nos reddéntes virtútibus.

Ut, cum Iudex advénerit
Christus in fine sæculi,
Nos sempitérni gáudii
Fáciat esse cómpotes.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. In omnem terram exívit sonus eórum, allelúia. ℟. Et in fines orbis terræ verba eórum, allelúia.

Ad Magnif. ant. In civitáte Dómini clare sonant iúgiter órgana Sanctórum: ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

Commune unius Martyris

tempore paschali

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Lætábitur iustus in Dómino et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde, allelúia.

Psalmus cum ceteris Laudáte, púeri, [1].

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

℟. De ore prudéntis pro-

cédit mel, allelúia: dulcédo mellis est lingua eius, allelúia: * Favus distíllans lábia eius, Allelúia, allelúia: ℣. Sapiéntia requiéscit in corde eius, et prudéntia in sermóne oris illíus. - Favus. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

Ad Magnif. ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus

Deus, tuórum mílitum
Sors et coróna, prǽmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter:
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sǽcula.
Amen.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres psalmi et ℣. de Communi alterius temporis secundum ordinem Nocturnorum.

Ante lectiones benedictiones dantur secundum ordinem Nocturnorum.

℟. i. Beátus vir qui métuit Dóminum, allelúia: * In mandátis eius cupit nimis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. - In mandátis.

℟. ii. De ore prudéntis procédit mel, allelúia: dulcédo mellis est lingua eius, allelúia: * Favus distíllans lábia eius, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde eius, et prudéntia in sermóne oris illíus. - Favus.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

3. In velaménto clamábunt Sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

4. Spíritus et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

5. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, allelúia: et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Martyr Dei, qui únicum
Patris sequéndo Fílium,
Victis triúmphas hóstibus,
Victor fruens cæléstibus:

Tui precátus múnere
Nostrum reátum dílue,
Arcens mali contágium,
Vitæ repéllens tædium.

Solúta sunt iam víncula
Tui sacráti córporis:
Nos solve vinclis sæculi,
Amóre Fílii Dei.

Deo Patri sit glória,
Eiúsque soli Fílio,
Cum Spíritu Paráclito,
Et nunc et in perpétuum.
Amen.

℣. Coróna áurea super caput eius, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

Ad Bened. ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, * Allelúia, allelúia. Glória et honóre. ℣. Et con-

stituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúia, allelúia. Glória Patri. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia, allelúia.

℣. Posuísti, Dómine, super caput eius, allelúia. ℟. Corónam de lápide pretióso, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 10

Custodívit illum Dóminus ab inimícis, et a seductóribus tutávit eum, et certámen forte dedit illi ut vínceret.

℟. Posuísti, Dómine, super caput eius, * Allelúia, allelúia. Posuísti. ℣. Corónam de lápide pretióso. Allelúia. Glória. Posuísti.

℣. Magna est glória eius in salutári tuo, allelúia. ℟. Glóriam et magnum decórem impónes super eum, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 4

Pro iustítia agonizáre pro ánima tua, et usque ad mortem certa pro iustítia.

℟. Magna est glória eius in salutári tuo, * Allelúia, allelúia. Magna est.

℣. Glóriam et magnum decórem impónes super eum. Allelúia. Glória. Magna est.

℣. Coróna áurea super caput eius, allelúia. ℟. Expréssa signo sanctitátis, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmi de Communi unius Martyris alterius temporis [63].

Capitulum Iac. 1

Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Hymnus

Deus, tuórum mílitum
Sors et coróna, præmium,
Laudes canéntes Mártyris
Absólve nexu críminis.

Hic nempe, mundi gáudia
Et blandiménta nóxia
Cadúca rite députans,
Pervénit ad cæléstia.

Pœnas cucúrrit fórtiter
Et sústulit viríliter:
Pro te profúndens sánguinem
Ætérna dona póssidet.

Ob hoc precátu súpplici
Te póscimus piíssime:
In hoc triúmpho Mártyris
Dimítte noxam sérvulis.

Laus et perénnis glória
Deo Patri cum Fílio,
Sancto simul Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia. ℟. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, allelúia.

Ad Magnif. ant. In civitáte Dómini clare sonant iúgiter órgana Sanctórum: ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

Commune plurimorum Martyrum

tempore paschali

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Hi sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas in sánguine Agni, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

℟. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, * Allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum: gáudium et lætítiam obtinébunt. - Allelúia, allelúia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, allelúia. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde, allelúia.

Ad Magnif. ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclita gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia:
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.

Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit:
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.

Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum sævaque vérbera:
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.

Cædúntur gládiis more bidéntium:
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.

Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.

Te, summa Déitas únaque, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

In Nocturno

Super psalmos sola ant. Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres psalmi et ℣. de Communi alterius temporis secundum ordinem Nocturnorum.

Ante lectiones dantur benedictiones secundum ordinem Nocturnorum.

℟. i. Pretiósa in conspéctu Dómini, allelúia, * Mors Sanctórum eius, allelúia. ℣. In conspéctu omnis pópuli eius. - Mors Sanctórum eius, allelúia.

℟. ii. Tristítia vestra, allelúia, * Convertétur in gáudium, allelúia, allelúia. ℣. Mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra. - Convertétur in gáudium, allelúia, allelúia.

℟. iii. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, et ætérnitas témporum, * Allelúia, allelúia. ℣. Lætítia sempitérna super cápita eórum: gáudium et lætítiam obtinébunt. - Allelúia, allelúia. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Ante Laudes ℣. Exsultábunt Sancti in glória, allelúia. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis, allelúia.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

3. In velaménto clamábunt Sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

4. Spíritus et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

5. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, allelúia: et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Ætérna Christi múnera
Et Mártyrum victórias,
Laudes feréntes débitas,
Lætis canámus méntibus.

Terróre victo sæculi,
Pœnísque spretis córporis,
Mortis sacræ compéndio
Vitam beátam póssident.

Tradúntur igni Mártyres
Et bestiárum déntibus:
Armáta sævit úngulis
Tortóris insáni manus.

Nudáta pendent víscera,
Sanguis sacrátus fúnditur:
Sed pérmanent immóbiles
Vitæ perénnis grátia.

Te nunc, Redémptor, quæsumus
Ut Mártyrum consórtio
Iungas precántes sérvulos
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

Ad Bened. ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, * Allelúia, allelúia. Lætámini. ℣. Et gloriámini, omnes recti corde. Allelúia. Glória. Lætámini.

℣. Exsúltent iusti in conspéctu Dei, allelúia. ℟. Et delecténtur in lætítia, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Sap. 10

Réddidit Deus mercédem labórum Sanctórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum nocte.

℟. Exsúltent iusti in conspéctu Dei, * Allelúia, allelúia. Exsúltent. ℣. Et delecténtur in lætítia. Allelúia. Glória. Exsúltent.

℣. Iusti autem in per-

pétuum vivent, allelúia. ℟. Et apud Dóminum est merces eórum, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Sap. 3

Iustórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

℟. Iusti autem in perpétuum vivent, * Allelúia, allelúia. Iusti autem. ℣. Et apud Dóminum est merces eórum. Allelúia. Glória. Iusti autem.

℣. Mirábilis Deus, allelúia. ℟. In Sanctis suis, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmi de Communi plurimorum Martyrum alterius temporis [86].

Capitulum Hebr. 11

Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt iustítiam, adépti sunt repromissiónes, in Christo Iesu Dómino nostro.

Hymnus

Sanctórum méritis ínclita gáudia
Pangámus sócii, géstaque fórtia:
Nam gliscit ánimus prómere cántibus
Victórum genus óptimum.
Hi sunt, quos rétinens mundus inhórruit:
Ipsum nam stérili flore peráridum
Sprevére pénitus, teque secúti sunt,
Rex Christe bone cælitus.
Hi pro te fúrias atque ferócia
Calcárunt hóminum sævaque vérbera:
Cessit his lácerans fórtiter úngula,
Nec carpsit penetrália.
Cædúntur gládiis more bidéntium:
Non murmur résonat, non querimónia,
Sed corde tácito mens bene cónscia
Consérvat patiéntiam.
Quæ vox, quæ póterit lingua retéxere
Quæ tu Martýribus múnera præparas?
Rubri nam flúido sánguine láureis
Ditántur bene fúlgidis.
Te, summa Déitas únaque, póscimus
Ut culpas ábluas, nóxia súbtrahas:
Des pacem fámulis, nos quoque glóriam
Per cuncta tibi sæcula. Amen.

℣. Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, alleIúia. ℟. Et gloriámini, omnes recti corde, allelúia.

Ad Magnif. ant. In civitáte Dómini clare sonant iúgiter órgana Sanctórum: ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

Commune unius Confessoris

tempore paschali

AD I VESPERAS

Super psalmos ant. Iste Sanctus digne in memóriam vértitur hóminum, qui ad gáudium tránsiit Angelórum, allelúia.

Psalmus Laudáte, púeri, cum ceteris [1].

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

℟. De ore prudéntis procédit mel, allelúia: dulcédo mellis est lingua eius, allelúia: * Favus distíllans lábia eius, Allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde eius, et prudéntia in sermóne oris illíus. - Favus. - Glória. - Allelúia, allelúia.

Hymnus ut ad Matutinum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Ad Magnif. ant. Fíliæ Ierúsalem, veníte et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus, in die solemnitátis et lætítiæ, allelúia, allelúia.

AD MATUTINUM

Invit. Exsúltent in Dómino Sancti, * Allelúia.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini sacrátus,
Festa plebs cuius célebrat per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.
Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et quiétus,
Vita dum præsens vegetávit eius
Córporis artus.
Ob sacrum cuius méritum frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus
in honórem
Ipsius hymnum canit hunc
libénter:
Ut piis eius précibus iuvémur,
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus atque
virtus,
Qui supra cæli résidens
cacúmen,
Tótius mundi máchinam
gubérnat
Trinus et unus. Amen.

In Nocturno

Super psalmos sola ant.
Tristítia vestra, allelúia, vertétur in gáudium, allelúia.

Tres psalmi et ℣. de Communi alterius temporis secundum ordinem Nocturnorum.

Ante lectiones benedictiones dantur secundum ordinem Nocturnorum.

℟. i. Beátus vir qui métuit Dóminum, allelúia: * In mandátis eius cupit nimis, allelúia, allelúia, allelúia. ℣. Potens in terra erit semen eius: generátio rectórum benedicétur. - In mandátis.

℟. ii. De ore prudéntis procédit mel, allelúia: dulcédo mellis est lingua eius, allelúia: * Favus distíllans lábia eius, allelúia, allelúia. ℣. Sapiéntia requiéscit in corde eius, et prudéntia in sermóne oris illíus. - Favus.

℟. iii. Fíliæ Ierúsalem, veníte, et vidéte Mártyrem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus * In die solemnitátis et lætítiæ, Allelúia. ℣. Induit illum Dóminus stolam glóriæ, et coronávit eum. - In die. - Glória. - Allelúia.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, beáte N., allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi, allelúia.

AD LAUDES

(et per Horas) antiphonæ

1. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

2. Sancti et iusti, in Dómino gaudéte, allelúia: vos elégit Deus in hereditátem sibi, allelúia.

3. In velaménto clamábunt Sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

4. Spíritus et ánimæ iustórum, hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

5. In cæléstibus regnis Sanctórum habitátio est, allelúia: et in ætérnum réquies córum, allelúia.

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iesu, Redémptor ómnium,
Coróna confiténtium,
In hac die cleméntius
Nostris favéto précibus,
Tui sacri qua nóminis
Conféssor almus cláruit,
Cuius celébrat ánnua
Devóta plebs solémnia.
Qui, rite mundi gáudia
Huius cadúca réspuens,
Cum Angelis cæléstibus
Lætus potítur prémiis.
Huius benígnus ánnue
Nobis sequi vestígia:
Huius precátu sérvulis
Dimítte noxam críminis.
Sit, Christe, Rex piíssime,
Tibi Patríque glória,
Cum Spíritu Paráclito,
In sempitérna sæcula.
Amen.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

Ad Bened. ant. Lux perpétua lucébit Sanctis tuis, Dómine, allelúia, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia, allelúia.

Si festum sit I classis, ad Horas antiphonæ de Laudibus, psalmi de dominica, ad Primam tamen ut in festis. Secus, antiphona et psalmi de currenti hebdomadæ die.

AD TERTIAM

Capitulum ut in Laudibus.

℟. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, * Allelúia, allelúia. Amávit eum. ℣. Stolam glóriæ índuit eum. Allelúia. Glória. Amávit eum.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, allelúia. ℟. Et osténdit illi regnum Dei, allelúia.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 39

Iustus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Deum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur.

℟. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, * Allelúia, allelúia. Iustum. ℣. Et osténdit illi regnum Dei. Allelúia. Glória. Iustum.

℣. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, allelúia. ℟. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur, allelúia.

AD NONAM

Capitulum Sap. 10

Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei,

et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus et complévit labóres illíus.

℟. Iustus ut palma florébit in domo Dómini, * Allelúia, allelúia. Iustus. ℣. Sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúia. Glória. Iustus.

℣. Iustus germinábit sicut lílium, allelúia. ℟. Et florébit in ætérnum ante Dóminum, allelúia.

AD II VESPERAS

Super psalmos ant. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium, allelúia: et sicut odor bálsami erunt ante te, allelúia.

Psalmi de Communi unius Confessoris alterius temporis [107].

Capitulum Eccli. 45

Diléctus Deo et homínibus, cuius memória in benedictióne est: símilem illum fecit in glória sanctórum.

Hymnus

Iste Conféssor Dómini
sacrátus,
Festa plebs cuius célebrat
per orbem,
Hódie lætus méruit secréta
Scándere cæli.

Qui pius, prudens, húmilis, pudícus,
Sóbrius, castus fuit et
quiétus,
Vita dum præsens vegetávit eius
Córporis artus.

Ob sacrum cuius méritum
frequénter
Membra languéntum modo sanitáti,
Quólibet morbo fúerint
graváta,
Restituúntur.

Unde nunc noster chorus
in honórem
Ipsius hymnum canit hunc
libénter:
Ut piis eius précibus iuvémur,
Omne per ævum.

Sit salus illi, decus atque
virtus,
Qui supra cæli résidens
cacúmen,
Tótius mundi máchinam
gubérnat
Trinus et unus. Amen.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum, allelúia. ℟. Stolam glóriæ índuit eum, allelúia.

Ad Magnif. ant. In civitáte Dómini clare sonant iúgiter órgana Sanctórum: ibi Angeli et Archángeli hymnum decántant ante thronum Dei, allelúia.

¶ Ad memoriam unius vel plurium Martyrum vel Confessorum tempore paschali dicitur in Laudibus ant. Lux perpétua; versiculus vero desumitur ex Communi alterius temporis, addito Allelúia.

Quod si contingat eodem die fieri Officium de uno vel pluribus Martyribus, aut de uno vel pluribus Confessoribus, et fieri memoriam de alio vel aliis Martyribus aut de alio vel aliis Confessoribus, ad Benedictus dicitur antiphona de Communi temporis paschalis; ad memoriam vero dicitur antiphona de Communi alterius temporis cum Allelúia.

Commune Virginum et non Virginum

tempore paschali

De Virginibus et non Virginibus fit tam Officium, quam memoria sicut in alio tempore, addito suis locis Allelúia. ℟℟. Horarum cum Allelúia dicuntur.

In Matutinis tres psalmi et ℣. et tres benedictiones ante lectiones dicuntur secundum ordinem Nocturnorum vel feriarum, cum una sola antiphona super psalmos, scilicet,

Pro Virgine

Super psalmos ant. Veniénte Sponso, prudens Virgo præparáta, introívit cum eo ad núptias, allelúia.

Pro sancta Martyre tantum

Super psalmos ant. Dum esset Rex in accúbitu suo, nardus mea dedit odórem suavitátis, allelúia.

Pro nec Virg. nec Mart.

Super psalmos ant. Hæc est quæ nescívit torum in delícto: habébit fructum in respectióne animárum sanctárum, allelúia.

¶ In festis Sanctorum Ordinis Prædicatorum, de quibus tempore paschali Officium agitur, dicuntur in Matutinis semper tres psalmi et ℣. ante lectiones pro I Nocturno notati: et similiter dicuntur super psalmos tres antiphonæ propriæ.

Officium de B. Maria Virgine in sabbato

Omnibus sabbatis IV classis fit Officium de beata Maria in sabbato, in quo, sumptis antiphonis et psalmis de sabbato, reliqua dicuntur ut infra.

AD MATUTINUM

Invit. Ave, María, grátia plena: * Dóminus tecum. T. P. Allelúia.

Hymnus

Quem terra, pontus, æthera
Colunt, adórant, prædicant,
Trinam regéntem máchinam
Claustrum Maríæ báiulat.

Cui luna, sol, et ómnia
Desérviunt per témpora,
Perfúsa cæli grátia,
Gestant puéllæ víscera.

Beáta Mater múnere,
Cuius supérnus Artifex,
Mundum pugíllo cóntinens,
Ventris sub arca clausus est.

Beáta cæli núntio,
Fecúnda Sancto Spíritu,
Desiderátus géntibus
Cuius per alvum fusus est.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

In Nocturno

Tempore Resurrectionis dicuntur tantum tres psalmi cum antiphona et ℣. temporis paschalis secundum ordinem Hebdomadarum.

Benedictiones

i. Oret voce pia pro nobis Virgo María. ℟. Amen.

ii. In omni tribulatióne et angústia subvéniat nobis pia Virgo María. ℟. Amen.

iii. Ad societátem cívium supernórum perdúcat nos Regína Angelórum. ℟. Amen.

Lectio i et ii dicuntur de Scriptura currenti cum suis ℟℟. de Tempore; Lectio vero iii erit una ex inferius positis, iuxta ordinem mensium, cum ℟. sequenti

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. T. P. Allelúia. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Extra T. P. Cantant cæli. T. P. Allelúia.

Dicitur Te Deum.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

AD LAUDES

Capitulum Eccli. 24

Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Hymnus

O gloriósa Dómina,
Excélsa supra sídera:
Qui te creávit próvide
Lactásti sacro úbere.

Quod Heva tristis ábstulit
Tu reddis almo gérmine:
Intrent ut astra flébiles,
Cæli fenéstra facta es.

Tu Regis alti iánua
Et porta lucis fúlgida:
Vitam datam per Vírginem,
Gentes redémptæ, pláudite.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.

Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula. Amen.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. T. P. Allelúia. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. T. P. Allelúia.

Ab octava Nativitatis ad festum Purificationis

Ad Benedictus ant. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem, allelúia.

¶ Infra Septuagesimam omittitur Allelúia.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ vírginitáte fecúnda, humáno géneri prémia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit.

A festo Purificationis ad dominicam in Quinquagesima et a festo SS. Trinitatis ad Adventum

Ad Benedictus ant. Ave, stella matutína, peccató-

rum medicína, mundi princeps et regína, sola Virgo digna dici: contra tela inimíci clípeum pone salútis tuæ títulum virtútis. O sponsa Dei elécta, esto nobis via recta ad ætérna gáudia.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Tempore paschali

Ad Benedictus ant. Beáta Dei Génetrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Iesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu, allelúia, allelúia.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Benedicámus Dómino cum duplici Allelúia.

AD PRETIOSA

Legendum est de Evangelio.

Ab octava Nativitatis ad festum Purificationis

Secúndum Lucam

Cap. 2

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes, et invenérunt Maríam et Ioseph et infántem pósitum in præsépio. Tu autem.

A festo Purificationis ad dominicam in Quinquagesima et a festo SS. Trinitatis ad Adventum

Secúndum Lucam

Cap. 11

In illo témpore: Loquénte Iesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba dixit illi: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. Tu autem.

Tempore paschali

Secúndum Ioánnem

Cap. 19

In illo témpore: Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius et soror Matris eius, María Cléophæ, et María Magdaléne. Tu autem.

¶ Tempore natalicio et tempore paschali responsoria Horarum cum Allelúia dicuntur.

AD PRIMAM

Capitulum Regi sæculórum.

℟. Iesu Christe. ℣. Qui natus es de Vírgine María.

Oratio In hac hora.

AD TERTIAM

Capitulum Eccli. 24

Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

℟. Sancta María, Mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta. ℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. Audi. Glória. Sancta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD SEXTAM

Capitulum Eccli. 24

Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Ora pro nobis, * Sancta Dei Génetrix. Ora. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Sancta. Glória. Ora.

℣. Elégit eam Deus, et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

AD NONAM

Capitulum Eccli. 24

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Iéricho.

℟. Elégit eam Deus, * Et præelégit eam. Elégit eam. ℣. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. Et præelégit eam. Glória. Elégit eam.

℣. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Dicta Nona terminatur hoc Officium.

Pro tertia lectione dicitur per unumquemque mensem una ex iis, quæ hic subnectuntur.

Mense ianuario

Ex Homília sancti Augustíni Epíscopi

5 in Nativitate Domini

Lectio iii

Hunc péperit Virgo Mater, qui Deo fílios fáceret, qui sententiam prævaricatiónis exclúderet, pœnam mortis eríperet et vitam perpétuam credéntibus condonáret. Portávit

in útero fílium, et hunc forma servi fudit in terris, quem in forma Dei Angeli venerántur in cælis. Péperit fílium mater, a quo ipsa nutrirétur pótius quam nutríret. Mortáli alvo immortálem suscépit hóspitem et in terréstri hospítio cæléstem Imperatórem Virgo suscépit. Fecit grávidam vírginem ipse, qui erat nascitúrus ex vírgine: expávit in partu suo mater: Deus per Angelum loquebátur, et Virgo áuribus imprægnabátur. Audiat omnis ætas, quod numquam audívit: Virgo partu suo nupsit; virginitátem, dum páreret, duplicávit: fílium, quem génuit, adorávit.

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Cantant cæli.

Mense februario

Ex sancto Ioánne Damascéno

In Orat. 3 de Dormit. B. Virginis

Lectio iii

Ulnis virgíneis splendor glóriæ, substántiæ Paternæ charácter, qui ómnia portat verbo virtútis suæ, infántis in modum portátur. O vere divína mirácula! O mystéria natúra atque cogitatióne superióra! O Vírginis prærogatívas, humána conditióne maióres! Quodnam ingens hoc, o sacra Mater et Virgo, circa te mystérium! Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Beáta tu in generatiónibus, soláque digna quæ beáta prædicéris. Tu enim es sólium illud régium, cui Angeli astitérunt, suum herum et Dóminum adorántes. Tu spirituális Eden, antíqua illa sánctior ac divínior. Síquidem in illa terrénus Adam commorabátur: in te autem Dóminus, qui de cælo descéndit.

℟. ut supra.

Mense martio

Ex sancto Epiphánio Epíscopo

De Laudibus S. Deiparæ

Lectio iii

Solo Deo excépto, cunctis supérior est Virgo María. Ipsis quippe Chérubim atque Séraphim ac univérso Angelórum exércitu púlchrior exsístit, cui prædicándæ cæli et terræ lingua non súfficit, immo vero nec Angelórum. Etenim ipsi quidem hymnum, laudem et honórem obtulérunt: nec tamen eo modo pro dignitáte éloqui potuérunt. Lætabántur vero Angeli tamquam ipsi dumtáxat Deum habérent; quibus sanctíssima Virgo supérior facta, habitántem in cælis Deum in terra concépit, ut hac ratióne Angelórum exércitus homínibus consértos in terram tráheret. Ipsa enim cæli et terræ mediátrix, utriúsque uniónem perégit, et Spíritus Sancti imbrem in terram ad producéndum fídei fructum demísit.

℟. ut supra.

Mense aprili

Ex sancto Epiphánio Epíscopo

De Laudibus S. Deiparæ

Lectio iii

Per te, Virgo sancta, médium macériæ parietem, inimicítias Christus dissólvit: per te pax cæléstis donáta est mundo: per te orbis fines illumináti sunt: per te hómines facti sunt Angeli: per te iídem amíci servíque ac Dei fílii appelláti sunt: per te meruérunt éffici consérvi Angelórum et cum eis familiáriter conversári: per te cæléstis notítia, et laudátio e terra in cælos transmíttitur: per te crux resplénduit in univérsum mundum, in qua quidem cruce pepéndit fílius tuus Christus Dóminus noster: per te mors conculcátur et spoliátur inférnus: per te cecidérunt idóla et excitáta est notítia cæléstis: per te cognóvimus unigénitum Fílium Dei, quem sinu tuo peperísti.

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, cantant cæli ágmina laudes. Allelúia. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Allelúia.

Mense maio

Ex sancto Ioánne Chrysóstomo

In Serm. de Nativ. Domini

Lectio iii

Quóniam homínibus genus mulíebre benefícium debébat, útpote quod Adam sine mulíere mulíerem produxerat, proptérea Virgo sine viro péperit, ut pro Heva débitum viris exsólveret. Ut enim non superbíret Adámus, quod sine mulíere

mulíerem genuísset, idcírco múlier sine viro péperit virum: ut miráculi communióne, natúræ æqualitátem osténderet. Et quemádmodum costam ábstulit ex Adámo et Adámum nihil immínuit, sic in Vírgine animátum templum effínxit et virginitátem mínime solvit. Salvus et incólumis remánsit étiam post costæ privatiónem Adámus: incorrúpta quoque Virgo permánsit, postquam ex ea pródiit Deus infans.

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. T. P. Allelúia. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Extra T. P. Cantant cæli. T. P. Allelúia.

Mense iunio

Ex sancto Petro Chrysólogo

Serm. 3 in Annuntiat.

Lectio iii

Ne mirémur ab Angelo Vírginem salutári: quia semper est Angelis cognáta virgínitas. In carne præter carnem vívere, non terréna vita est, sed cæléstis. Et si vultis scire, Angélicam glóriam acquírere maius est quam habére: esse Angelum, felicitátis est; vírginem esse, virtútis. Virgínitas enim hoc óbtinet víribus, quod habet Angelus ex natúra. Angelus ergo et virgo divínum agunt offícium, non humánum. Grátiam ergo détulit Angelus: accépit Virgo, salútem sæculis redditúra. Ave, inquit, grátia plena: quia síngulis grátia sese per partes largíta est; Maríæ vero simul se totam dedit grátiæ plenitúdo.

℟. ut supra.

Mense iulio

Ex sancto Ambrósio

Lib. 2 de Virginibus, cap. 2

Lectio iii

Sit vobis tamquam in imágine descrípta virgínitas vitáque beátæ Maríæ, de qua velut in spéculo refúlget spécies castitátis et forma virtútis. Hinc sumátis licet exémpla vivéndi, ubi tamquam in exemplári magistéria expréssa probitátis, quid corrígere, quid effúgere, quid tenére debeátis, osténdunt. Primus discéndi ardor, nobílitas est magístri. Quid nobílius Dei Matre? Quid splendídius ea, quam splendor elégit?

Quid cástius ea, quæ corpus sine córporis contagióne generávit? Nam de céteris eius virtútibus quid loquar? Virgo erat non solum córpore, sed étiam mente, quæ nullo doli ámbitu sincérum adulteráret afféctum. Corde húmilis, verbis gravis, ánimo prudens, loquéndi párcior, legéndi studiósior; non in incérto divitiárum, sed in prece páuperis spem repónens.

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Cantant cæli.

Mense augusto

Ex sancto Ioánne Damascéno

Orat. 3 in Dormit. B. Virg.

Lectio iii

O quómodo fons vitæ ad vitam média tráhitur morte? O quómodo ea, quæ in partu natúræ leges excésserat, ipsíus demum légibus cedit, corpúsque immaculátum morti subícitur? Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem: præsértim cum ne ipse quidem natúræ Dóminus mortis perículum fácere recusárit. Etenim carne móritur, ac morte mortem de médio tollit: incorruptiónem donat, ac mortem resurrectiónis fontem éfficit. O quómodo sanctam illam ánimam e tabernáculo, quod Deum suscéperat, emigrántem suis mánibus ille ómnium rerum parens et efféctor excépit! Legítime enim eam honórans, quam natúra quidem ancíllam, sed grátiæ dispensatióne matrem effécit: vere scílicet incarnátus, ac non velut præstígiis quibúsdam humanitátem efíngens.

℟. ut supra.

Mense septembri

Ex sancto Bernárdo

Serm. de Nativitate beatæ Mariæ Virginis

Lectio iii

Intueámini, fratres, quanto devotiónis afféctu a nobis Maríam volúerit honorári, qui totíus boni plenitúdinem pósuit in María: ut proínde, si quid spei in nobis est, si quid grátiæ, si quid salútis, ab ea novérimus redundáre, quæ ascéndit delíciis áffluens. Hortus plane deliciárum, quem non modo affláverit véniens, sed et

perfláverit supervéniens Auster ille divínus, ut úndique fluant et éffluant arómata eius, charísmata scílicet gratiárum. Totis ergo medúllis córdium, totis præcordiórum affléctibus et votis ómnibus Maríam hanc venerémur: quia sic est volúntas eius, qui totum nos habére vóluit per Maríam.

℟. iii. Virgo parens Christi, paritúra Deum genuísti: fúlgida stella maris, nos prótege, nos tueáris: * Dum paris et gaudes, Cantant cæli ágmina laudes. ℣. Intercéde pia pro nobis, Virgo María. - Dum paris. - Glória. - Cantant cæli.

Mense octobri

Ex sancto Ambrósio
Lib. 2 de Virgin. cap. 2

Lectio iii

Talis fuit virgo María, ut eius vita ómnium sit disciplína. Si ígitur auctor non displicet, opus probémus, ut quæcúmque sibi eius exóptat prǽmium, imitétur exémplum. Quantæ in una Vírgine spécies virtútum émicant! Secrétum verecúndiæ, vexíllum fídei, devotiónis obséquium; virgo intra domum, comes ad ministérium, mater ad templum. O quantis illa virgínibus occúrret, quantas compléxa ad Dóminum trahet, dicens: Hæc torum fílii mei, hæc thálamos nuptiáles immaculáto pudóre servávit! Quemádmodum eas ipse Dóminus commendábit Patri, nimírum illud répetens suum: Pater iuste, mundus me non cognóvit: istæ autem me cognovérunt et mundum cognóscere noluérunt! Quanta tunc Angelórum lætítia plaudéntium, quod habitáre Virgo mereátur in cælo, quæ cælésti vita vixit in sæculo!

℟. ut supra.

Mense novembri

Ex Homilía
sancti Bernárdi Abbátis
1 In Evang. Missus est

Lectio iii

Quæ est Virgo tam venerábilis, ut salutétur ab Angelo; tam húmilis, ut desponsáta sit fabro? Pulchra permíxtio virginitátis et humilitátis: nec mediócriter placet Deo illa ánima, in qua et humílitas comméndat virginitátem, et virgínitas exórnat humilitátem. Audis vírginem, audis húmilem. Si non potes virginitátem húmilis, imitáre humilitátem vírginis. Laudábilis virtus

virgínitas, sed magis necessária humílitas. Illa consúlitur, ista præcípitur: ad illam invitáris, ad istam cógeris: illa remunerátur, ista exígitur: potes dénique sine virginitáte salvári, sine humilitáte non potes. Potest enim placére humílitas, quæ virginitátem deplórat amíssam: sine humilitáte autem, áudeo dícere, nec Maríæ virgínitas placuísset.

℟. ut supra.

Mense decembri

Ex Homilía
sancti Bernárdi Abbátis
3 In Evang. Missus est

Lectio iii

Cum audísset María Angelum, turbáta est in sermóne, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Solent vírgines, quæ veræ vírgines sunt, semper pávidæ et numquam esse secúræ; et, ut cáveant timénda, étiam tuta pertiméscere: sciéntes se in vasis fictílibus thesáurum portáre pretiósum, et nimis árduum esse vívere angélice inter hómines et in terris more cæléstium conversári. Ac proínde quidquid novum, quidquid súbitum fúerit ortum, suspéctas habent insídias, totum contra se æstimant machinátum. Idcírco et María turbáta est in sermóne Angeli. Turbáta est, sed non perturbáta: et cogitábat qualis esset ista salutátio. Quod turbáta est, verecúndiæ fuit virgínális: quod non perturbáta, fortitúdinis: quod tácuit et cogitávit, prudéntiæ singuláris.

℟. ut supra.

Officium parvum B. Mariæ Virginis

AD MATUTINUM

℣. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.

¶ Iste ℣. Ave, María... cum ℟. Benedícta tu... dicitur in principio et in fine Horarum (præterquam in fine Matutini et Completorii et in principio Laudum). Si tamen aliqua Hora aliam Horam immediate sequitur, prædictus ℣. nonnisi semel inter utramque dicitur.

℣. Dómine, lábia mea apéries. ℟. Et os meum annuntiábit laudem tuam.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dó-

mine, ad adiuvándum me festína. Glória Patri. Sicut erat. Allelúia vel Laus.

Invit. Regem Vírginis Fílium, * Veníte, adorémus.

Psalmus Veníte, exsultémus 549.

Hymnus Quem terra [172].

Super psalmos ant. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Psalmi ut in I Nocturno unius Virg. [125].

℣. Diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℟. Proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Iube, domne, benedícere.

Benedictio Alma Virgo vírginum intercédat pro nobis ad Dóminum. ℟. Amen.

Lectio i

Sancta María, Virgo vírginum, mater et fília Regis regum ómnium, tuum nobis impénde solátium: ut cæléstis regni per te mereámur habére prémium, et cum eléctis Dei regnáre in perpétuum. Tu autem.

℟. Deo grátias.

℟. i. Sancta et immaculáta virgínitas, quibus te láudibus éfferam, néscio: * Quia quem cæli cápere non póterant, tuo grémio contulísti. ℣. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. - Quia.

Benedictio Sancta Dei Génetrix sit nobis auxiliátrix. ℟. Amen.

Lectio ii

Sancta María, piárum piíssima, intercéde pro nobis, sanctárum sanctíssima: per te, Virgo, nostra sumat precámina qui pro nobis ex te natus regnat super æthera: ut sua caritáte nostra deleántur peccámina. Tu autem.

℟. ii. Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti creatórem mundi: * Genuísti eum qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo. ℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. - Genuísti.

Benedictio Nos cum Prole pia benedícat Virgo María. ℟. Amen.

Lectio iii

Sancta Dei Génetrix, quæ digne meruísti concípere quem totus orbis nequit comprehéndere, tuo pio interventu culpas nostras áblue: ut redémpti perénnis sedem glóriæ per te valeámus scándere, ubi regnas cum eódem Fílio tuo sine témpore. Tu autem.

℟. iii. Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: * Quia ex te ortus est Sol iustítiæ, Christus Deus noster. ℣. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu: séntiant omnes tuum iuvámen, quicúmque célebrant tuam commemoratiónem. - Quia. - Glória. - Christus.

Hymnus Te Deum dicitur semper quando dicitur in aliis Matutinis, vel ultimum responsorium usque ad ℣. exclusive repetendum erit, quando in aliis Matutinis repetitur.

Ante Laudes ℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur.

AD LAUDES

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Super psalmos ant. Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Psalmus Dóminus regnávit cum ceteris 580.

Capitulum Eccli. 24

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis.

Hymnus O gloriósa [173].

℣. Elégit eam Deus et prælégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Ad Bened. ant. O gloriósa Dei Génetrix, Virgo semper María, quæ Dóminum ómnium meruísti portáre, et Regem Angelórum sola Virgo lactáre: nostri, quæsumus, pia memoráre, et pro nobis Christum deprecáre: ut tuis fulti patrocíniis ad cæléstia regna mereámur pervenire.

Dóminus vobíscum, vel Dómine, exáudi oratiónem meam.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Per Adventum

Ad Bened. ant. Spíritus Sanctus in te descéndet, María: ne tímeas, habébis in útero Fílium Dei, allelúia.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscí-

pere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

A Nativitate Domini ad festum Purificationis inclusive

Ad Bened. ant. Génuit puérpera Regem, cui nomen ætérnum: et gáudia matris habens cum virginitátis honóre, nec primam símilem visa est, nec habére sequéntem.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prémia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum.

Tempore paschali

Ad Bened. ant. Beáta Dei Génetrix María, Virgo perpétua, templum Dómini, sacrárium Spíritus Sancti, tu sola sine exémplo placuísti Dómino nostro Iesu Christo. Ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu, allelúia, allelúia.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi oratiónem meam.

℣. Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

Si immediate non sequitur alia Hora, subditur

℣. Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum. ℟. Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus.

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

Sic terminantur omnes Horæ, excepto Completorio.

AD PRIMAM

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Hymnus

Meménto, salútis Auctor,
Quod nostri quondam córporis,
Ex illibáta Vírgine
Nascéndo, formam súmpseris.

María, mater grátiæ,
Mater misericórdiæ,
Tu nos ab hoste prótege,
Et hora mortis súscipe.
Glória tibi, Dómine,
Qui natus es de Vírgine,
Cum Patre et Sancto Spíritu
In sempitérna sæcula.
Amen.

Super psalmos ant. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta: da mihi virtútem contra hostes tuos.

Psalmi Ad Dóminum. — Levávi óculos. — Lætátus sum 643.

Capitulum Eccli. 24

Ab inítio, et ante sæcula creáta sum, et usque ad futúrum sæculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi.

℟. Post partum, Virgo, * Invioláta permansísti. Post partum. ℣. Dei Génetrix, intercéde pro nobis. Invioláta. Glória. Post partum.

℣. Benedícta tu in muliéribus. ℟. Et benedíctus fructus ventris tui.

Oratio

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui Angelo nuntiánte Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem.

AD TERTIAM

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Hymnus Meménto, salútis, ut supra [184].

Super psalmos ant. Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti in univérso mundo.

Psalmi Ad te levávi. — Nisi quia Dóminus. — Qui confídunt 670-671.

Capitulum Eccli. 24

Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Ierúsalem potéstas mea.

℟. Sancta María, Mater Christi, * Audi rogántes sérvulos. Sancta. ℣. Et impetrátam nobis cælitus tu defer indulgéntiam. Audi. Glória. Sancta María.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Oratio Concéde nos fámulos, ut supra [184].

Per Adventum

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum Angelo

nuntiánte carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

A Nativitate Domini ad festum Purificationis inclusive

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prémia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum.

AD SEXTAM

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Hymnus Meménto, salútis, ut supra [184].

Super psalmos ant. In prole mater, in partu virgo, gaude et lætáre, Virgo Mater Dómini.

Psalmi In converténdo 671; Nisi Dóminus 672; Beáti omnes 702.

Capitulum Eccli. 24

Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea.

℟. Ora pro nobis, * Sancta Dei Génetrix. Ora. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Sancta. Glória. Ora.

℣. Elégit eam Deus et præelégit eam. ℟. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo.

Oratio

Prótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis: et, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, a cunctis hóstibus redde secúros. Per.

AD NONAM

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Hymnus Meménto, salútis, ut supra [184].

Super psalmos ant. Beáta mater, et intácta virgo, gloriósa Regína mundi, intercéde pro nobis ad Dóminum.

Psalmi Sæpe expugnavérunt. — De profúndis. — Dómine, non est exaltátum 702-703.

Capitulum Eccli. 24

Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion: quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Iéricho.

℟. Elégit eam Deus * Et præelégit eam. Elégit. ℣. Et habitáre eam facit in tabernáculo suo. Et præelégit. Glória. Elégit.

℣. Sancta Dei Génetrix, virgo semper María. ℟. Intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Oratio

Famulórum tuórum, quæsumus, Dómine, delíctis ignósce: ut qui tibi placére de áctibus nostris non valémus, Genetrícis Fílii tui Dómini nostri intercessióne salvémur: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

AD VESPERAS

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Deus, in adiutórium, etc.

Super psalmos ant. Sancta Dei Génetrix, Virgo semper María, intercéde pro nobis ad Dóminum Deum nostrum.

Psalmi Dixit Dóminus, ut in festis B. Mariæ Virg. [33].

Capitulum Eccli. 24

Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Hymnus Ave, maris stella, [35].

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Ad Magnif. ant. Sancta María, succúrre míseris, iuva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérveni pro clero, intercéde pro devóto femíneo sexu.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Per Adventum

Ad Magnif. ant. O Virgo vírginum, quómodo fiet istud? Quia nec primam símilem visa es, nec habére sequéntem. Fíliæ Ierúsalem, quid me admirámini? Divínum est mystérium hoc quod cérnitis.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum Angelo nuntiánte carnem suscípere voluísti, præsta supplícibus tuis: ut, qui vere eam Genetrícem Dei crédimus, eius apud te intercessiónibus adiuvémur. Per eúndem.

A Nativitate Domini ad festum Purificationis inclusive

Ad Magnif. ant. O admirábile commércium! Creátor géneris humáni, animátum corpus sumens, de Vírgine nasci dignátus est: et procédens homo sine sémine, largítus est nobis suam Deitátem.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fecúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quæsumus, ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere: Dóminum nostrum.

Tempore paschali

Ad Magnif. ant. Regína cæli, lætáre, allelúia: quia quem meruísti portáre, allelúia, resurréxit (Temp. Ascensionis iam ascéndit), sicut dixit, allelúia. Ora pro nobis Deum, allelúia.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

AD COMPLETORIUM

℣. Ave, María, grátia plena.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adiutórium meum inténde. ℟. Dómine, ad adiuvándum me festína. Glória Patri. Allelúia vel Laus.

Super psalmos ant. Virgo María, non est tibi símilis nata in mundo inter mulíeres, florens ut rosa, fragrans sicut lílium: ora pro nobis, sancta Dei Génetrix.

Psalmi Meménto, Dómine 703; Ecce quam bonum 731; Ecce nunc 611.

Capitulum Eccli. 24

Ego mater pulchræ dilectiónis et timóris et agnitiónis et sanctæ spei.

℟. Intercéde pro nobis, sancta Virgo vírginum, *Mater Dei, María. Intercéde. ℣. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. Mater. Glória. Intercéde.

Hymnus

Virgo singuláris,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solútos
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum:
Ut vidéntes Iesum
Semper collætémur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spirítui Sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

Ad Nunc dimittis ant. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génetrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper Virgo benedícta.

Oratio

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut, qui sanctæ Dei Genetrícis memóriam ágimus, intercessiónis eius auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúndem.

Dóminus vobíscum vel Dómine, exáudi oratiónem meam.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Benedictio Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris et Fílii et Spíritus Sancti descéndat super nos et máneat semper.

℟. Amen.

Antiphonæ Salve, Regína, et O lumen, cum respectivo versiculo et oratione ut in Ordinario 565-566.

Fidélium ánimæ.

Psalmi graduales

Hi quinque psalmi dicuntur sub uno Réquiem:

Ps. Ad Dóminum, cum tribulárer 643;
Ps. Levávi óculos meos 643;
Ps. Lætátus sum 643;
Ps. Ad te levávi 670;
Ps. Nisi quia Dóminus 671.

Deinde Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Christum.

Hi alii quinque psalmi dicuntur singuli cum Glória Patri:

Ps. Qui confídunt 671;
Ps. In converténdo 671;
Ps. Nisi Dóminus 672;
Ps. Beáti omnes 702;
Ps. Sæpe expugnavérunt me, 702.

Deinde Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Memor esto congregatiónis tuæ. ℟. Quam possedísti ab inítio.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere, súscipe deprecatiónem nostram: ut, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat. Per Christum.

Isti alii quinque psalmi dicuntur singuli cum Glória Patri:

Ps. De profúndis 702;
Ps. Dómine, non est exaltátum 703;
Ps. Meménto, Dómine, David 703;
Ps. Ecce quam bonum 731;
Ps. Ecce nunc benedícite Dóminum 611.

Deinde Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas. ℟. Deus meus sperántes in te.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Præténde, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant; et quæ digne póstulant, assequántur. Per Christum.

Officium Defunctorum

Dici solet in choro in die depositionis. Item dicendum est choraliter in quatuor Anniversariis Ordinis, pro quibus a choro absentes illud infra hebdomadam respectivam privatim, licet in partes divisum, recitare tenentur.

Notandum quod Anniversarium Ordinis quodlibet eo die, quo positum est in calendario, debet celebrari, nisi occurrat in die liturgico I vel II classis: quo in casu Anniversarium transfertur in proximiorem diem similiter non impeditum.

Ad Pater noster et orationem in fine Laudum et Vesperarum fit prostratio vel inclinatio profunda, prout in Hora canonica immediate præcedenti factæ sunt prostrationes vel non.

AD MATUTINUM

In I Nocturno

Absolute inchoatur

Ant. 1 Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Psalmus 5

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine, mane exáudies vocem meam.

Mane astábo tibi et vidébo: * quóniam non Deus volens iniquitátem tu es.

Neque habitábit iuxta te malígnus: * neque permanébunt iniústi ante óculos tuos.

Odísti omnes qui operántur iniquitátem: * perdes omnes qui loquúntur mendácium.

Virum sánguinum et dolósum abominábitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad templum sanctum tuum in timóre tuo.

Dómine, deduc me in iustítia tua: * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in ore eórum véritas: * cor eórum vanum est.

Sepúlcrum patens est guttur eórum, ꝛ linguis suis dolóse agébant, * iúdica illos, Deus.

Décidant a cogitatiónibus suis, ꝛ secúndum multitúdinem impietátum eórum expélle eos, * quóniam irritavérunt te, Dómine.

Et læténtur omnes qui sperant in te, * in ætérnum exsultábunt: et habitábis in eis.

Et gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces iusto.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: * et lux perpétua lúceat eis.

¶ Iste ℣. dicitur in fine singulorum psalmorum et canticorum.

Ant. Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Ant. 2 Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam, quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Psalmus 6

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, ℣. lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Ant. Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam, quóniam non est in morte qui memor sit tui.

Ant. 3 Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Psalmus 7

Dómine Deus meus, in te sperávi: * salvum me fac ex ómnibus persequéntibus me et líbera me.

Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, * dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

Dómine Deus meus, si feci istud, * si est iníquitas in mánibus meis:

Si réddidi retribuéntibus mihi mala, * décidam mérito ab inimícis meis inánis.

Persequátur inimícus ánimam meam et comprehéndat ℣. et concúlcet in terra vitam meam, * et glóriam meam in púlverem dedúcat.

Exsúrge, Dómine, in ira tua: * et exaltáre in fínibus inimicórum meórum.

Et exsúrge, Dómine Deus meus, in præcépto quod mandásti: * et synagóga populórum circúmdabit te.

Et propter hanc in altum regrédere: * Dóminus iúdicat pópulos.

Iúdica me, Dómine, secúndum iustítiam meam * et secúndum innocéntiam meam super me.

Consumétur nequítia peccatórum, et díriges iustum, * scrutans corda et renes, Deus.

Iustum adiutórium meum a Dómino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus iudex iustus, fortis et pátiens: * numquid iráscitur per síngulos dies?

Nisi convérsi fuéritis, gládium suum vibrábit: * arcum suum teténdit et parávit illum.

Et in eo parávit vasa mortis: * sagíttas suas ardéntibus effécit.

Ecce partúriit iniustítiam: * concépit dolórem et péperit iniquitátem.

Lacum apéruit et effódit eum: * et íncidit in fóveam quam fecit.

Convertétur dolor eius in caput eius: * et in vérticem ipsíus iníquitas eius descéndet.

Confitébor Dómino secúndum iustítiam eius: * et psallam nómini Dómini altíssimi.

Ant. Nequándo rápiat ut leo ánimam meam, dum non est qui rédimat, neque qui salvum fáciat.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Pater noster... Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Sine benedictione et sine titulo leguntur omnes sequentes lectiones.

Lectio i — Iob 7

Parce mihi, Dómine, nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magníficas eum? aut quid appónis erga eum cor tuum? Vísitas eum dilúculo, et súbito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimíttis me, ut glútiam salívam meam? Peccávi, quid fáciam tibi, o custos hóminum? Quare posuísti me contrárium tibi, et factus sum mihimetípsi gravis? Cur non tollis peccátum meum, et quare non aufers iniquitátem meam? Ecce, nunc in púlvere dórmiam: et, si mane me quæsíeris, non subsístam.

¶ Lectiones terminantur sine Tu autem vel alia conclusione.

℟. i. Credo quod Redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: et in carne mea vidébo Deum, * Salvatórem meum. ℣. Quem visúrus sum ego ipse, et non álius, et óculi mei conspectúri sunt. - Salvatórem meum.

Lectio ii — Iob 10

Tædet ánimam meam vitæ meæ, dimíttam advérsum me elóquium meum, loquar in amaritúdine ánimæ meæ. Dicam

Deo: Noli me condemnáre: índica mihi, cur me ita iúdices. Numquid bonum tibi vidétur, si calumniéris me, et ópprimas me, opus mánuum tuárum, et consílium impiórum ádiuves? Numquid óculi cárnei tibi sunt: aut sicut videt homo, et tu vidébis? Numquid sicut dies hóminis dies tui, et anni tui sicut humána sunt témpora, ut quæras iniquitátem meam, et peccátum meum scrutéris? Et scias quia nihil ímpium fécerim, cum sit nemo qui de manu tua possit erúere.

℟. ii. Qui Lázarum resuscitásti a monuménto fœtidum: * Tu eis, Dómine, dona réquiem et locum indulgéntiæ. ℣. Qui ventúrus es iudicáre vivos et mórtuos, et sæculum per ignem. - Tu eis.

Lectio iii Iob 10

Manus tuæ fecérunt me, et plasmavérunt me totum in circúitu: et sic repénte præcípitas me? Meménto, quæso, quod sicut lutum féceris me, et in púlverem redúces me. Nonne sicut lac mulsísti me, et sicut cáseum me coagulásti? Pelle et cárnibus vestísti me: óssibus et nervis compegísti me. Vitam et misericórdiam tribuísti mihi, et visitátio tua custodívit spíritum meum.

℟. iii. Dómine, quando véneris iudicáre terram, ubi me abscóndam a vultu iræ tuæ: * Quia peccávi nimis in vita mea? ℣. Commíssa mea pavésco, et ante te erubésco: dum véneris iudicáre, noli me condemnáre. - Quia.

In II Nocturno

Ant. 4 In loco páscuæ ibi me collocávit.

Psalmus 22

Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: * in loco páscuæ ibi me collocávit.

Super aquam refectiónis educávit me: * ánimam meam convértit.

Dedúxit me super sémitas iustítiæ * propter nomen suum.

Nam, et si ambulávero in médio umbræ mortis, non timébo mala: * quóniam tu mecum es.

Virga tua et báculus tuus: * ipsa me consoláta sunt.

Parásti in conspéctu meo mensam * advérsus eos qui tríbulant me.

Impinguásti in óleo caput meum: * et calix meus inébrians quam præclárus est!

Et misericórdia tua subsequétur me * ómnibus diébus vitæ meæ:

Et ut inhábitem in domo Dómini * in longitúdinem diérum.

Ant. In loco páscuæ ibi me collocávit.

Ant. 5 Delícta iuventútis meæ et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Psalmus 24

Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: * Deus meus, in te confído, non erubéscam.

Neque irrídeant me inimíci mei: * étenim univérsi qui sústinent te non confundéntur.

Confundántur omnes iníqua agéntes * supervácue.

Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: * et sémitas tuas édoce me.

Dírige me in veritáte tua et doce me: * quia tu es, Deus, salvátor meus, et te sustínui tota die.

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, * et misericordiárum tuárum, quæ a sæculo sunt.

Delícta iuventútis meæ * et ignorántias meas ne memíneris.

Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu: * propter bonitátem tuam, Dómine.

Dulcis et rectus Dóminus: * propter hoc legem dabit delinquéntibus in via.

Díriget mansuétos in iudício: * docébit mites vias suas.

Univérsæ viæ Dómini, misericórdia et véritas, * requiréntibus testaméntum eius et testimónia eius.

Propter nomen tuum, Dómine, propitiáberis peccáto meo: * multum est enim.

Quis est homo qui timet Dóminum? * legem státuit ei in via, quam elégit.

Anima eius in bonis demorábitur: * et semen eius hereditábit terram.

Firmaméntum est Dóminus timéntibus eum: * et testaméntum ipsíus ut manifestétur illis.

Oculi mei semper ad Dóminum: * quóniam ipse evéllet de láqueo pedes meos.

Réspice in me et miserére mei: * quia únicus et pauper sum ego.

Tribulatiónes cordis mei multiplicátæ sunt: * de necessitátibus meis érue me.

Vide humilitátem meam et labórem meum: * et dimítte univérsa delícta mea.

Réspice inimícos meos, quóniam multiplicáti sunt, * et ódio iníquo odérunt me.

Custódi ánimam meam et érue me: * non erubéscam quóniam sperávi in te.

Innocéntes et recti adhæsérunt mihi: * quia sustínui te.

Líbera, Deus, Israël * ex ómnibus tribulatiónibus suis.

Ant. Delícta iuventútis meæ et ignorántias meas ne memíneris, Dómine.

Ant. 6 Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

Psalmus 26

Dóminus illuminátio mea et salus mea, * quem timébo?

Dóminus protéctor vitæ meæ, * a quo trepidábo?

Dum approˊpiant super me nocéntes, * ut edant carnes meas:

Qui tríbulant me inimíci mei, * ipsi infirmáti sunt et cecidérunt.

Si consístant advérsum me castra, * non timébit cor meum.

Si exsúrgat advérsum me prœlium, * in hoc ego sperábo.

Unam pétii a Dómino, hanc requíram, * ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ,

Ut vídeam voluptátem Dómini, * et vísitem templum eius.

Quóniam abscóndit me in tabernáculo suo: * in die malórum protéxit me in abscóndito tabernáculi sui.

In petra exaltávit me: * et nunc exaltávit caput meum super inimícos meos.

Circuívi, et immolávi in tabernáculo eius hóstiam vociferatiónis: * cantábo et psalmum dicam Dómino.

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: * miserére mei et exáudi me.

Tibi dixit cor meum, ℣ exquisívit te fácies mea: * fáciem tuam, Dómine, requíram.

Ne avértas fáciem tuam a me: * ne declínes in ira a servo tuo.

Adiútor meus esto: * ne derelínquas me, neque despícias me, Deus, salutáris meus.

Quóniam pater meus et mater mea dereliquérunt me: * Dóminus autem assúmpsit me.

Legem pone mihi, Dómine, in via tua: * et dírige me in sémitam rectam propter inimícos meos.

Ne tradíderis me in ánimas tribulántium me: * quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Credo vidére bona Dómini * in terra vivéntium.

Exspécta Dóminum, viríliter age: * et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum.

Ant. Credo vidére bona Dómini in terra vivéntium.

℣. In memória ætérna erunt iusti. ℟. Ab auditióne mala non timébunt.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Lectio iv Iob 13

Respónde mihi: Quantas hábeo iniquitátes et peccáta, scélera mea et delícta osténde mihi. Cur fáciem tuam abscóndis, et arbitráris me inimícum tuum? Contra fólium, quod vento rápitur, osténdis poténtiam tuam, et stípulam siccam perséqueris. Scribis enim contra me amaritúdines, et consúmere me vis peccátis adolescéntiæ meæ. Posuísti in nervo pedem meum, et observásti omnes sémitas meas, et vestígia pedum meórum considerásti: Qui quasi putrédo consuméndus sum, et quasi vestiméntum quod coméditur a tínea.

℟. iv. Heu mihi, Dómine, quia peccávi nimis in vita mea. Quid fáciam miser? ubi fúgiam, nisi ad te, Deus meus? Miserére mei, dum véneris * In novíssimo die. ℣. Anima mea turbáta est valde, sed tu, Dómine, succúrre ei. - In novíssimo die.

Lectio v Iob 14

Homo natus de muliére, brevi vivens témpore, replétur multis misériis. Qui quasi flos egréditur et contéritur, et fugit velut umbra, et numquam in eódem statu pérmanet. Et dignum ducis super huiuscémodi aperíre óculos tuos, et addúcere eum tecum in iudícium? Quis potest fácere mundum de immúndo concéptum sémine? Nonne tu qui solus es? Breves dies hóminis sunt, númerus ménsium eius apud te est: constituísti términos eius, qui præteríri non póterunt. Recéde páululum ab eo, ut quiéscat, donec optáta véniat, sicut mercenárii, dies eius.

℟. v. Ne recordéris peccáta mea, Dómine: * Dum véneris iudicáre sæculum per ignem. ℣. Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam. - Dum véneris.

Lectio vi Iob 14

Quis mihi hoc tríbuat, ut in inférno prótegas me et abscóndas me, donec pertránseat furor tuus, et constítuas mihi

tempus, in quo recordéris mei? Putásne mórtuus homo rursum vivat? Cunctis diébus, quibus nunc mílito, exspécto donec véniat immutátio mea. Vocábis me, et ego respondébo tibi: óperi mánuum tuárum pórriges déxteram. Tu quidem gressus meos dinumerásti, sed parce peccátis meis.

℟. vi. Dómine, secúndum actum meum noli me iudicáre: nihil dignum in conspéctu tuo egi: * Ideo déprecor maiestátem tuam, ut tu, Deus, déleas iniquitátem meam. ℣. Amplius lava me, Dómine, ab iniustítia mea, et a delícto meo munda me: quia tibi soli peccávi. - Ideo déprecor.

In III Nocturno

Ant. 7 Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me: Dómine, ad adiuvándum me réspice.

Psalmus 39

Exspéctans exspectávi Dóminum, * et inténdit mihi.

Et exaudívit preces meas: * et edúxit me de lacu misériæ et de luto fæcis.

Et státuit super petram pedes meos: * et diréxit gressus meos.

Et immísit in os meum cánticum novum, * carmen Deo nostro.

Vidébunt multi et timébunt: * et sperábunt in Dómino.

Beátus vir cuius est nomen Dómini spes eius: * et non respéxit in vanitátes et insánias falsas.

Multa fecísti tu, Dómine Deus meus, mirabília tua: * et cogitatiónibus tuis non est qui símilis sit tibi.

Annuntiávi et locútus sum: * multiplicáti sunt super número rum.

Sacrifícium et oblatiónem noluísti: * aures autem perfecísti mihi.

Holocáustum et pro peccáto non postulásti: * tunc dixi: Ecce vénio.

In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam: * Deus meus, vólui, et legem tuam in médio cordis mei.

Annuntiávi iustítiam tuam in ecclésia magna, * ecce lábia mea non prohibébo: Dómine, tu scisti.

Iustítiam tuam non abscóndi in corde meo: * veritátem tuam et salutáre tuum dixi.

Non abscóndi misericórdiam tuam et veritátem tuam * a concílio multo.

Tu autem, Dómine, ne longe fácias miseratiónes tuas a me: * misericórdia tua et véritas tua semper suscepérunt me.

Quóniam circumdedérunt me mala, quorum non est número rus: * comprehendérunt me iniquitátes meæ, et non pótui ut vidérem.

Multiplicátæ sunt super capíllos cápitis mei: * et cor meum derelíquit me.

Compláceat tibi, Dómine, ut éruas me: * Dómine, ad adiuvándum me réspice.

Confundántur et revereántur simul qui quærunt ánimam meam, * ut áuferant eam.

Convertántur retrórsum et revereántur * qui volunt mihi mala.

Ferant conféstim confusiónem suam * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exsúltent et læténtur super te omnes quæréntes te: * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.

Ego autem mendícus sum et pauper: * Dóminus sollícitus est mei.

Adiútor meus et protéctor meus tu es: * Deus meus, ne tardáveris.

Ant. Compláceat tibi, Dómine, ut erípias me: Dómine, ad adiuvándum me réspice.

Ant. 8 Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Psalmus 40

Beátus qui intélligit super egénum et páuperem: * in die mala liberábit eum Dóminus.

Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, ℣ et beátum fáciat eum in terra: * et non tradat eum in ánimam inimicórum eius.

Dóminus opem ferat illi super lectum dolóris eius: * univérsum stratum eius versásti in infirmitáte eius.

Ego dixi: Dómine, miserére mei: * sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

Inimíci mei dixérunt mala mihi: * Quando moriétur et períbit nomen eius?

Et si ingrediebátur ut vidéret, vana loquebátur: * cor eius congregávit iniquitátem sibi.

Egrediebátur foras, * et loquebátur in idípsum.

Advérsum me susurrábant omnes inimíci mei: * advérsum me cogitábant mala mihi.

Verbum iníquum constituérunt advérsum me: * Numquid qui dormit non adíciet ut resúrgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo sperávi: * qui edébat panes meos, magnificávit super me supplantatiónem.

Tu autem, Dómine, miserére mei et resúscita me: * et retríbuam eis.

In hoc cognóvi quóniam voluísti me: * quóniam non gaudébit inimícus meus super me.

Me autem propter innocéntiam suscepísti: * et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Benedíctus Dóminus, Deus Israël, a sæculo et usque in sæculum: * fiat, fiat.

Ant. Sana, Dómine, ánimam meam, quia peccávi tibi.

Ant. 9 Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

Psalmus 41

Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: * ita desíderat ánima mea ad te, Deus.

Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum: * quando véniam et apparébo ante fáciem Dei?

Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte: * dum dícitur mihi quotídie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordátus sum et effúdi in me ánimam meam: * quóniam transíbo in locum tabernáculi admirábilis, usque ad domum Dei.

In voce exsultatiónis et confessiónis: * sonus epulántis.

Quare tristis es, ánima mea? * et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei et Deus meus.

Ad meípsum ánima mea conturbáta est: * propterea memor ero tui de terra Iordánis et Hermóniim a monte módico.

Abýssus abýssum ínvocat, * in voce cataractárum tuárum.

Omnia excélsa tua et fluctus tui * super me transiérunt.

In die mandávit Dóminus misericórdiam suam, * et nocte cánticum eius.

Apud me orátio Deo vitæ meæ, * dicam Deo: Suscéptor meus es.

Quare oblítus es mei? * et quare contristátus incédo, dum afflígit me inimícus?

Dum confringúntur ossa mea, * exprobravérunt mihi qui tríbulant me inimíci mei.

Dum dicunt mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, ánima mea? et quare contúrbas me?

Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: * salutáre vultus mei et Deus meus.

Ant. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam et apparébo ante fáciem Dómini?

℣. Ne tradas béstiis ánimas confiténtes tibi. ℟. Et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Lectio vii Iob 17

Spíritus meus attenuábitur, dies mei breviabúntur, et solum mihi súperest sepúlcrum. Non peccávi, et in amaritudínibus morátur óculus meus. Líbera me, Dómine, et pone me iuxta te, et cuiúsvis manus pugnet contra me. Dies mei transiérunt, cogitatiónes meæ dissipátæ sunt, torquéntes cor meum. Noctem vertérunt in diem, et rursum post ténebras spero lucem. Si sustinúero, inférnus domus mea est, et in ténebris stravi léctulum meum. Putrédini dixi: Pater meus es, mater mea et soror mea, vérmibus. Ubi est ergo nunc præstolátio mea, et patiéntiam meam quis considerat?

℟. vii. Peccántem me quotídie et non me pæniténtem, timor mortis contúrbat me: * Quia in inférno nulla est redémptio, miserére mei, Deus, et salva me. ℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua líbera me. - Quia in inférno.

Lectio viii Iob 19

Pelli meæ, consúmptis cárnibus, adhæsit os meum, et derelícta sunt tantúmmodo lábia circa dentes meos. Miserémini mei, miserémini mei, saltem vos, amíci mei, quia manus Dómini tétigit me. Quare persequímini me sicut Deus, et cárnibus meis saturámini? Quis mihi tríbuat ut scribántur sermónes mei? Quis mihi det ut exaréntur in libro stilo férreo, et plumbi lámina vel celte sculpántur in sílice? Scio enim quod redémptor meus vivit, et in novíssimo die de terra surrectúrus sum: et rursum circúmdabor pelle mea, et in carne mea vidébo Deum meum. Quem visúrus sum ego ipse, et óculi mei conspectúri sunt, et non álius: repósita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. viii. Meménto mei, Deus: quia ventus est vita mea, * Nec aspíciet me visus hóminis. ℣. Et non revertétur óculus meus, ut vídeat bona. - Nec aspíciet.

Lectio ix Iob 10

Quare de vulva eduxísti me? qui útinam consúmptus essem ne óculus

me vidéret. Fuíssem quasi non essem, de útero translátus ad túmulum. Numquid non páucitas diérum meórum finiétur brevi? Dimítte ergo me, ut plangam páululum dolórem meum: ántequam vadam et non revértar ad terram tenebrósam et opértam mortis calígine: terram miséria et tenebrárum, ubi umbra mortis et nullus ordo, sed sempitérnus horror inhábitat.

℟. ix. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die illa treménda: * Quando cæli movéndi sunt et terra: Dum véneris iudicáre sæculum per ignem.

℣. Dies illa, dies iræ, calamitátis et miséria, dies magna et amára valde. - Quando cæli, usque ad Dum véneris, exclusive.

℣. Tremens factus sum ego et tímeo, dum discússio vénerit atque ventúra ira. - Dum véneris iudicáre sæculum per ignem.

℣. Creátor ómnium rerum, Deus, qui me de limo terræ formásti et mirabíliter próprio sánguine redemísti, corpúsque meum, licet modo putréscat, de sepúlcro fácies in die iudícii resuscitári: exáudi, exáudi me, ut ánimam meam in sinu Abrahæ patriárchæ tui iúbeas collocári. ℟. Líbera me, Dómine, de morte ætérna, in die illa treménda, Quando cæli movéndi sunt et terra, Dum véneris iudicáre sæculum per ignem.

Si Matutinum a Laudibus separetur, finito ultimo responsorio, dicuntur Pater noster et oratio ut infra ad Laudes [206].

AD LAUDES

Immediate inchoatur

Ant. 1 Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum; * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor; * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Ant. Exsultábunt Dómino ossa humiliáta.

Ant. 2 Exáudi, Dómine, oratiónem meam: ad te omnis caro véniet.

Psalmus 64

Te decet hymnus, Deus, in Sion: * et tibi reddétur votum in Ierúsalem.

Exáudi oratiónem meam: * ad te omnis caro véniet.

Verba iniquórum prævaluérunt super nos: * et impietátibus nostris tu propitiáberis.

Beátus quem elegísti et assumpsísti: * inhabitábit in átriis tuis.

Replébimur in bonis domus tuæ: * sanctum est templum tuum, mirábile in æquitáte.

Exáudi nos, Deus, salutáris noster, * spes ómnium fínium terræ et in mari longe.

Præparans montes in virtúte tua, accínctus poténtia: * qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum eius.

Turbabúntur gentes et timébunt qui hábitant términos a signis tuis: * éxitus matutíni et véspere delectábis.

Visitásti terram et inebriásti eam: * multiplicásti locupletáre eam.

Flumen Dei replétum est aquis, parásti cibum illórum: * quóniam ita est præparátio eius.

Rivos eius inébria, multíplica genímina eius: * in stillicídiis eius lætábitur gérminans.

Benedíces corónæ anni benignitátis tuæ: * et campi tui replebúntur ubertáte.

Pinguéscent speciósa desérti: * et exsultatióne colles accingéntur.

Indúti sunt aríetes óvium, ℣. et valles abundábunt fruménto: * clamábunt, étenim hymnum dicent.

Ant. Exáudi, Dómine, oratiónem meam: ad te omnis caro véniet.

Ant. 3 Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Psalmus 62

Deus, Deus meus, * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra desérta et ínvia et inaquósa: ℣. sic in sancto appárui tibi, * ut vidérem virtútem tuam et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua super vitas: * lábia mea laudábunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exsultatiónis laudábit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, ℣. in matutínis meditábor in te: * quia fuísti adiútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exsultábo, ℣. adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi vero in vanum quæsiérunt ánimam meam, ℣. introíbunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex vero lætábitur in Deo, ℣. laudabúntur omnes qui iurant in eo: * quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

Ant. Me suscépit déxtera tua, Dómine.

Ant. 4 A porta ínferi érue, Dómine, ánimas eórum.

Canticum Ezechiæ Regis
Isaiæ 38

Ego dixi: In dimídio diérum meórum * vadam ad portas ínferi.

Quæsívi resíduum annórum meórum. * Dixi: Non vidébo Dóminum Deum in terra vivéntium.

Non aspíciam hóminem ultra * et habitatórem quiétis.

Generátio mea ablàta est et convolúta est a me * quasi tabernáculum pastórum.

Præcísa est velut a texénte, vita mea: ℣. dum adhuc ordírer, succídit me: * de mane usque ad vésperam fínies me.

Sperábam usque ad mane, * quasi leo sic contrívit ómnia ossa mea:

De mane usque ad vésperam fínies me: * sicut pullus hirúndinis sic clamábo, meditábor ut colúmba:

Attenuáti sunt óculi mei, * suspiciéntes in excélsum:

Dómine, vim pátior, ℣. respónde pro me. * Quid dicam, aut quid respondébit mihi, cum ipse fécerit?

Recogitábo tibi omnes annos meos * in amaritúdine ánimæ meæ.

Dómine, si sic vívitur, et in tálibus vita spíritus mei, ℣. corrípies me et vivificábis me. * Ecce in pace amaritúdo mea amaríssima:

Tu autem eruísti ánimam meam ut non períret: * proiecísti post tergum tuum ómnia peccáta mea.

Quia non inférnus confitébitur tibi, ℣. neque mors laudábit te: * non exspectábunt qui descéndunt in lacum veritátem tuam.

Vivens vivens ipse confitébitur tibi, sicut et ego hódie: * pater fíliis notam fáciet veritátem tuam.

Dómine, salvum me fac, * et psalmos nostros cantábimus cunctis diébus vitæ nostræ in domo Dómini.

Ant. A porta ínferi érue, Dómine, ánimas eórum.

Ant. 5 Omnis spíritus laudet Dóminum.

Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: ℣. laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum. [Req.]

Ant. Omnis spíritus laudet Dóminum.

Immediate sequitur

Ad Bened. ant. Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis, qui vivit et credit in me, non moriétur in ætérnum.

Canticum Benedictus.

Repetita post canticum antíphona, dicitur Pater noster secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dicitur oratio conveniens; deinde Requiéscant in pace, ut infra.

In die obitus seu depositionis

Pro Summo Pontifice

Oratio

Deus, qui inter summos sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dispositióne connumerári voluísti: præsta, quæsumus, ut, qui unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúndem.

Pro episcopo aut sacerdote

Oratio

Deus, qui inter apostólicos sacerdótes fámulum tuum N. pontificáli (vel sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére, præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per.

Pro uno defuncto

Oratio

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimam fámuli tui N., quam de hoc sæculo migráre iussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum iúbeas esse consórtem. Per.

Pro una defuncta

Oratio

Quæsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N.: et a contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per.

Pro patre vel matre tantum

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti, miserére cleménter ánimæ patris mei (vel matris meæ): eiúsque peccáta dimítte, meque eum (vel eam) in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per.

In omni anniversario

Pro pluribus

Oratio

Deus indulgentiárum, Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per.

Pro uno vel una

Oratio

Deus indulgentiárum, Dómine, da ánimæ fámuli tui N. (vel fámulæ tuæ N.), cuius anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem. Per.

Pro Summo Pontifice, episcopo et sacerdote, oratio conveniens ut supra.

In Officio ordinario

Pro defunctis fratribus, sororibus, familiaribus et benefactoribus

Oratio

Deus, véniæ largítor et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam: ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per.

Pro defunctis in genere

Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Post orationem subditur tantum

Requiéscant in pace. ℟. Amen.

AD VESPERAS

Absolute inchoatur ab

Ant. 1 Placébo Dómino in regióne vivórum.

Psalmus 114

Diléxi, quóniam exáudiet Dóminus * vocem oratiónis meæ.

Quia inclinávit aurem suam mihi: * et in diébus meis invocábo.

Circumdedérunt me dolóres mortis: * et perícula inférni invenérunt me.

Tribulatiónem et dolórem invéni: * et nomen Dómini invocávi.

O Dómine, líbera ánimam meam: * misércors Dóminus et iustus, et Deus noster miserétur.

Custódiens párvulos Dóminus: * humiliátus sum et liberávit me.

Convértere, ánima mea, in réquiem tuam: * quia Dóminus benefécit tibi.

Quia erípuit ánimam meam de morte: * óculos meos a lácrimis, pedes meos a lapsu.

Placébo Dómino * in regióne vivórum.

Ant. Placébo Dómino in regióne vivórum.

Ant. 2 Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est.

Psalmus 119

Ad Dóminum, cum tribulárer, clamávi: * et exaudívit me.

Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis * et a lingua dolósa.

Quid detur tibi aut quid apponátur tibi * ad linguam dolósam?

Sagíttæ poténtis acútæ * cum carbónibus desolatóriis.

Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est: habitávi cum habitántibus Cedar: * multum íncola fuit ánima mea.

Cum his qui odérunt pacem eram pacíficus: * cum loquébar illis, impugnábant me gratis.

Ant. Heu mihi, quia incolátus meus prolongátus est.

Ant. 3 Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus.

Psalmus 120

Levávi óculos meos in montes, * unde véniet auxílium mihi.

Auxílium meum a Dómino, * qui fecit cælum et terram.

Non det in commotiónem pedem tuum: * neque dormítet qui custódit te.

Ecce non dormitábit neque dórmiet, * qui custódit Israël.

Dóminus custódit te, Dóminus protéctio tua, * super manum déxteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dóminus custódit te ab omni malo: * custódiat ánimam tuam Dóminus.

Dóminus custódiat intróitum tuum et éxitum tuum: * ex hoc nunc et usque in sæculum.

Ant. Dóminus custódit te ab omni malo: custódiat ánimam tuam Dóminus.

Ant. 4 Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino,

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Ant. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit?

Ant. 5 Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Psalmus 137

Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: * quóniam audísti verba oris mei.

In conspéctu Angelórum psallam tibi: * adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Super misericórdia tua et veritáte tua: * quóniam magnificásti super omne nomen sanctum tuum.

In quacúmque die invocávero te, exáudi me: * multiplicábis in ánima mea virtútem.

Confiteántur tibi, Dómine, omnes reges terræ: * quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Et cantent in viis Dómini: * quóniam magna est glória Dómini.

Quóniam excélsus Dóminus, et humília réspicit: * et alta a longe cognóscit.

Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me: * et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, et salvum me fecit déxtera tua.

Dóminus retríbuet pro me: * Dómine, misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despícias.

Ant. Opera mánuum tuárum, Dómine, ne despícias.

Immediate sequitur

Ad Magnif. ant. Audívi vocem de cælo dicéntem mihi: Beáti mórtui qui in Dómino moriúntur.

Canticum Magnificat.

Repetita post canticum antiphona, dicitur Pater noster secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi.
℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.
Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
Orémus.

Oratio conveniens ut in Laudibus [206].

Septem psalmi pænitentiales

Iis qui septem psalmos pænitentiales pie recitaverint conceditur indulgentia septem annorum (S. Pæn. Ap., 18 mart. 1932).

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum: neque víndictam sumas de peccátis nostris.

Psalmus 6

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: * sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea.

Et ánima mea turbáta est valde: * sed tu, Dómine, úsquequo?

Convértere, Dómine, et éripe ánimam meam: * salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Quóniam non est in morte qui memor sit tui: * in inférno autem quis confitébitur tibi?

Laborávi in gémitu meo, lavábo per síngulas noctes lectum meum: * lácrimis meis stratum meum rigábo.

Turbátus est a furóre óculus meus: * inveterávi inter omnes inimícos meos.

Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem: * quóniam exaudívit Dóminus vocem fletus mei.

Exaudívit Dóminus deprecatiónem meam, * Dóminus oratiónem meam suscépit.

Erubéscant et conturbéntur veheménter omnes inimíci mei: * convertántur et erubéscant valde velóciter.

Psalmus 31

Beáti quorum remíssæ sunt iniquitátes: * et quorum tecta sunt peccáta.

Beátus vir, cui non imputávit Dóminus peccátum, * nec est in spíritu eius dolus.

Quóniam tácui, inveteravérunt ossa mea, * dum clamárem tota die.

Quóniam die ac nocte graváta est super me manus tua: * convérsus sum in ærúmna mea, dum confígitur spina.

Delíctum meum cógnitum tibi feci: * et iniustítiam meam non abscóndi.

Dixi: Confitébor advérsum me iniustítiam meam Dómino: * et tu remisísti impietátem peccáti mei.

Pro hac orábit ad te omnis sanctus, * in témpore opportúno.

Verúmtamen in dilúvio aquárum multárum, * ad eum non approximábunt.

Tu es refúgium meum a tribulatióne, quæ circúmdedit me: * exsultátio mea, érue me a circumdántibus me.

Intelléctum tibi dabo, et ínstruam te in via hac, qua gradiéris: * firmábo super te óculos meos.

Nolíte fíeri sicut equus et mulus, * quibus non est intelléctus.

In camo et freno maxíllas eórum constrínge, * qui non appróximant ad te.

Multa flagélla peccatóris, * sperántem autem in Dómino misericórdia circúmdabit.

Lætámini in Dómino et exsultáte, iusti, * et gloriámini, omnes recti corde.

Psalmus 37

Dómine, ne in furóre tuo árguas me, * neque in ira tua corrípias me.

Quóniam sagíttæ tuæ infíxæ sunt mihi: * et confirmásti super me manum tuam.

Non est sánitas in carne mea a fácie iræ tuæ: * non est pax óssibus meis a fácie peccatórum meórum.

Quóniam iniquitátes meæ supergréssæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravátæ sunt super me.

Putruérunt et corrúptæ sunt cicatríces meæ * a fácie insipiéntiæ meæ.

Miser factus sum et curvátus sum usque in finem: * tota die contristátus ingrediébar.

Quóniam lumbi mei impléti sunt illusiónibus: * et non est sánitas in carne mea.

Afflíctus sum et humiliátus sum nimis: * rugiébam a gémitu cordis mei.

Dómine, ante te omne desidérium meum: * et gémitus meus a te non est abscónditus.

Cor meum conturbátum est, derelíquit me virtus mea: * et lumen oculórum meórum et ipsum non est mecum.

Amíci mei et próximi mei * advérsum me appropinquavérunt et stetérunt.

Et qui iuxta me erant de longe stetérunt: * et vim faciébant qui quærébant ánimam meam.

Et qui inquirébant mala mihi, locúti sunt vanitátes: * et dolos tota die meditabántur.

Ego autem tamquam surdus non audiébam: * et sicut mutus non apériens os suum.

Et factus sum sicut homo non áudiens: * et non habens in ore suo redargutiónes.

Quóniam in te, Dómine, sperávi: * tu exáudies me, Dómine Deus meus.

Quia dixi: Nequándo supergáudeant mihi inimíci mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locúti sunt.

Quóniam ego in flagélla parátus sum: * et dolor meus in conspéctu meo semper.

Quóniam iniquitátem meam annuntiábo: * et cogitábo pro peccáto meo.

Inimíci autem mei vivunt et confirmáti sunt super me: * et multiplicáti sunt qui odérunt me iníque.

Qui retríbuunt mala pro bonis, detrahébant mihi: * quóniam sequébar bonitátem.

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus: * ne discésseris a me.

Inténde in adiutórium meum, * Dómine, Deus salútis meæ.

Psalmus 50

Miserére mei, Deus, * secúndum magnam misericórdiam tuam.

Et secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum, * dele iniquitátem meam.

Amplius lava me ab iniquitáte mea: * et a peccáto meo munda me.

Quóniam iniquitátem meam ego cognósco: * et peccátum meum contra me est semper.

Tibi soli peccávi et malum coram te feci: * ut iustificéris in sermónibus tuis, et vincas cum iudicáris.

Ecce enim in iniquitátibus concéptus sum: * et in peccátis concépit me mater mea.

Ecce enim veritátem dilexísti: * incérta et occúlta sapiéntiæ tuæ manifestásti mihi.

Aspérges me hyssópo, et mundábor: * lavábis me, et super nivem dealbábor.

Audítui meo dabis gáudium et lætítiam: * et exsultábunt ossa humiliáta.

Avérte fáciem tuam a peccátis meis: * et omnes iniquitátes meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus: * et spíritum rectum ínnova in viscéribus meis.

Ne proícias me a fácie tua: * et spíritum sanctum tuum ne áuferas a me.

Redde mihi lætítiam salutáris tui: * et spíritu principáli confírma me.

Docébo iníquos vias tuas: * et ímpii ad te converténtur.

Líbera me de sanguínibus, Deus, Deus salútis meæ: * et exsultábit lingua mea iustítiam tuam.

Dómine, lábia mea apéries: * et os meum annuntiábit laudem tuam.

Quóniam, si voluísses sacrifícium, dedíssem útique: * holocáustis non delectáberis.

Sacrifícium Deo spíritus contribulátus: * cor contrítum, et humiliátum, Deus, non despícies.

Benígne fac, Dómine, in bona voluntáte tua Sion: * ut ædificéntur muri Ierúsalem.

Tunc acceptábis sacrifícium iustítiæ, oblatiónes et holocáusta: * tunc impónent super altáre tuum vítulos.

Psalmus 101

Dómine, exáudi oratiónem meam: * et clamor meus ad te véniat.

Non avértas fáciem tuam a me: * in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam.

In quacúmque die invocávero te, * velóciter exáudi me.

Quia defecérunt sicut fumus dies mei: * et ossa mea sicut crémium aruérunt.

Percússus sum ut fenum, et áruit cor meum: * quia oblítus sum comédere panem meum.

A voce gémitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Símilis factus sum pellicáno solitúdinis: * factus sum sicut nyctícorax in domicílio.

Vigilávi, * et factus sum sicut passer solitárius in tecto.

Tota die exprobrábant mihi inimíci mei: * et qui laudábant me, advérsum me iurábant.

Quia cínerem tamquam panem manducábam, * et potum meum cum fletu miscébam.

A fácie iræ et indignatiónis tuæ: * quia élevans allisísti me.

Dies mei sicut umbra declinavérunt: * et ego sicut fenum árui.

Tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes: * et memoriále tuum in generatiónem et generatiónem.

Tu exsúrgens miserébéris Sion: * quia tempus miseréndi eius, quia venit tempus.

Quóniam placuérunt servis tuis lápides eius: * et terræ eius miserebúntur.

Et timébunt gentes nomen tuum, Dómine, * et omnes reges terræ glóriam tuam.

Quia ædificávit Dóminus Sion: * et vidébitur in glória sua.

Respéxit in oratiónem humílium: * et non sprevit precem eórum.

Scribántur hæc in generatióne áltera: * et pópulus, qui creábitur, laudábit Dóminum:

Quia prospéxit de excélso sancto suo: * Dóminus de cælo in terram aspéxit:

Ut audíret gémitus compeditórum: * ut sólveret fílios interemptórum:

Ut annúntient in Sion nomen Dómini: * et laudem eius in Ierúsalem.

In conveniéndo pópulos in unum, * et reges ut sérviant Dómino.

Respóndit ei in via virtútis suæ: * Paucitátem diérum meórum núntia mihi.

Ne révoces me in dimídio diérum meórum: * in generatiónem et generatiónem anni tui.

Inítio tu, Dómine, terram fundásti: * et ópera mánuum tuárum sunt cæli.

Ipsi períbunt, tu autem pérmanes: * et omnes sicut vestiméntum veteráscent.

Et sicut opertórium mutábis eos, et mutabúntur: * tu autem idem ipse es, et anni tui non defícient.

Fílii servórum tuórum habitábunt: * et semen eórum in sæculum dirigétur.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes obsérváveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino,

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Psalmus 142

Dómine, exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe obsecratiónem meam in veritáte tua: * exáudi me in tua iustítia.

Et non intres in iudícium cum servo tuo: * quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

Quia persecútus est inimícus ánimam meam: * humiliávit in terra vitam meam.

Collocávit me in obscúris sicut mórtuos sæculi: * et anxiátus est super me spíritus meus, in me turbátum est cor meum.

Memor fui diérum antiquórum, meditátus sum in ómnibus opéribus tuis: * in factis mánuum tuárum meditábar.

Expándi manus meas ad te: * ánima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velóciter exáudi me, Dómine: * defécit spíritus meus.

Non avértas fáciem tuam a me: * et símilis ero descendéntibus in lacum.

Audítam fac mihi mane misericórdiam tuam: * quia in te sperávi.

Notam fac mihi viam, in qua ámbulem: * quia ad te levávi ánimam meam.

Eripe me de inimícis meis, Dómine, ad te confúgi: * doce me fácere voluntátem tuam, quia Deus meus es tu.

Spíritus tuus bonus dedúcet me in terram rectam: * propter nomen tuum, Dómine, vivificábis me, in æquitáte tua.

Edúces de tribulatióne ánimam meam: * et in misericórdia tua dispérdes inimícos meos.

Et perdes omnes, qui tríbulant ánimam meam: * quóniam ego servus tuus sum.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum: neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Litaniæ Sanctorum

Litaniæ Sanctorum cum suis precibus dicendæ sunt in Litaniis maioribus et minoribus, iuxta proprias rubricas, nec duplicantur, nec anticipari possunt de sero.

Kýrie, eléison.
℣. Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
℣. Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
℣. Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
℣. Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
℣. Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.

Repetitur a choro:

Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
℣. Fili, Redémptor, etc.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
℣. Spíritus Sancte, etc.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
℣. Sancta Trínitas, etc.
Sancta María,
℣. Ora pro nobis.
Sancta Dei Génetrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli,
oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora.
Sancte Ioseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Iacóbe, ora.
Sancte Ioánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.

Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Dionýsi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Ianuári cum sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Ioánnes cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Pie, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Antoníne, ora.
Sancte Albérte, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Hyacínthe, ora.
Sancte Raymúnde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Sancta Ursula cum sodálibus tuis, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Rosa, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti, oráte.
Propítius esto.
℣. Parce nobis, Dómine.
Propítius esto.
℣. Exáudi nos, Dómine.
A damnatióne perpétua,
℣. Líbera nos, Dómine.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, líbera.
Ab infestatiónibus dæmonum, líbera.
Ab omni immundítia mentis et córporis, líbera.
Ab ira et ódio et omni mala voluntáte, líbera.

Ab immúndis cogitatiónibus, líbera.
A cæcitáte cordis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A peste, fame et bello, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
Ab omni malo, líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ, líbera.
Per passiónem et crucem tuam, líbera.
Per gloriósam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per grátiam Sancti Spíritus Paráclíti, líbera.
In die Iudícii, líbera.
Peccatóres, ℟. Te rogámus, audi nos.
Ut pacem nobis dones, te rogámus.
Ut misericórdia et píetas tua nos custódiat, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Domnum Apostólicum et omnes gradus Ecclésiæ in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut Epíscopos et Prælátos nostros et cunctas congregatiónes illis commíssas in tuo sancto servítio conserváre dignéris, te rogámus.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus.
Ut régibus et princípibus nostris pacem et veram concórdiam atque victóriam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cunctum pópulum christiánum pretióso Sánguine tuo redémptum conserváre dignéris, te rogámus.
Ut omnes errántes ad unitátem Ecclésiæ revocáre, et infidéles univérsos ad Evangélii lumen perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras et paréntum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut óculos misericórdiæ tuæ super nos redúcere dignéris, te rogámus.
Ut obséquium servitútis nostræ rationábile fácias, te rogámus.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus.
Ut misérias páuperum et captivórum intuéri et releváre dignéris, te rogámus.

Ut loca nostra et omnes habitántes in eis visitáre et consolári dignéris, te rogámus.
Ut civitátem istam et omnem pópulum eius protégere et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut omnes fidéles navigántes et itineránte ad portum salútis perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut regulláribus disciplínis nos instrúere dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam dones, te rogámus.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.
Fili Dei, te rogámus.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi.
℟. Parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi.
℟. Exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi.
℟. Miserére nobis.
Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Psalmus 69

Deus, in adiutórium meum inténde: * Dómine, ad adiuvándum me festína.

Confundántur et revereántur * qui quærunt ánimam meam.
Avertántur retrórsum et erubéscant * qui volunt mihi mala.
Avertántur statim erubescéntes * qui dicunt mihi: Euge, euge.
Exsúltent et læténtur in te omnes qui quærunt te, * et dicant semper: Magnificétur Dóminus: qui díligunt salutáre tuum.
Ego vero egénus et pauper sum: * Deus, ádiuva me.
Adiútor meus et liberátor meus es tu: * Dómine, ne moréris.
Glória Patri, etc.
℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.
℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.
℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.
℣. Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli.
℟. Et laudem eórum núntiet ecclésia.
℣. Memor esto congregatiónis tuæ.
℟. Quam possedísti ab inítio.
℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas.
℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Esto nobis, Dómine, turris fortitúdinis.
℟. A fácie inimíci.
℣. Fiat pax in virtúte tua.
℟. Et abundántia in túribus tuis.
Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Prótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis, et, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes, a cunctis hóstibus redde secúros.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent; quátenus, quorum memóriam ágimus, étiam actus imitémur.

Ineffábilem misericórdiam tuam, Dómine, nobis cleménter osténde: ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis quas pro his merémur erípias.

Præténde, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur.

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte.

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília et iusta sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium subláta formídine, témpora sint tua protectióne tranquílla. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

APPENDIX AD BREVIARIUM ORDINIS PRÆDICATORUM

I. - EXCERPTA E MISSALI ROMANO ET MISSALI ORDINIS PRÆDICATORUM

Preces ante et post Missam

PRÆPARATIO AD MISSAM

pro opportunitate sacerdotis facienda

Quilibet sacerdos, ex concessione Pii Pp. XI, sub die 3 octobris 1936, lucrari potest: Indulgentiam quinque annorum, si ante Missæ celebrationem recitet psalmos 83, 84, 85, 115 et 129 cum adnexa antiphona, versiculis et Orémus ut infra; plenariam, si per integrum mensem prædictas preces quotidie recitaverit, additis confessione sacramentali et oratione ad Summi Pontificis mentem.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. T. P. Allelúia.

Psalmus 83

Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sæcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cuius est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Iacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abiéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri.

Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Iacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia et véritas obviavérunt sibi: * iustítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et iustítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Iustítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

Psalmus 85

Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam

ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iníqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, da impérium tuum púero tuo: * et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adiuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo eius: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum eius:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli eius: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Ierúsalem.

Glória Patri.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo eius: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus eius.

Glória Patri.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. T. P. Allelúia.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster...

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos.

℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur iustítiam. ℟. Et sancti tui exsúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátia Sancti Spíritus illúmina cor nostrum: ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri; ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

Ure igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet: et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

Adsit nobis, quæsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére.

Consciéntias nostras, quæsumus, Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Iesus Christus Fílius tuus parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio sacerdotis ante Missam

Indulgentia trium annorum pro qualibet ex sequentibus orationibus, si in die assignata recitetur. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

Die dominica

Summe Sacérdos, et vere Póntifex Iesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram et immaculátam in ara Crucis pro nobis míseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis Carnem tuam ad manducándum, et Sánguinem tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus Sancti tui, dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis: rogo per eúndem Sánguinem tuum, magnum salútis nostræ prétium, rogo per hanc miram et ineffábilem caritátem, qua nos míseros et indígnos sic amáre dignátus es, ut laváres nos a peccátis nostris in Sánguine tuo: doce me servum tuum indígnum, quem inter cétera dona tua étiam ad offícium sacerdotále vocáre dignátus

es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ; doce me, quæso, per Spíritum Sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reveréntia et honóre, ea devotióne et timóre, quibus opórtet, et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere et intellígere, sentíre et fírmiter tenére, dícere et cogitáre, quod tibi placet, et éxpedit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem tantórum mysteriórum. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi Missárum solémnia mundo corde, et pura mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia, ac tutéla fortíssima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti Angeli tui repélle a me, et a cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiæ et cenodóxiæ, invídiæ et blasphémiæ, fornicatiónis et immundítiæ, dubietátis et diffidéntiæ. Confundántur, qui nos persequúntur: péreant illi, qui nos pérdere festínant.

Feria secunda

Rex vírginum, et amátor castitátis et integritátis, cælésti rore benedictiónis tuæ exstíngue in córpore meo fómitem arduéntis libídinis, ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimæ. Mortífica in membris meis carnis stímulos, omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram et perpétuam castitátem cum céteris donis tuis, quæ tibi placent in veritáte: ut sacrifícium laudis casto córpore, et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cordis contritióne et lacrimárum fonte, quanta reveréntia et tremóre, quanta córporis castitáte et ánimæ puritáte istud divínum et cæléste sacrifícium est celebrándum, ubi Caro tua in veritáte súmitur, ubi Sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis, terréna divínis iungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum præséntia, ubi tu es Sacrifícium et Sacérdos mirabíliter et ineffabíliter constitútus!

Feria tertia

Quis digne hoc Sacrifícium celebráre póterit, nisi tu, Deus omnípotens, offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idípsum pietáti tuæ confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium, propter nímia peccáta mea, et infinítas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo, et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus iustos et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc sacrifícium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrimárum fonte, cum lætítia spiritáli et cælésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

Feria quarta

Ego enim, Dómine, memor venerándæ passiónis tuæ, accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam tibi sacrifícium, quod tu instituísti, et offérri præcepísti in commemoratiónem tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua, et pro pópulo, quem acquisivísti sánguine tuo. Et quóniam me peccatórem inter te et eúndem pópulum tuum médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis créditæ non recúses, nec per me indígnum eórum salútis péreat prétium, pro quibus víctima salutáris dignátus es esse, et redémptio. Prófero étiam, Dómine, (si dignéris propítius intuéri), tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónem languéntium, defáctus senum, suspíria iúvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

Feria quinta

Tu enim miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti. Memoráre, quæ sit nostra substántia: quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascáris satis, neque mul-

titúdinem víscerum tuórum super nos contíneas. Non enim in iustificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras, et ignem Sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra, et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis offícia præstolántem, aspícere dignéris: et ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre, et exaudíre delectéris.

Feria sexta

Rogámus étiam te, Dómine, sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum: ut sit illis salus, sánitas, gáudium, et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntum. Dómine Deus meus, sit illis hódie magnum et plenum convívium de te pane vivo, qui de cælo descendísti et das vitam mundo, de tua Carne sancta et benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso beátæ Vírginis Maríæ útero est assúmpta, et de Spiritu Sancto concépta; ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam mílitis ex tuo sacratíssimo látere emanávit: ut exínde refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti, exsúltent in laude et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuæ benedictiónis, et sanctificátio tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa Sancti Spíritus tui invisíbilis incomprehensibilísque maiéstas, sicut quondam in patrum hóstias descendébat: qui et oblatiónes nostras Corpus et Sánguinem tuum effíciat, et me indígnum sacerdótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte et lacrimárum devotióne, cum reveréntia et tremóre, ita ut plácide ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis ad salútem ómnium tam vivórum, quam defunctórum.

Sabbato

Rogo étiam te, Dómine, per ipsum sacrosánctum mystérium Córporis et Sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur et potámur, ablúimur et sanctificámur, atque uníus summæ divinitátis partícipes effícimur: da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus, bona consciéntia ad altáre tuum accédam, ita ut hæc cæléstia sacraménta efficiántur mihi salus et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et benedícto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi: Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam præter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum et omnem sapórem, qui nos semper réficis, et numquam in te déficis: cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ. Mandúcat te Angelus ore pleno: mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de cælo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam, sana et munda me intérius, et extérius. Esto tutámen, et contínua salus ánimæ et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes: recédant procul a præséntia poténtiæ tuæ, ut foris et intus per te munítus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam: ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradíderis regnum Deo et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam, nec sítiam in ætérnum. Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio S. Ambrosii ante Missam

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

Ad mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Iesu Christe, ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens, sed in tua confídens misericórdia et bonitáte, ac-

cédere véreor, et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda maiéstas, ego miser inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio: et quem Iúdicem sustinére néqueo, Salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo: tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo. Spero in misericórdias tuas, quarum non est número. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine Iesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te: miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis. Salve, salutáris víctima, pro me et omni humáno génere in patíbulo Crucis oblàta. Salve, nóbilis et pretióse Sanguis de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Iesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi ábluens. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo Sánguine redemísti. Pænitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Áufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea: ut purificátus mente et córpore digne degustáre mérear Sancta sanctórum: et concéde, ut hæc sancta prælibátio Córporis et Sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio, ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque et córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio. Amen.

Oratio sancti Thomæ Aquinatis

Indulgentia trium annorum; plenaria, dummodo quotidiana orationis recitatio in integrum mensem producta fuerit et præterea sacramentalis confessio, alicuius ecclesiæ vel publici oratorii visitatio et ad mentem Summi Pontificis preces additæ fuerint. Pius Pp. XI, 10 decembris 1936.

Omnípotens sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi: accédo tamquam

infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem: ut panem Angelórum, Regem regum, et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Domínici Córporis et Sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi, quod traxit de Vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mýstico mérear incorporári, et inter eius membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi dilèctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári. Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, etc.

Oratio B. Dominici Patris nostri

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, fácere propóno et inténdo quod fácere iussísti in die Cenæ, et sancta mater Ecclésia uníta fácere intèndit. Ne despéxeris ergo me, sed propter infinítam misericórdiam tuam dele iniquitátes meas, et fac me tuum idóneum et fidélem minístrum, et súscipe hoc sacrifícium de mánibus meis indígnis, ad laudem et glóriam totíus Trinitátis et Ecclésiæ tuæ sanctæ, et ad proféctum mei et aliórum fidélium, tam vivórum quam defunctórum, pro quibus inténdo oráre, vel qualitercúmque sim obligátus generáliter et speciáliter, in nómine sancto tuo. Amen.

Oratio ad B. Mariam V.

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

O mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et afféctu, et precor pietátem tuam: ut, sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce

pendénti astitísti, ita et mihi mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus hic et in tota sancta Ecclésia hódie offeréntibus, cleménter assístere dignéris, ut tua grátia adiúti, dignam et acceptábilem hóstiam in conspéctu summæ et indivíduæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Preces ad S. Ioseph

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

O felícem virum beátum Ioseph, cui datum est, Deum, quem multi reges voluérunt vidére, et non vidérunt, audíre, et non audiérunt, non solum vidére et audíre, sed portáre, deosculári, vestíre et custodíre!

℣. Ora pro nobis, beáte Ioseph. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus

Deus, qui dedísti nobis regále sacerdótium, præsta, quæsumus; ut, sicut beátus Ioseph unigénitum Fílium tuum, natum ex María Vírgine, suis mánibus reverénter tractáre méruit et portáre, ita nos fácias cum cordis mundítia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sæculo prémium habére mereámur ætérnum. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

Angeli, Archángeli, Throni, Dominatiónes, Principátus, Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, omnes Sancti et Sanctæ Dei, præsértim Patróni mei, intercédere dignémini pro me, ut hoc sacrifícium Deo omnipoténti digne váleam offérre, ad laudem et glóriam nóminis sui et ad utilitátem meam, totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ. Amen.

Oratio ad Sanctum, in cuius honorem Missa celebratur

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

O Sancte N., ecce ego miser peccátor, de tuis méritis confísus, óffero nunc sacratíssimum Sacraméntum Córporis et Sánguinis Dómini nostri Iesu Christi pro tuo honóre et glória. Precor te humíliter et devóte, ut pro me hódie intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam, ut eum tecum et cum ómnibus eléctis eius æternáliter laudáre, atque cum eo regnáre váleam: Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum. Amen.

Formula intentionis ante Missam

Indulgentia quingentorum dierum. Pius Pp. XI, 12 iulii 1935.

Ego volo celebráre Missam, et confícere Corpus et Sánguinem Dómini nostri Iesu Christi, iuxta ritum sanctæ Románæ Ecclésiæ, ad laudem omnipoténtis Dei, totiúsque cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam, totiúsque cúriæ militántis, pro ómnibus, qui se commendavérunt oratiónibus meis in génere et in spécie, et pro felíci statu sanctæ Románæ Ecclésiæ. Amen.

Gáudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pæniténtiæ, grátiam et consolatiónem Sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, tríbuat nobis omnípotens et misércors Dóminus. Amen.

Orationes dicendæ cum sacerdos induitur sacris vestibus

Cum lavat manus, dicat:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad abstergéndam omnem máculam, ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Antequam amictum accipiat, signo crucis se munit, dicens:

In nómine Patris et Fílii et Spíritus Sancti. Amen.

Ad amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Impóne, Dómine, cápiti meo gáleam salútis ad expugnándos omnes diabólicos incúrsus. Amen.

Ad albam, cum ea induitur:

Deálba me, Dómine, et munda cor meum, ut in sánguine Agni dealbátus, gáudiis pérfruar sempitérnis. Amen.

Ad cingulum, dum se cingit:

Prænge me, Dómine, cíngulo puritátis, et exstíngue in lumbis meis humórem libídinis; ut máneat in me virtus continéntiæ, et castitátis. Amen.

Ad manipulum, dum imponitur brachio sinistro:

Mérear, Dómine, portáre manípulum fletus et dolóris, ut cum exsultatióne recípiam mercédem labóris. Amen.

Ad stolam, dum imponitur collo:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et quamvis indígnus accédo ad tuum sacrum mystérium, mérear tamen gáudium sempitérnum. Amen.

Ad casulam, cum assumitur:

Dómine, qui dixísti, Iugum meum suáve est, et onus meum leve; fac ut istud portáre sic váleam, quod cónsequar tuam grátiam. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

Quilibet sacerdos, ex concessione Pii Pp. XI sub die 3 octobris 1936, lucrari potest: Indulgentiam quinque annorum, si post Missam celebratam recitet canticum trium Puerorum et psalmum 150 cum adnexa antiphona, versiculis et Orémus ut infra; plenariam, si per integrum mensem prædictas preces recitaverit, accedente sacramentali confessione et oratione ad mentem Summi Pontificis.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. T. P. Allelúia.

Canticum trium Puerorum

Dan. 3, 57-88 et 56

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino: * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino: * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino: * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite,ária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino: * benedícite, fílii hóminum, Dómino.

Benedícat Israël Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sæcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus, et ánimæ iustórum, Dómino: * benedícite, sancti, et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anánia, Azária, Misaël, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sæcula.

Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus 150

Laudáte Dóminum in sanctis eius: * laudáte eum in firmaménto virtútis eius.

Laudáte eum in virtútibus eius: * laudáte eum secúndum multitúdinem magnitúdinis eius.

Laudáte eum in sono tubæ: * laudáte eum in psaltério et cíthara.

Laudáte eum in týmpano et choro: * laudáte eum in chordis et órgano.

Laudáte eum in cýmbalis benesonántibus: laudáte eum in cýmbalis iubilatiónis: * omnis spíritus laudet Dóminum.

Glória Patri.

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum. T. P. Allelúia.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster...

Et ne nos indúcas in tentatiónem.

℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua.

℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Orémus

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

Actiónes nostras, quæsumus, Dómine, aspirándo práveni, et adiuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Da nobis, quæsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas exstínguere, qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

ORATIONES
pro opportunitate sacerdotis dicendæ

Oratio
S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia trium annorum; plenaria, oratione quotidie in integrum mensem pie reiterata et additis sacramentali confessione, alicuius ecclesiæ vel publici oratorii visitatione et precibus ad Summi Pontificis mentem. Pius Pp. XI, 22 novembris 1934.

Grátias tibi ago, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ satiáre dignátus es pretióso Córpore et Sánguine Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi: et precor, ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio, contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium, quam invisibílium firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium, quam spirituálium, perfécta quietátio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio: atque finis mei felix consummátio. Et precor te, ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu cum Fílio tuo et Spíritu Sancto Sanctis tuis es lux vera, satíetas plena, gáudium sempitérnum, iucúnditas consummáta, et felícitas perfécta. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Alia oratio

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

Transfíge, dulcíssime Dómine Iesu, medúllas et víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera, serenáque et apostólica sanctíssima caritáte, ut lángueat et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui, te concupíscat, et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi, et esse tecum. Da, ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum, panem nostrum quotidiánum, supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem, et sapórem, et omne delectaméntum suavitátis: te, in quem desíderant Angeli prospícere, semper esúriat et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ: te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei: te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et afféctu, cum perseverántia usque in finem: et tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, iucúnditas mea, gáudium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, refféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa, et firma, et immobíliter semper sit radicáta mens mea, et cor meum. Amen.

Rhythmus
sancti Thomæ Aquinatis

Indulgentia quinque annorum toties quoties; septem annorum, si rhythmus vel eiusdem postrema tantum stropha coram SS. Eucharistiæ Sacramento recitatus fuerit; plenaria suetis conditionibus, quotidiana rhythmi recitatione in integrum mensem producta. Pius Pp. XI, 12 martii 1936 et Pius Pp. XII, 12 iulii 1941.

Adóro te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas:
Tibi se cor meum totum súbicit,
Quia te contémplans totum déficit.

Visus, gustus, tactus, in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius:
Nil hoc Veritátis verbo vérius.

In cruce latébat sola Déitas:
At hic latet simul et humánitas:
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœnitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor:
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini:
Præsta meæ menti de te vívere,
Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne Iesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine:
Cuius una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.

Iesu, quem velátum nunc aspício,
Oro, fiat illud, quod tam sítio:
Ut te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

Aspirationes ad Ssmum Redemptorem

Indulgentia septem annorum, si sacerdos post Missam invocationes pie recitaverit; trecentorum dierum toties quoties; plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem invocationum recitatio devote peracta fuerit. Pius Pp. IX, 9 ianuarii 1854.

Anima Christi, sanctífica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inébria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Iesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et iube me veníre ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculórum. Amen.

Oblatio sui

Indulgentia trium annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem actus oblationis devote recitatus fuerit. Pius Pp. XI, 4 decembris 1932.

Súscipe, Dómine, univérsam meam libertátem. Accipe memóriam, intelléctum, atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo, vel possídeo, mihi largítus es: id tibi totum restítuo, ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones, et dives sum satis, nec áliud quidquam ultra posco.

Oratio ad D. N. I. C. Crucifixum ante imaginem Crucifixi

Indulgentia decem annorum; plenaria recitantibus post Missam et orantibus ad mentem Summi Pontificis. Pius Pp. XI, 2 februarii 1934.

En ego, o bone et dulcíssime Iesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, eáque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere: dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse consídero, ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod iam in ore ponébat tuo David prophéta de te, o bone Iesu: Fodérunt manus meas et pedes meos, dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps. 21.

Alia oratio

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. IX, 11 decembris 1846. Insuper hanc orationem recitanti flexis genibus, nisi impediatur, conceditur remissio defectuum et culparum in celebratione Missæ ex humana fragilitate contractarum. Pius Pp. X, 29 augusti 1912.

Obsecro te, dulcíssime Dómine Iesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus qua múniar, prótegar, atque deféndar: vúlnera tua sint mihi cibus, potúsque, quibus pascar, inébrier, atque delécter: aspérsio sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum: mors tua sit mihi vita indefíciens, crux tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi refóctio, exsultátio, sánitas et dulcédo cordis mei: Qui vivis et regnas in sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad B. Mariam V.

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

O María, Virgo et Mater sanctíssima, ecce suscépi dilectíssimum Fílium tuum, quem immaculáto útero tuo concepísti, genuísti, lactásti,

atque suavíssimis amplexíbus strinxísti. Ecce, cuius aspéctu lætabáris, et ómnibus delíciis replebáris, illum ipsum tibi humíliter et amánter repræsénto, et óffero tuis bráchiis constringéndum, tuo corde amándum, sanctissimáque Trinitáti in suprémum latríæ cultum pro tui ipsíus honóre et glória, et pro meis, totiúsque mundi necessitátibus oferéndum. Rogo ergo te, piíssima Mater, ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum, uberémque grátiam ipsi deínceps fidélius serviéndi, ac dénique grátiam finálem, ut eum tecum laudáre possim per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Oratio ad S. Ioseph

Indulgentia trium annorum toties quoties; septem annorum singulis mensis martii diebus necnon qualibet anni feria quarta; plenaria suetis conditionibus, oratione quotidie per integrum mensem pia mente iterata. Pius Pp. XI, 18 maii 1936 et Pius Pp. XII, 10 martii 1941.

Vírginum Custos et Pater, sancte Ioseph, cuius fidéli custódiæ ipsa Innocéntia Christus Iesus et Virgo vírginum María commíssa fuit: Te per hoc utrúmque caríssimum pignus Iesum et Maríam óbsecro et obtéstor, ut me ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Iesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Oratio ad Sanctum, in cuius honorem Missa celebrata est

Indulgentia trium annorum. Pius Pp. XI, 3 octobris 1936.

Sancte N., in cuius honórem incruéntum Córporis et Sánguinis Christi sacrifícium óbtuli, fac tua poténti apud Deum intercessióne, ut, usu huius mystérii, passiónis et mortis eiúsdem Christi Salvatóris nostri mérita cónsequar, ac cum illíus frequentatióne contínuo crescat meæ salútis efféctus. Amen.

II. - EXCERPTA E RITUALI ROMANO

Litaniæ approbatæ

(E Rituali romano, tit. XI)

quæ etiam publice seu communiter in ecclesiis vel oratoriis publicis dici possunt.

LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS IESU

Indulgentia septem annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem litaniæ cum oratione devote recitatæ fuerint. Pius Pp. XI, 2 ian. 1933.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Iesu, audi nos.
Iesu, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Iesu, Fili Dei vivi, miserére nobis.
Iesu, splendor Patris, miserére.
Iesu, candor lucis ætérnæ, miserére.
Iesu, rex glóriæ, miserére.
Iesu, sol iustítiæ, miserére.
Iesu, Fili Maríæ Vírginis, miserére.
Iesu amábilis, miserére.
Iesu admirábilis, miserére.
Iesu, Deus fortis, miserére.
Iesu, pater futúri sæculi, miserére.
Iesu, magni consílii ángele, miserére.
Iesu potentíssime, miserére.
Iesu patientíssime, miserére.
Iesu obedientíssime, miserére.
Iesu, mitis et húmilis corde, miserére.
Iesu, amátor castitátis, miserére.
Iesu, amátor noster, miserére.
Iesu, Deus pacis, miserére.
Iesu, auctor vitæ, miserére.
Iesu, exémplar virtútum, miserére.

Iesu, zelátor animárum, miserére.
Iesu, Deus noster, miserére.
Iesu, refúgium nostrum, miserére.
Iesu, pater páuperum, miserére.
Iesu, thesáure fidélium, miserére.
Iesu, bone pastor, miserére.
Iesu, lux vera, miserére.
Iesu, sapiéntia ætérna, miserére.
Iesu, bónitas infiníta, miserére.
Iesu, via et vita nostra, miserére.
Iesu, gáudium Angelórum, miserére.
Iesu, rex Patriarchárum, miserére.
Iesu, magíster Apostolórum, miserére.
Iesu, doctor Evangelistárum, miserére.
Iesu, fortitúdo Mártyrum, miserére.
Iesu, lumen Confessórum, miserére.
Iesu, púritas Vírginum, miserére.
Iesu, coróna Sanctórum ómnium, miserére.
Propítius esto, parce nobis, Iesu.
Propítius esto, exáudi nos, Iesu.
Ab omni malo, líbera nos, Iesu.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A morte perpétua, líbera.
A negléctu inspiratiónum tuárum, líbera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per infántiam tuam, líbera.
Per diviníssimam vitam tuam, líbera.
Per labóres tuos, líbera.
Per agoníam et passiónem tuam, líbera.
Per crucem et derelictiónem tuam, líbera.
Per languóres tuos, líbera.
Per mortem et sepultúram tuam, líbera.
Per resurrectiónem tuam, líbera.
Per ascensiónem tuam, líbera.
Per sanctíssimæ Eucharístiæ institutiónem tuam, líbera.
Per gáudia tua, líbera.
Per glóriam tuam, líbera.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Iesu.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis, Iesu.
Iesu, audi nos.
Iesu, exáudi nos.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, qui dixísti, Pétite et accipiétis; quærite et inveniétis; pulsáte et aperiétur vobis: quæsumus, da nobis peténtibus diviníssimi tui amóris affectum: ut te toto corde, ore et ópere diligámus, et a tua numquam laude cessémus.

Sancti Nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum: quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

LITANIÆ SACRATISSIMI CORDIS IESU

Indulgentia septem annorum; plenaria suetis conditionibus, dummodo quotidie per integrum mensem litaniæ cum versiculo et oratione pia mente repetitæ fuerint. Pius Pp. XI, 10 mart. 1933.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Cor Iesu, Fílii Patris ætérni, miserére nobis.
Cor Iesu, in sinu Vírginis Matris a Spíritu Sancto formátum, miserére.
Cor Iesu, Verbo Dei substantiáliter unítum, miserére.
Cor Iesu, maiestátis infinítæ, miserére.
Cor Iesu, templum Dei sanctum, miserére.
Cor Iesu, tabernáculum Altíssimi, miserére.
Cor Iesu, domus Dei et porta cæli, miserére.
Cor Iesu, fornax ardens caritátis, miserére.
Cor Iesu, iustítiæ et amóris receptáculum, miserére.
Cor Iesu, bonitáte et amóre plenum, miserére.
Cor Iesu, virtútum ómnium abýssus, miserére.
Cor Iesu, omni laude digníssimum, miserére.
Cor Iesu, rex et centrum ómnium córdium, miserére.
Cor Iesu, in quo sunt omnes thesáuri sapiéntiæ et sciéntiæ, miserére.

Cor Iesu, in quo hábitat omnis plenitúdo divinitátis, miserére.
Cor Iesu, in quo Pater sibi bene complácuit, miserére.
Cor Iesu, de cuius plenitúdine omnes nos accépimus, miserére.
Cor Iesu, desidérium cóllium æternórum, miserére.
Cor Iesu, pátiens et multæ misericórdiæ, miserére.
Cor Iesu, dives in omnes qui ínvocant te, miserére.
Cor Iesu, fons vitæ et sanctitátis, miserére.
Cor Iesu, propitiátio pro peccátis nostris, miserére.
Cor Iesu, saturátum oppróbriis, miserére.
Cor Iesu, attrítum propter scélera nostra, miserére.
Cor Iesu, usque ad mortem obédiens factum, miserére.
Cor Iesu, láncea perforátum, miserére.
Cor Iesu, fons totíus consolatiónis, miserére.
Cor Iesu, vita et resurréctio nostra, miserére.
Cor Iesu, pax et reconciliátio nostra, miserére.
Cor Iesu, víctima peccatórum, miserére.
Cor Iesu, salus in te sperántium, miserére.
Cor Iesu, spes in te moriéntium, miserére.
Cor Iesu, delíciæ Sanctórum ómnium, miserére.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
℣. Iesu, mitis et húmilis Corde. ℟. Fac cor nostrum secúndum Cor tuum.

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, réspice in Cor dilectíssimi Fílii tui, et in laudes et satisfactiónes, quas in nómine peccatórum tibi persólvit, iísque misericórdiam tuam peténtibus tu véniam concéde placátus, in nómine eiúsdem Fílii tui Iesu Christi: Qui tecum vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

LITANIÆ
PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. I. C.

Indulgentia partialis septem annorum a christifidelibus saltem corde contrito acquirenda; plenaria suetis conditionibus, semel in mense ab ipsis lucranda, si quotidie per integrum mensem eandem recitationem pia mente persolverint. Ioannes Pp. XXIII, 3 mart. 1960.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sanguis Christi, Unigéniti Patris Ætérni, salva nos.
Sanguis Christi, Verbi Dei incarnáti, salva nos.
Sanguis Christi, Novi et Ætérni Testaménti, salva nos.
Sanguis Christi, in agonía decúrrens in terram, salva nos.
Sanguis Christi, in flagellatióne prófluens, salva nos.
Sanguis Christi, in coronatióne spinárum emánans, salva nos.
Sanguis Christi, in Cruce effúsus, salva nos.
Sanguis Christi, prétium nostræ salútis, salva nos.
Sanguis Christi, sine quo non fit remíssio, salva nos.
Sanguis Christi, in Eucharístia potus et lavácrum animárum, salva nos.
Sanguis Christi, flumen misericórdiæ, salva nos.
Sanguis Christi, victor dæmonum, salva nos.
Sanguis Christi, fortitúdo mártyrum, salva nos.
Sanguis Christi, virtus confessórum, salva nos.
Sanguis Christi, gérminans vírgines, salva nos.
Sanguis Christi, robur periclitántium, salva nos.
Sanguis Christi, levámen laboránium, salva nos.
Sanguis Christi, in fletu solácium, salva nos.
Sanguis Christi, spes pæniténtium, salva nos.
Sanguis Christi, solámen moriéntium, salva nos.
Sanguis Christi, pax et dulcédo córdium, salva nos.
Sanguis Christi, pignus vitæ ætérnæ, salva nos.
Sanguis Christi, ánimas líberans de lacu Purgatórii, salva nos.

Sanguis Christi, omni glória et honóre dignissimus, salva nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
℣. Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo.
℟. Et fecísti nos Deo nostro regnum.

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac eius sánguine placári voluísti: concéde, quǽsumus, salútis nostræ prétium ita venerári, atque a præséntis vitæ malis eius virtúte deféndi in terris, ut fructu perpétuo lætémur in cælis. Per eúndem Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Indulgentia septem annorum; plenaria suetis conditionibus, si quotidie per integrum mensem litaniæ cum versiculo et oratione devote repetitæ fuerint. Pius Pp. XI, 28 mart. 1933.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancta Dei Génetrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Mater Christi, ora.
Mater divínæ grátiæ, ora.
Mater puríssima, ora.
Mater castíssima, ora.
Mater invioláta, ora.
Mater intemeráta, ora.
Mater amábilis, ora.
Mater admirábilis, ora.
Mater boni consílii, ora.
Mater Creatóris, ora.
Mater Salvatóris, ora.
Virgo prudentíssima, ora.
Virgo veneránda, ora.
Virgo prædicánda, ora.
Virgo potens, ora.
Virgo clemens, ora.
Virgo fidélis, ora.
Spéculum iustítiæ, ora.
Sedes sapiéntiæ, ora.
Causa nostræ lætítiæ, ora.
Vas spirituále, ora.

Vas honorábile, ora.
Vas insígne devotiónis, ora.
Rosa mýstica, ora.
Turris Davídica, ora.
Turris ebúrnea, ora.
Domus áurea, ora.
Fœderis arca, ora.
Iánua cæli, ora.
Stella matutína, ora.
Salus infirmórum, ora.
Refúgium peccatórum, ora.
Consolátrix afflictórum, ora.
Auxílium Christianórum, ora.
Regína Angelórum, ora.
Regína Patriarchárum, ora.
Regína Prophetárum, ora.
Regína Apostolórum, ora.
Regína Mártyrum, ora.
Regína Confessórum, ora.
Regína Vírginum, ora.
Regína Sanctórum ómnium, ora.
Regína sine labe origináli concépta, ora.
Regína in cælum assúmpta, ora.
Regína sacratíssimi Rosárii, ora.
Regína pacis, ora.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére nobis.
℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per.

Prosa B. Mariæ Virginis in sabbatis post litanias eiusdem dicenda

Dicto ter Agnus Dei sequitur:

Invioláta, intácta et casta es, María,
Quæ es effécta fúlgida cæli porta.
O mater alma Christi caríssima,
Súscipe pia laudum præcónia.
Nostra ut pura péctora sint et córpora,
Te nunc flágitant devóta corda et ora.
Tua per precáta dulcísona
Nobis concédas véniam per sæcula.
O benígna, quæ sola invioláta permansísti.
T. P. Allelúia.

¶ Poterit etiam, tempore páschali, ubi usus obtinuerit, loco prosæ Invioláta, dici sequens antiphona:

Regína cæli, lætáre, allelúia: quia quem meruísti portáre, allelúia, re-

surréxit sicut dixit, allelúia. Ora pro nobis Deum, allelúia.

Post prosam Invioláta, vel post ant. Regína cæli, dicitur:

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. T. P. Allelúia. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi. T. P. Allelúia.

Orémus Oratio

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui Angelo nuntiánte Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem Christum.

LITANIÆ S. IOSEPH, SPONSI B. MARIÆ V.

Indulgentia quinque annorum; plenaria suetis conditionibus, si per integrum mensem quotidie litaniæ cum versiculo et oratione devote repetitæ fuerint. Pius Pp. XI, 21 mart. 1935.

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére nobis.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére nobis.
Spíritus Sancte, Deus, miserére nobis.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére nobis.
Sancta María, ora pro nobis.
Sancte Ioseph, ora.
Proles David ínclita, ora.
Lumen Patriarchárum, ora.
Dei Genetrícis Sponse, ora.
Custos pudíce Vírginis, ora.
Fílii Dei nutrície, ora.
Christi defénsor sédule, ora.
Almæ Famíliæ præses, ora.
Ioseph iustíssime, ora.
Ioseph castíssime, ora.
Ioseph prudentíssime, ora.
Ioseph fortíssime, ora.
Ioseph obedientíssime, ora.
Ioseph fidelíssime, ora.
Spéculum patiéntiæ, ora.
Amátor paupertátis, ora.
Exémplar opíficum, ora.
Domésticæ vitæ decus, ora.
Custos vírginum, ora.
Familiárum cólumen, ora.
Solátium miserórum, ora.
Spes ægrotántium, ora.
Patróne moriéntium, ora.
Terror dæmonum, ora.
Protéctor sanctæ Ecclésiæ, ora.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
parce nobis, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
exáudi nos, Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi,
miserére nobis.

℣. Constítuit eum dóminum domus suæ. ℟. Et príncipem omnis possessiónis suæ.

Orémus Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Ioseph sanctíssimæ Genetrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quæsumus, ut quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

BENEDICTIO APOSTOLICA
in fine concionum impertienda

(E Rituali romano, tit. IX, cap. X, n. 2)

Sacerdotes Ordinis Prædicatorum, qui sacras missiones aut spiritualia exercitia dederint, in fine concionum benedictionem cum indulgentia plenaria impertire possunt, per unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula:

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti descéndat super vos, et máneat semper. ℟. Amen.

(Facultas Ordini nostro per indultum 12 aug. 1908 concessa: Summarium indulgentiarum, privilegiorum et indultorum O. P.)

III. - EXCERPTA E COLLECTARIO ORDINIS PRÆDICATORUM

Absolutiones sacramentales

I. Forma communius observanda

Si tenéris áliquo vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, a quo possim te absólvere: ego absólvo te, et restítuo te sanctis sacraméntis Ecclésiæ, communióni et unitáti fidé-

lium. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

¶ Si pænitens sit laicus, omittitur verbum suspensiónis.

Misereátur tui omnípotens Deus, et dimíttat tibi ómnia peccáta tua, líberet te ab omni malo, salvet et confírmet in omni ópere bono, et perdúcat te ad vitam ætérnam. Amen.

Dóminus noster Iesus Christus, Fílius Dei vivi, per suam piíssimam misericórdiam te absólvat: et auctoritáte ipsíus, qua fungor, ego absólvo te ab ómnibus peccátis tuis, ut sis absolútus hic et ante tribúnal eiúsdem Dómini nostri Iesu Christi, habeásque vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. In nómine Patris ✠, et Fílii ✠, et Spíritus ✠ Sancti. Amen.

Pássio Dómini nostri Iesu Christi, et mérita beátæ Maríæ semper Vírginis et beáti Domínici Patris nostri et ómnium Sanctórum, et quidquid boni féceris et inténdis fácere aut mala quæ sústines et sustinébis, sint tibi in remissiónem peccatórum, in augméntum grátiæ et prǽmium vitæ ætérnæ. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

II. Forma brevior observanda in reconciliatione seu in confessionibus frequentioribus et brevioribus

Omitti poterit Misereátur, et satis erit dicere:

Si tenéris áliquo vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, a quo possim te absólvere: ego absólvo te. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Item ego absólvo te ab ómnibus peccátis tuis. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

III. Forma brevissima observanda urgente necessitate in mortis periculo

Ego absólvo te ab ómnibus censúris et peccátis. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

IV. Forma observanda tempore Iubilæi aut similium gratiarum

Si tenéris áliquo vínculo vel alíquibus vínculis excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, a quo vel a quibus ego possim te absólvere: auctoritáte mihi commíssa et tibi concéssa a Sanctíssimo Dómino nostro Papa (vel a N.) ego absólvo te, et restítuo te sanctis sacraméntis Ecclésiæ, communióni et unitáti fidélium. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Misereátur tui omnípotens Deus, etc.

Dóminus noster Iesus Christus, etc., ut supra.

Notandum

At si de excommunicatione confessarius sit certus, et facultatem super ea obtinuerit, post præmittenda, dicat sic: Absólvo te a vínculo excommunicatiónis, quam incurrísti propter talem, vel talem causam, etc. Deinde a peccatis absolvat, ut supra.

Formula absolutionis generalis

pro Regularibus necnon pro Tertiariis in communitate viventibus

Fratres et Sorores lucrantur indulgentiam plenariam, si confessi et S. Communione refecti, adhibita sequenti formula a Superioribus Ordinis vel ab aliis religiosis ab ipsis deputatis, (Sorores ab earum Confessario, vel ab alio sacerdote, etiam non approbato ad earum confessiones audiendas, ab Ordinario tamen delegato) absolutionem generalem acceperint et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint.

Religiosi istam absolutionem accipere possunt, etiam privatim, in pervigilio festorum quibus est annexa, et, si forte aliquod impedimentum obsit quominus propria die recipiatur, etiam alia die infra octavam.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster... Et ne nos...

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere: súscipe depreca-

tiónem nostram, ut nos et omnes fámulos tuos, quos delictórum caténa constríngit, miserátio tuæ pietátis cleménter absólvat.

Exáudi, quæsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus et pacem.

Ineffábilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam cleménter osténde: ut simul nos et a peccátis ómnibus éxuas, et a pœnis, quas pro his merémur, erípias.

Deus, qui culpa offénderis, pæniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice, et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Confíteor... Misereátur... Absolutiónem...

Dóminus noster Iesus Christus per mérita suæ sacratíssimæ Passiónis vos absólvat, et grátiam suam vobis infúndat. Et ego, auctoritáte ipsíus et beatórum Apostolórum Petri et Pauli et Summórum Pontíficum Ordini nostro ac vobis concéssa et mihi in hac parte commíssa, absólvo vos ab omni vínculo excommunicatiónis, (suspensiónis) et interdícti, si quod forte incurrístis, et restítuo vos unióni et participatióni fidélium, necnon sacrosánctis Ecclésiæ sacraméntis. Item eádem auctoritáte absólvo vos ab omni transgressióne votórum et régulæ, constitutiónum, ordinatiónum et admonitiónum maiórum nostrórum, ab ómnibus pæniténtiis oblítis seu étiam negléctis, concédens vobis remissiónem et indulgéntiam ómnium peccatórum, quibus contra Deum et próximum, fragilitáte humána, ignorántia vel malítia deliquístis, ac de quibus iam confessi estis. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

(Si detur absolutio Sororibus vel solis Fratribus Conversis, omittatur vox suspensiónis.)

Formula benedictionis

cum indulgentia plenaria pro Tertiariis sæcularibus post sacramentalem absolutionem impertienda

I. Formula communius observanda

Ad hanc indulgentiam immediate post sacramentalem absolutionem impertiendam (et potest dari a quolibet confessario) sacerdos dicit:

Dóminus noster Iesus Christus, qui beáto Petro Apóstolo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, ille te absólvat ab omni vínculo delictórum, ut hábeas vitam ætérnam, et vivas in sæcula sæculórum. Amen.

Per sacratíssimam Passiónem et mortem Dómini nostri Iesu Christi, précibus et méritis beatíssimæ semper Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, beáti Patris nostri N. et ómnium Sanctórum, auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi commíssa, plenáriam Indulgéntiam ómnium peccatórum tuórum tibi impértior. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

II. Formula brevior

Si vero adiuncta vetent integram adhibere formulam, sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit:

Auctoritáte a Summis Pontifícibus mihi concéssa, plenáriam ómnium peccatórum tuórum Indulgéntiam tibi impértior. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Benedictio mensæ

ANTE PRANDIUM

I. Quando non ieiunatur

Præmisso Benedícite, immediate dicitur:

℣. Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das escam illórum in témpore opportúno: áperis tu manum tuam, et imples omne ánimal benedictióne. Glória Patri... Sicut erat...

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto Et ne

nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus Oratio

Béne ✠ dic, Dómine, dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Iube, domne, benedícere, datur benedictio:

Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

II. Quando ieiunatur

Præmisso Benedícite, immediate dicitur:

℣. Edent páuperes et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória Patri... Sicut erat...

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus Oratio

Béne ✠ dic, Dómine, dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Iube, domne, benedícere, datur benedictio:

Mensæ cæléstis partícipes fáciat nos Rex ætérnæ glóriæ. ℟. Amen.

¶ Feria quinta in Cena Domini, feria sexta in Passione et Morte Domini et Sabbato sancto non dicitur Glória Patri.

POST PRANDIUM

I. Quando non ieiunatur

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua: et Sancti tui benedícant tibi. Glória Patri... Sicut erat...

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus 50 Miserére mei, Deus [202]; et in fine dicitur Glória Patri.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, dedit paupéribus. ℟. Iustítia eius manet in sæculum sæculi.

℣. Benedícam Dóminum in omni témpore. ℟. Semper laus eius in ore meo.

℣. In Dómino laudábitur ánima mea. ℟. Audiant mansuéti et læténtur.

℣. Magnificáte Dóminum mecum. ℟. Et exaltémus nomen eius in idípsum.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

Postea sine Dóminus vobíscum et sine Orémus, dicitur oratio:

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Si non sequitur aliqua Hora, dicitur:

Fidélium ánimæ per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

II. Quando ieiunatur

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dóminus: escam dedit timéntibus se. Glória Patri... Sicut erat...

Agimus tibi grátias, omnípotens Deus, pro univérsis benefíciis tuis: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus Miserére mei, Deus [202], et in fine dicitur Glória Patri.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, et reliqua omnia dicuntur quæ post prandium quando non ieiunatur dici consueverunt, uti supra notatum est.

¶ Feria tamen quinta in Cena Domini, feria sexta in Passione et Morte Domini et Sabbato sancto non dicitur Glória Patri, neque Fidélium ánimæ.

ANTE CENAM

Præmisso Benedícite, immediate dicitur:

℣. Edent páuperes et saturabúntur: et laudábunt Dóminum qui requírunt eum: vivent corda eórum in sæculum sæculi. Glória Patri... Sicut erat...

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Se líbera nos a malo.

Orémus Oratio

Béne ✠ dic, Dómine, dona tua, quæ de tua largitáte sumus sumptúri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et dicto Iube, domne, benedícere, datur benedictio:

Ad cenam vitæ æternæ perdúcat nos Rex glóriæ. ℟. Amen.

POST CENAM

℣. Memóriam fecit mirabílium suórum miséricors et miserátor Dómi-

nus: escam dedit timéntibus se. Glória Patri... Sicut erat...

Benedíctus Deus in donis suis, et sanctus in ómnibus opéribus suis: Qui vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Psalmus Miserére mei, Deus [202]; et in fine dicitur Glória Patri.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Dispérsit, et reliqua omnia dicuntur quæ post prandium dici consueverunt, ut 36* notatum est.

Ante collationem

Præmisso Benedícite, datur benedictio:

Largítor ómnium bonórum bene ✠ dícat potum servórum suórum.
℟. Amen.

Post collationem

Finita collatione dicitur

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Benedictiones rerum variæ

Sacerdos stolam pro ratione temporis defert, nisi aliter notetur.

Benedictio rosariorum

Sacerdos stolam albam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui propter exímiam caritátem tuam qua dilexísti nos, Fílium tuum unigénitum, Dóminum nostrum Iesum Christum de cælis in terram descéndere, et de beatíssimæ Vírginis Maríæ Dóminæ nostræ útero sacratíssimo, Angelo nuntiánte, carnem suscípere, crucémque ac mortem subíre, et tértia die glorióse a mórtuis resúrgere voluísti, ut nos eríperes de potestáte diáboli: obsecrámus imménsam cleméntiam tuam ut hæc signa (vel hoc signum) Rosárii in honórem et laudem eiúsdem Genetrícis Fílii tui ab Ecclésia tua fidéli dicáta (vel dicátum) bene ✠ dícas et sanctí- ✠ fices, eísque (vel eíque) tantam infúndas virtútem Spíritus ✠ Sancti, ut quicúmque horum quódlibet (vel hoc) secum portáverit, atque in domo sua reverénter tenúerit, et in eis (vel eo) ad te, secúndum huius sanctæ Societátis institúta, divína contemplándo mystéria, devóte oráverit, salúbri et perseveránti devotióne abúndet, sitque consors et párticeps ómnium gratiárum, privilegiórum et Indulgentiárum, quæ eídem Societáti per sanctam Sedem Apostólicam concéssa fuérunt, ab omni hoste visíbili et invisíbili semper et ubíque in hoc sæculo liberétur, et in éxitu suo ab ipsa beatíssima Vírgine María Dei Genetríce tibi plenus bonis opéribus præsentári meréatur. Per eúndem Dóminum nostrum Iesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte eiúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Formula brevior

Ad laudem et glóriam Deíparæ Vírginis Maríæ, in memóriam mysteriórum vitæ, mortis et resurrectiónis eiúsdem Dómini nostri Iesu Christi, bene ✠ dicátur et sancti ✠ ficétur hæc sacratíssimi Rosárii coróna: in nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Si plura sint rosaria benedicenda, formula pronuntiatur in plurali.

Stola et aqua benedicta ad libitum.

Benedictio rosarum societatis sacratissimi Rosarii

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, creátor et conservátor géneris humáni, dator grátiæ spirituális, et largítor ætérnæ salútis, benedictióne tua sancta béne ✠ dic has rosas, quas pro grátiis tibi exsolvéndis cum devotióne ac veneratióne beátæ sempérque Vírginis Maríæ eiúsque Rosárii hódie tibi præsentámus, et pétimus benedíci: et infúnde eis per virtútem sanctæ Cru✠cis benedictiónem cæléstem, qui eas ad odóris suavitátem et repelléndas infirmitátes humáno úsui

tribuísti; talémque signáculo sanctæ Cru ✠ cis benedictiónem accípiant, ut quibuscúmque in infirmitátibus appósitæ fúerint, seu qui eas in dómibus suis portáverint, ab infirmitáte sanéntur; discédant diáboli, contremíscant et fúgiant pávidi cum suis minístris de habitatiónibus illis, nec ámplius tibi serviéntes inquietáre præsúmant. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio candelarum societatis sacratissimi Rosarii

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, lux vera, qui illúminas omnem hóminem veniéntem in hunc mundum, effúnde per intercessiónem beátæ Vírginis Maríæ matris tuæ, et per quíndecim eius Rosárii mystéria, bene ✠ dictiónem tuam super hos céreos et candélas, et sanctífica eas lúmine tuæ grátiæ; et concéde propítius ut sicut hæc luminária igne visíbili accénsa noctúrnas depéllunt ténebras; ita corda nostra, invisíbili igne ac Spíritus ✠ Sancti splendóre illustráta, ómnium vitiórum cæcitáte cáreant: ut puro mentis óculo cérnere semper possímus quæ tibi sunt plácita, et nostræ salúti utília: quátenus post huius sæculi caliginósa discrímina, ad lucem indeficiéntem perveníre mereámur: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio vestimentorum Fratrum et Sororum

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, qui tégimen nostræ mortalitátis indúere dignátus es: obsecrámus imménsam largitátis tuæ abundántiam ut hoc genus vestimentórum, quod sancti Patres ad innocéntiæ et humilitátis indícium ferre sanxérunt, ita bene ✠ dícere dignéris, ut, qui hoc usus (vel quæ hoc usa) fúerit, te indúere mereátur Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio cingulorum et numismatum S. Thomæ Aquinatis

Sacerdos stolam albam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, puritátis amátor et custos, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam: ut sicut ministério Angelórum sanctum Thomam Aquinátem cíngulo castitátis cíngere, et a labe córporis et ánimæ præserváre fecísti, ita ad honórem et glóriam eius bene- ✠ dícere et sancti ✠ ficáre dignéris cíngula (vel numísmata) ista: ut quicúmque ipsa circa renes reverénter portáverit ac tenúerit, (vel ipsa secum reverénter gestáverit ac tenúerit), ab omni immundítia mentis et córporis purificétur, atque in éxitu suo per manus sanctórum Angelórum tibi digne præsentári mereátur: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio aquæ cum reliquiis S. Petri Martyris

Sacerdos stolam rubram deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti, adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic aquæ, quod beáti Petri Mártyris tui virtúte consignámus, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde: ut per intervéntum eiúsdem Mártyris tui, sit fidélibus tuis in remédium salutáre, dæmones ab eis eíciens, morbos ac infirmitátes córporis et ánimæ repéllens: et præsta, ut quicúmque eam súmpserint, vel ea aspérsi fúerint, ab omni adversitáte ánimæ et córporis liberéntur, et utriúsque hóminis recípiant sanitátem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

Imménsam cleméntiam tuam, omnípotens ætérne Deus, humíliter implorámus: ut hos fidéles tuos, ad relíquias beáti Petri Mártyris devóte accedéntes, et eius suffrágia postulántes, tua ineffábili virtúte bene ✠ dícere dignéris: ut per intervéntum eiúsdem Mártyris tui ab omni ægritúdine mentis et córporis liberáti, tuáque hic et ubíque misericórdia custodíti, et grátia salváti, post huius quoque viæ ac vitæ cursum, ad ætérna mereántur gáudia pervenire. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio olivarum in festo S. Petri Martyris

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, béne- ✠ dic olívas istas supplicatiónibus nostris: et infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru- ✠ cis, et per intercessiónem beáti Petri Mártyris, benedictiónem cæléstem, qui eas ad repelléndas ténebras humáno géneri tribuísti: talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut in quibuscúmque locis pósitæ fúerint, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, et fúgiant pávidi, cum ómnibus minístris suis, de locis vel habitatiónibus illis: non ibi nóceant fúlmina, et tempestátes; non fructus terræ consúmat aut depérdat ulla intempéries eleménti; nihílque inquiétet aut moléstet serviéntes tibi omnipoténti Deo: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio palmarum vel aliorum ramorum in eodem festo

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi, béne- ✠ dic hos árborum ramos supplicatiónibus nostris: et infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis, et per intercessiónem beáti Petri Mártyris, benedictiónem cæléstem, qui triumphatúrus de hoste géneris humáni, per manus puerórum palmas et árborum ramos in honórem tuum adhibéri voluísti: talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut in quibuscúmque locis áliquid ex eis pósitum fúerit, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, ac fúgiant pávidi cum ómnibus minístris suis de locis, vel habitatiónibus illis: non ibi nóceant fúlmina, et tempestátes; non fructus terræ consúmat aut depérdat ulla intempéries eleménti, nihílque inquiétet aut moléstet serviéntes tibi omnipoténti Deo: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio orationum S. Vincentii Ferrerii

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre tua pietáte dignéris has oratiónes scriptas in tui nóminis honórem, beátæ Vírginis Maríæ Genetrícis tuæ, ac beáti Vincéntii Confessóris tui: ut qui eis usi fúerint, vel in se portáverint, méritis et précibus eiúsdem beáti Vincéntii, salútem ánimæ et córporis a te recípere mereántur: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Aspergantur aqua benedicta.

Benedictio aquæ S. Vincentii Ferrerii pro infirmis

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Maiestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus ut qui in desérto erémi petram benedixísti, ut bis a virga Móysi percússa, aquæ ex ea largíssime egrederéntur, et géminam illam percussió-

nem sacraméntum Passiónis et duo ligna Crucis significáre voluísti, tua quoque benignitáte et cleméntia per eiúsdem sanctæ Crucis mystérium, aquam istam larga bene ✠ dictióne sanctífices, ut omnis infírmus, qui de ea bíberit, vel ex ea aspérsus fúerit, séntiat statim salutárem tuæ benedictiónis efféctum. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedíco hanc aquam in nómine Dei Pa ✠ tris omnipoténtis, qui hoc ad usum humánum gratum creávit eleméntum, ut sit sórdium lavácrum córporis et ánimæ, mira omnipoténtia elevátum; potum sitiéntibus tríbuat, refrigérium sit æstuántibus, via et sémita navigántibus; et qui in aqua et per aquam in mundi univérsi submersióne sacraméntum novæ Legis præsignávit, cum octo ánimas salvávit in arca super eam ambulánte, et apértis cataráctis cæli plúere fecit eam quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus super terram, hanc aquam bene ✠ dícat et sanctí ✠ ficet, ut ad sui sancti nóminis et sancti Vincéntii invocatiónem ægrótum sanet, consólidet infírmum, deiéctum érigat, immúndum purificet, ac peténti ab eo salútem poténter restítuat. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Sacerdos, tangens vas aquæ reliquia vel imagine sancti Vincentii, dicit:

Orémus Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris et eleménto huic aquæ méritis sancti Vincéntii, cuius relíquia (vel imágine) tángitur, virtútem tuæ iterátæ benedictiónis infúnde, ut bibénti fiat potus ad salútem. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Crux præsignata fieri debet cum reliquia vel imagine.

Deinde sacerdos dicit:

Ant. Adsit nobis propítius in huius vitæ véspere, ad Christum nos Vincéntius tuto ferens itínere.

℣. Ora pro nobis, beáte Vincénti. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

Deus, qui géntium multitúdinem, mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne, ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta quæsumus ut quem ventúrum Iúdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Benedictio ad omnia

Hæc benedictionis formula adhiberi potest a quovis sacerdote pro omnibus rebus, quarum specialis benedictio non habetur.

Sacerdos stolam deferens dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, cuius verbo sanctificántur ómnia, bene ✠ dictiónem tuam effúnde super creatúram istam (vel creatúras istas): et præsta, ut quisquis ea (vel eis) secúndum legem et voluntátem tuam cum gratiárum actióne usus fúerit, per invocatiónem sanctíssimi nóminis tui, córporis et ánimæ tutélam, te auctóre, percípiat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Aspergatur (vel aspergantur) aqua benedicta.

Orationes

pro Domino Papa et pro benefactoribus in capitulo dicendæ

Si in capitulo culpæ fuerint audiendæ, dicuntur orationes pro Domino Papa et pro benefactoribus hoc modo:

Dicto a Prælato Benedícite et responso Dóminus, si recitanda fuerint beneficia, recitentur. Deinde commendatis quos commendare habuerit vel voluerit, Prælatus surgens, surgentibus et ceteris omnibus, dicit sine Orémus sequentem orationem, ad quam Fratres profunde inclinant:

Retribúere dignáre, Dómine, ómnibus nobis bona faciéntibus propter nomen sanctum tuum vitam ætérnam. ℟. Amen.

Et dicitur ab utroque choro alternatim psalmus Ad te levávi óculos meos 47*, terminando eum per ℣ ℣. Glória Patri, et Sicut erat; deinde psalmus De profúndis clamávi ad te, Dómine [214], terminando eum per ℣. Réquiem ætérnam.

Postea communiter dicitur: Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison, et secreto Pater noster. Quo finito dicit hebdomadarius:

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

Orémus pro Dómino Papa. ℟. Dóminus consérvet eum, et vivíficet eum, et

beátum fáciat eum in terra, et non tradat eum in ánimam inimicórum eius. ℣. Salvos fac servos tuos et ancíllas tuas. ℟. Deus meus, sperántes in te.

Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus, præténde super fámulum tuum N. Papam nostrum, et super cunctas congregatiónes illi commíssas spíritum grátiæ salutáris: et ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde.

Oratio

Præténde, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant assequántur.

Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Prædictæ tres orationes dicuntur sub uno Orémus, et terminantur per unum Qui vivis.

¶ Vacante Sede Apostolica omittenda sunt quæ ad Summum Pontificem referuntur.

Terminatis orationibus, Prælatus audiat culpas, quibus auditis, surgentibus omnibus, dicit:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

¶ Si tamen quæ supra scripta sunt simul cum Pretiosa peragenda fuerint, dicto Commemorátio Fratrum... et Requiéscant in pace, responsoque Amen, ut in Pretiosa 557, subditur Benedícite, recitantur beneficia, fiunt commendationes, et dicuntur ℣℣. cum orationibus pro Domino Papa et benefactoribus, ut supra; deinde, auditis culpis, dicitur psalmus Laudáte Dóminum, omnes gentes... ℣. Osténde nobis. Dóminus vobiscum. Orémus. Actiónes nostras, et ℣. Adiutórium nostrum, uti in Pretiosa 558 pariter notatum est.

Oratio pro Capitulo generali

et euntibus ad illud

Anno quo celebrandum fuerit Capitulum generale, per unum mensem ante diem Capituli, omni die, nisi sit festum I vel II classis, post Nonam, vel post Officium Defunctorum, si fiat a conventu immediate post Nonam, dicitur psalmus Ad te levávi, ab utroque choro alternatim, cantore ex parte hebdomadarii incipiente.

Psalmus 122

Ad te levávi óculos meos, * qui hábitas in cælis.

Ecce sicut óculi servórum, * in mánibus dominórum suórum.

Sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: * ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri.

Miserére nostri, Dómine, miserére nostri: * quia multum repléti sumus despectióne:

Quia multum repléta est ánima nostra: * oppróbrium abundántibus, et despéctio supérbis.

Glória Patri... Sicut erat...

Postea dicitur ant. Veni, Sancte Spíritus: reple tuórum corda fidélium, et tui amóris in eis ignem accénde: qui per diversitátem linguárum multárum gentes in unitáte fídei congregásti.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Emítte Spíritum tuum, et creabúntur. ℟. Et renovábis fáciem terræ.

℣. Salvos fac servos tuos. ℟. Deus meus, sperántes in te.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere, et de eius semper consolatióne gaudére.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ et vitæ huius varietátes tuo semper protegántur auxílio. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

¶ Fratres vero qui non sunt in choro nihilominus dicere debent idem.

Orationes

faciendæ in visitatione infirmorum

Cum Fratres aliquam personam infirmam decumbentem visitaverint, intrantes domum, vel cameram infirmi, dicant:

℣. Pax huic dómui.
℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Et accedentes ad lectulum infirmi, eum dulciter salutent, ad patientiam hortantes, et aliqua verba sancta pro ipsius exhortatione et consolatione dicentes. Et quia infirmitas corporalis frequentius evenit propter infirmitatem spiritualem, hortentur eum, ut si cito velit sanari ab infirmitate, etiam si infirmitas non sit multum gravis, integram et veram confessionem faciat de omnibus peccatis suis. Tunc si orare super eum voluerint, alter ex Fratribus, qui maior fuerit inter eos et sacerdos, hac forma uti poterit, quam ipsi liceat ad libitum abbreviare.

¶ Si autem plures infirmi in eodem cubículo seu loco fuerint, sacerdos, quoties de eis mentio in sequentibus occurrerit, numero plurali utatur.

Caríssime, si Dóminus tibi præstáre dignábitur sanitátem, nonne propónis de cétero pro víribus, et a peccátis cavére, et eius mandáta serváre?

Quo promittente, dicat sacerdos:

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Intróeat, quæsumus, Dómine Iesu Christe, domum hanc sub nostræ humilitátis ingréssu ætérna felícitas, divína prospéritas, seréna lætítia, cáritas fructuósa, sánitas sempitérna. Effúgiat ex hoc loco accéssus dæmonum, adsint Angeli pacis: domúmque hanc déserat et effúgiat discórdia. Magnífica, Dómine, super nos nomen sanctum tuum, béne ✠ dic conversatióni nostræ, sanctífica nostræ humilitátis ingréssum: qui sanctus et pius es, et pérmanes cum Patre et Spíritu Sancto in sæcula sæculórum. Amen.

Psalmus 6 Dómine, ne in furóre tuo [210].

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. ℟. Glória tibi, Dómine.

Dum sacerdos dicit Sequéntia sancti, etc., signum crucis faciat super se in fronte, super os et super pectus, et similiter super infirmum, si vir fuerit; si vero femina fuerit, dum sacerdos se signat, per semetipsam in locis prædictis se signet. Hoc idem in sequentibus Evangeliis observetur.

Cap. 8

In illo témpore: Cum introísset Iesus Caphárnaum, accéssit ad eum Centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus iacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Iesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens Centúrio, ait: Dómine, non sum dignus ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic Vade, et vadit: et álii Veni, et venit; et servo meo Fac hoc, et facit. Audiens autem Iesus mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte, et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno cælórum: fílii autem regni eiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Iesus Centurióni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Virtútum cæléstium Deus, qui ab humánis corpóribus omnem languórem et omnem infirmitátem præcépti tui potestáte depéllis: adésto propítius huic fámulo tuo (vel fámulæ tuæ), ut fugátis infirmitátibus, et víribus recéptis, nomen sanctum tuum, instauráta prótinus sanitáte, benedícat. Per Dóminum. ℟. Amen.

Psalmus 19

Exáudiat te Dóminus in die tribulatiónis: * prótegat te nomen Dei Iacob.

Mittat tibi auxílium de sancto: * et de Sion tueátur te.

Memor sit omnis sacrifícii tui: * et holocáustum tuum pingue fiat.

Tríbuat tibi secúndum cor tuum: * et omne consílium tuum confírmet.

Lætábimur in salutári tuo: * et in nómine Dei nostri magnificábimur.

Impleat Dóminus omnes petitiónes tuas: * nunc

cognóvi quóniam salvum fecit Dóminus Christum suum.

Exáudiet illum de cælo sancto suo: * in potentátibus salus déxteræ eius.

Hi in cúrribus, et hi in equis: * nos autem in nómine Dómini, Dei nostri, invocábimus.

Ipsi obligáti sunt, et cecidérunt: * nos autem surréximus et erécti sumus.

Dómine, salvum fac regem: * et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Ant. Média vita in morte sumus: quem quærimus adiutórem, nisi te, Dómine, qui pro peccátis nostris iuste irásceris? * Sancte Deus, sancte fortis, sancte et miséricors Salvátor, amáræ morti ne tradas nos. ℣. Ne proícias nos in témpore senectútis: cum defécerit virtus nostra, ne derelínquas nos, Dómine. Sancte Deus...

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison.

Pater noster. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum. ℟. Sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ómnia ossa mea.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Ora pro nobis, beáte Pater Domínice. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. Salvum fac servum tuum (vel ancíllam tuam). ℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eum (vel eam).

℣. Nihil proficiat inimícus in eo (vel ea). ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem fámuli tui (vel fámulæ tuæ) propítius réspice, atque ad protegéndum eum (vel eam) déxteram tuæ maiestátis exténde.

Concéde hunc fámulum tuum, (vel hanc fámulam tuam), quæsumus Dómine Deus, perpétua mentis et córporis salúte gaudére: et gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria, hominúmque dispénsas: concéde propítius ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui Patris nostri patrocínio sublevémur.

Deus, qui factúræ tuæ semper pio domináris afféctu: inclína aurem tuam supplicatiónibus nostris, et fámulum tuum (vel fámulam tuam) ex advérsa valetúdine córporis laborántem, placátus réspice, et vísita in salutári tuo, et cæléstis grátiæ præsta ei medicínam. Per Dóminum. ℟. Amen.

Completa ultima oratione, sacerdos utramque manum ponat super caput infirmi, et dicat orationem de beato Vincentio, qua utebatur sanctus Ludovicus Bertrandus.

Super ægros manus impónent, et bene habébunt. Iesus Maríæ Fílius, mundi salus et Dóminus, qui te traxit ad fidem cathólicam, te in ea consérvet, et beátum (vel beátam) fáciat, et méritis beátæ Vírginis Maríæ, et beáti Domínici Patris nostri, et beáti Vincéntii, et ómnium Sanctórum, te ab hac infirmitáte liberáre dignétur.

Postea dicit:

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Inítium sancti Evangélii secúndum Ioánnem. ℟. Glória tibi, Dómine.

Cap. 1

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non

erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his qui credunt in nómine eius: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. Hic genuflectitur. Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam eius, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis. ℟. Deo grátias.

¶ Pro præcedenti Evangelio sequens dicere potest.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.
℟. Glória tibi, Dómine.

Cap. 16

In illo témpore: Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Iesus, et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis; quia iis qui víderant eum resurrexísse non credidérunt. Et dixit eis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia eícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. ℟. Deo grátias.

Postea subiungit:

Dóminus Iesus Christus apud te sit, ut te deféndat: intra te sit, ut te consérvet: ante te sit, ut te dedúcat: post te sit, ut te custódiat: super te sit, ut te bene ✠ dícat: Qui cum Patre et Spíritu Sancto in unitáte perfécta vivit et regnat per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.

Benedíctio Dei omnipoténtis, Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti, descéndat super te, et máneat semper. ℟. Amen.

Deinde aspergit infirmum aqua benedicta.

Benedictio apostolica in articulo mortis

I. Formula communius observanda

Sacerdos stola violacea indutus, ingrediendo infirmi cubiculum, dicit:

Pax huic dómui. ℟. Et ómnibus habitántibus in ea.

Mox infirmum, cubiculum et circumstantes aspergit aqua benedicta, dicens:

Ant. Aspérges me, Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor.

Quod si ægrotus voluerit confiteri, audiat illum, et absolvat. Si confessionem non petat, excitet illum ad eliciendum actum contritionis; de huius benedictionis efficacia ac virtute, si tempus ferat, breviter admoneat; tum instruat atque hortetur, ut sanctissimum nomen Iesu, corde saltem, invocet, morbi incommoda ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese paratum offerat ad ultro acceptandum, quidquid ei placuerit, et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit.

Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens, fore ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remissionem, et vitam sit consecuturus æternam.

Quando huiusmodi benedictio Apostolica pluribus simul infirmis impertitur, omnia dicuntur semel ut infra, singulari tantum numero in pluralem immutato.

℣. Adiutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta fámuli tui (fámulæ tuæ): neque vindíctam sumas de peccátis eius.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster, secreto.

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam). ℟. Deus meus, sperántem in te.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Clementíssime Deus, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui néminem vis períre in te credéntem atque sperántem: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice propítius fámulum tuum N., quem (fámulam tuam N., quam) tibi vera fides et

spes christiána comméndant. Vísita eum (eam) in salutári tuo, et per Unigéniti tui passiónem et mortem, ómnium ei delictórum suórum remissiónem et véniam cleménter indúlge: ut eius ánima in hora éxitus sui te iúdicem propitiátum invéniat, et in sánguine eiúsdem Fílii tui ab omni mácula ablúta, transíre ad vitam mereátur perpétuam. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tunc dicto ab uno ex astantibus Confíteor, sacerdos dicit Misereátur et Absolutiónem, ac deinde:

Dóminus noster Iesus Christus, Fílius Dei vivi, qui beáto Petro Apóstolo suo dedit potestátem ligándi atque solvéndi, per suam piíssimam misericórdiam recípiat confessiónem tuam, et restítuat tibi stolam primam, quam in Baptísmate recepísti: et ego facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Per sacrosáncta humánæ reparatiónis mystéria remíttat tibi omnípotens Deus omnes præséntis et futúræ vitæ pœnas, paradísi portas apériat, et ad gáudia sempitérna perdúcat. ℟. Amen.

Benedícat te omnípotens Deus, Pater ✠, et Fílius, et Spíritus Sanctus. ℟. Amen.

II. Formula brevior

Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque confessionis generalis faciendæ, neque præmissarum precum recitandarum suppetat tempus, statim sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicendo:

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Per sacrosáncta, etc., ut supra.

Benedícat te, etc., ut supra.

III. Formula brevissima

In casu vero necessitatis sufficit dicere:

Ego, facultáte mihi ab Apostólica Sede tribúta, indulgéntiam plenáriam et remissiónem ómnium peccatórum tibi concédo, et benedíco te. In nómine Patris ✠, et Fílii, et Spíritus Sancti. ℟. Amen.

Commendatio animæ
in transitu exsistentis

Cum infirmus morti penitus appropinquaverit, sacerdos cum stola violacea legat litanias cum versibus et orationibus sequentibus:

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Christe, audi nos.
Christe, exáudi nos.
Pater de cælis, Deus, miserére ei.
Fili, Redémptor mundi, Deus, miserére ei.
Spíritus Sancte, Deus, miserére ei.
Sancta Trínitas, unus Deus, miserére ei.
Sancta María, ora pro eo (vel ea).
Sancta Dei Génetrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.
Sancte Míchaël, ora.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli, oráte.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Ioánnes Baptísta, ora.
Sancte Ioseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Iacóbe, ora.
Sancte Ioánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Iacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Marce, ora.
Sancte Luca, ora.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Clemens, ora.
Sancte Cornéli, ora.
Sancte Cypriáne, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Dionýsi cum sóciis tuis, ora.
Sancte Mauríti cum sóciis tuis, ora.
Sancte Ianuári cum sóciis tuis, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.

Sancte Thoma, ora.
Sancte Petre, ora.
Sancte Ioánnes cum sóciis tuis, ora.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Gregóri, ora.
Sancte Pie, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Hilári, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Sancte Antoníne, ora.
Sancte Albérte, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Pater Domínice, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancte Hyacínthe, ora.
Sancte Raymúnde, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Bernárde, ora.
Sancte Francísce, ora.
Omnes sancti Confessóres, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Felícitas, ora.
Sancta Perpétua, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Sancta Ursula cum sodálibus tuis, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Rosa, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Margaríta, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti, oráte.
Propítius esto, líbera eum (vel eam), Dómine.
A damnatióne perpétua líbera.
A subitánea et improvísa morte líbera.
Ab imminéntibus peccatórum suórum perículis líbera.
Ab infestatiónibus dæmonum líbera.
Per mystérium sanctæ Incarnatiónis tuæ líbera.
Per Passiónem et Crucem tuam líbera.
Per gloriósam Resurrectiónem tuam líbera.
Per admirábilem Ascensiónem tuam líbera.
Per grátiam Sancti Spíritus Paráclíti líbera.
In die iudícii líbera.
Peccatóres, te rogámus audi nos.
Ut iracúndiæ tuæ flagélla ab eo (ea) amóveas, te rogámus audi nos.
Ut eius spíritum a loco angústiæ líberes, te rogámus audi nos.

Ut eum (eam) in regióne vivórum ætérnis gáudiis confovéri iúbeas, te rogámus audi nos.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus audi nos.
Fili Dei, te rogámus audi nos.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, parce ei Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, líbera eum (eam) Dómine.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi, miserére ei Dómine.

Communiter ab omnibus dicitur: Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison, postea Pater noster secretó. Quo finito, dicit sacerdos:

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Salvum (-am) fac servum tuum (ancíllam tuam). ℟. Deus meus sperántem in te.

℣. Mitte ei, Dómine, auxílium de Sancto. ℟. Et de Sion tuére eum (eam).

℣. Nihil proficiat inimícus in eo (ea). ℟. Et fílius iniquitátis non appónat nocére ei.

℣. Esto ei, Dómine, turris fortitúdinis. ℟. A fácie inimíci.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum, qui quos díligis córripis, et quos récipis pie ad emendatiónem coérces: te invocámus, Dómine, ut fámulo tuo, qui (fámulæ tuæ, quæ) in córpore pátitur membrórum debilitátem, grátiam tuam conférre dignéris; ut in hora éxitus sui de córpore, absque mortális peccáti mácula, tibi datóri próprio per manus sanctórum Angelórum tuórum eius ánima repræsentári mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.
℟. Amen.

Postmodum, si infirmus adhuc vixerit, dicit sacerdos sequentem commendationem, quæ est secundum usum Romanæ Ecclesiæ.

Proficíscere, ánima christiána, de hoc mundo: In nómine Dei Patris omnipoténtis, qui te creávit. In nómine Iesu Christi Fílii Dei vivi, qui pro te passus est. In nómine Spíritus Sancti, qui in te effúsus est. In nómine gloriósæ et sanctæ Dei Genetrícis Vírginis Maríæ. In nómine beáti Ioseph, íncliti eiúsdem Vírginis Sponsi. In nómine

Angelórum et Archangelórum. In nómine Thronórum et Dominatiónum. In nómine Principátuum et Potestátum. In nómine Virtútum, Chérubim et Séraphim. In nómine Patriarchárum et Prophetárum. In nómine sanctórum Apostolórum et Evangelistárum. In nómine sanctórum Mártyrum et Confessórum. In nómine sanctórum Monachórum et Eremitárum. In nómine sanctárum Vírginum et ómnium Sanctórum et Sanctárum Dei. Hódie sit in pace locus tuus, et habitátio tua in sancta Sion. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Oratio

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum peccáta pæniténtium deles, et præteritórum críminum culpas vénia remissiónis evácuas; réspice propítius super hunc fámulum tuum (hanc fámulam tuam) N. et remissiónem ómnium peccatórum suórum tota cordis confessióne poscéntem, deprecátus exáudi. Rénova in eo (ea), piíssime Pater, quidquid terréna fragilitáte corrúptum, vel quidquid diabólica fraude violátum est, et unitáti córporis Ecclésiæ membrum redemptiónis annécte. Miserére, Dómine, gemítuum, miserére lacrimárum eius: et non habéntem fidúciam, nisi in tua misericórdia, ad tuæ sacraméntum reconciliatiónis admítte. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Comménd o te omnipoténti Deo, caríssime frater (caríssima soror), et ei cuius es creatúra commítto: ut cum humanitátis débitum morte interveniénte persólveris, ad Auctórem tuum, qui te de limo terræ formáverat, revertáris. Egrediénti ítaque ánimæ tuæ de córpore spléndidus Angelórum cœtus occúrrat: iudex Apostolórum tibi senátus advéniat: candidatórum tibi Mártyrum triumphátor exércitus óbviet: liliáta rutilántium te Confessórum turma circúmdet: iubilántium te Vírginum chorus excípiat: et beátæ quiétis in sinu Patriarchárum te compléxus astríngat: sanctus Ioseph, moriéntium Patrónus dulcíssimus, in magnam spem te érigat: sancta Dei Génetrix Virgo María suos benígna óculos ad te convértat: mitis

atque festívus Christi Iesu tibi aspéctus appáreat, qui te inter assisténtes sibi iúgiter interésse decérnat. Ignóres omne quod horret in ténebris, quod stridet in flammis, quod crúciat in torméntis. Cedat tibi tetérrimus Sátanas cum satellítibus suis: in advéntu tuo, te comitántibus Angelis, contremíscat, atque in ætérnæ noctis chaos immáne diffúgiat. Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci eius: et fúgiant qui odérunt eum a fácie eius. Sicut déficit fumus, defíciant: sicut fluit cera a fácie ignis, sic péreant peccatóres a fácie Dei: et iusti epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei. Confundántur ígitur, et erubéscant omnes tartáreæ legiónes, et minístri Sátanæ iter tuum impedíre non áudeant. Líberet te a cruciátu Christus, qui pro te crucifíxus est. Líberet te ab ætérna morte Christus, qui pro te mori dignátus est. Constítuat te Christus Fílius Dei vivi intra paradísi sui semper amœna viréntia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnóscat. Ille ab ómnibus peccátis tuis te absólvat, atque ad déxteram suam in electórum suórum te sorte constítuat. Redemptórem tuum fácie ad fáciem vídeas, et præsens semper assístens, manifestíssimam beátis óculis aspícias veritátem. Constitútus (-a) ígitur inter ágmina Beatórum, contemplatiónis divínæ dulcédine potiáris in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

Súscipe, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) in locum sperándæ sibi salvatiónis a misericórdia tua. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) ex ómnibus periculis inférni, et de láqueis pœnárum, et ex ómnibus tribulatiónibus. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Henoch et Elíam de commúni morte mundi. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Noë de dilúvio. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Abraham de Ur Chaldæórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Iob de passiónibus suis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Isaac de hóstia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Lot de Sódomis et de flamma ignis. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Móysen de manu Pharaónis regis Ægyptiórum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Daniélem de lacu leónum. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti tres Púeros de camíno ignis ardéntis et de manu regis iníqui. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Susánnam de falso crímine. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti David de manu regis Saul et de manu Golíæ. ℟. Amen.

Líbera, Dómine, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), sicut liberásti Petrum et Paulum de carcéribus. ℟. Amen.

Et sicut beatíssimam Theclam, Vírginem et Mártyrem tuam, de tribus atrocíssimis torméntis liberásti, sic liberáre dignéris ánimam huius servi tui (ancíllæ tuæ), et tecum fácias in bonis congaudére cæléstibus. ℟. Amen.

Oratio

Commendámus tibi, Dómine, ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ) N. precamúrque te, Dómine Iesu Christe, Salvátor mundi, ut propter quam ad terram misericórditer descendísti, Patriarchárum tuórum sínibus insinuáre non rénuas. Agnósce, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est álius Deus præter te, et non est secúndum ópera tua. Lætífica, Dómine, ánimam eius in conspéctu tuo, et ne memíneris iniquitátum eius antiquárum, et ebrietátum, quas suscitávit furor, sive fervor mali desidérii. Licet enim peccáverit, tamen Patrem, et Fílium, et Spíritum Sanctum non negávit: sed crédidit, et zelum Dei in se hábuit, et Deum, qui fecit ómnia, fidéliter adorávit.

Oratio

Delícta iuventútis, et ignorántias eius, quæsumus, ne memíneris, Dómine: sed secúndum magnam misericórdiam tuam memor esto illíus in glória claritátis tuæ. Aperiántur ei cæli, collæténtur illi Angeli. In regnum tuum, Dómine, servum tuum (ancíllam tuam) súscipe. Suscípiat eum (eam) sanctus Michaël Archángelus Dei, qui milítiæ cæléstis méruit principátum. Véniant illi óbviam sancti Angeli Dei, et perdúcant eum (eam) in civitátem cæléstem Ierúsalem. Suscípiat eum (eam) beátus Petrus Apóstolus, cui a Deo claves regni cæléstis tráditæ sunt. Adiuvet eum (eam) sanctus Paulus Apóstolus, qui dignus fuit esse vas electiónis. Intercédat pro eo (ea) sanctus Ioánnes eléctus Dei Apóstolus, cui reveláta sunt secréta cæléstia. Orent pro eo (ea) omnes sancti Apóstoli, quibus a Dómino data est potéstas ligándi, atque solvéndi. Intercédant pro eo (ea) omnes Sancti, et elécti Dei, qui pro Christi nómine torménta in hoc sæculo sustinuérunt: ut vínculis carnis exútus (-a), pervenire mereátur ad glóriam regni cæléstis: præstánte Dómino nostro Iesu Christo: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat in sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Oratio

Clementíssima Virgo Dei Génetrix María, mœréntium piíssima Consolátrix, fámuli (fámulæ) N. spíritum Fílio suo comméndet, ut hoc matérno intervéntu terróres mortis non tímeat; sed desiderátam cæléstis pátriæ mansiónem, ea cómite, lætus (-a) ádeat. ℟. Amen.

Oratio

Ad te confúgio, sancte Ioseph, Patróne moriéntium, tibíque, in cuius beáto tránsitu vígiles adstitérunt Iesus et María, per hoc utrúmque caríssimum pignus, ánimam huius fámuli (fámulæ) N. in extrémo agóne laborántem enixe comménndo, ut ab insídiis diáboli, et a morte perpétua, te protegénte, liberétur, et ad gáudia ætérna pervenire mereátur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

¶ Si anxiatur adhuc anima, dicuntur hi psalmi, videlicet: psalmus 117 Confitémini Dómino 591, et totus psalmus 118 Beáti immaculáti, per Horas distributus, 592 et seq., sine Glória Patri.

¶ Si autem, expletis his omnibus, nondum obierit: recedunt, relinquentes ibi Crucem et aquam benedictam. Et Prior de aliquibus Fratribus providet, qui remanent ibidem, et dicunt psalterium absque Glória Patri.

Suffragia

egressa anima dicenda

Egressa anima, immediate terminant Fratres psalmos quos dicebant per ℣. Réquiem ætérnam. Et fit commendatio a sacerdote, cum stola nigra, incipiente ℟. Subveníte, et ℣. sequentem sine cantu, aliis Fratribus ipsum prosequentibus. Totum autem commendationis Officium dicitur legendo distincte, quousque inchoandum fuerit a cantore ℟. Líbera me, Dómine.

℟. Subveníte, Sancti Dei, occúrrite, Angeli Dómini, * Suscipiéntes ánimam eius, Offeréntes eam in conspéctu Altíssimi. ℣. Suscípiat te Christus, qui vocávit te, et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te. - Suscipiéntes. ℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine, et lux perpétua lúceat ei. - Offeréntes.

Deinde Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster secreto. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Réquiem ætérnam dona ei, Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimam eius.

℣. Requiéscat in pace. ℟. Amen.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Tibi, Dómine, commendámus ánimam fámuli tui (fámulæ tuæ), ut defúnctus (-a) sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitátem humánæ conversatiónis peccáta commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

Misericórdiam tuam, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, pietátis afféctu pro áliis rogáre cógimur, qui pro nostris supplicáre peccátis nequáquam suffícimus; tamen de tua confísi gratúita pietáte et sólita benignitáte, clementiam tuam depóscimus ut ánimam servi tui (ancíllæ tuæ) ad te reverténtem cum pietáte suscípias; adsit ei Angelus testaménti tui Míchaël; et per manus sanctórum Angelórum inter Sanctos et eléctos tuos in sínibus Abrahæ, Isaac et Iacob Patriarchárum tuórum eam collocáre dignéris: quátenus liberáta de princípibus tenebrárum et de locis pœnárum: nullis iam primævæ nativitátis, vel ignorántiæ aut própriæ iniquitátis, seu fragilitátis confundátur erróribus; sed pótius agnoscátur a tuis, et sanctæ beatitúdinis réquie perfruátur: atque cum magni iudícii dies advénerit, inter Sanctos et eléctos tuos resuscitátus (a), glória manifestæ contemplatiónis tuæ perpétuo satiétur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde incipit sacerdos ant. Suscípiat, et psalmum 113 In éxitu Israël de Ægypto, 606, quem psalmum ceteri prosequuntur, terminando ipsum per ℣. Réquiem ætérnam.

Ant. Suscípiat te Christus, qui vocávit te: et in sinum Abrahæ Angeli dedúcant te.

Dicta post psalmum antiphona, dicit sacerdos:

Orémus Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno córpori ánimam ad similitúdinem tuam inspiráre dignátus es: dum te iubénte pulvis in púlverem revértitur, tu imáginem tuam cum Sanctis et eléctis tuis ætérnis sédibus præcípias sociári, eámque de Ægýpti pártibus ad te reverténtem blande lenitérque suscípias: et Angelos tuos sanctos ei óbviam mittas, viámque illi iustítiæ demonstráre, et portas glóriæ tuæ aperíre dignéris. Repélle, quæsumus, Dómine, ab ea omnes príncipes tenebrárum, et agnósce depósitum quod tuum est: súscipe, Dómine, creatúram tuam, non a diis aliénis creátam, sed a te solo Deo vivo et vero, quia non est álius Deus præter te, Dómine, et non est secúndum ópera tua. Lætífica, clementíssime Deus, ánimam servi tui (ancíllæ tuæ), et clarífica eam in multitúdine misericórdiæ tuæ: ne memíneris, quæsumus, iniquitátum eius antiquárum et ebrietátum eius, quas suscitávit furor mali desidérii: licet enim peccáverit, tamen te non negávit, sed signo fídei insignítus (-a), te qui ómnia et eum (eam) inter ómnia fecísti, fidéliter adorávit: Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde incipit sacerdos ant. Chorus Angelórum, et psalmum Diléxi. Et conventus prosequitur ipsum et alios qui infra notati sunt. In fine omnium dicitur ℣. Réquiem. Poterunt autem Fratres sedere dum dicunt hos psalmos.

Ant. Chorus Angelórum.

Psalmus 114 Diléxi, 642; psalmus 115 Crédidi, 642; psalmus 116 Laudáte Dóminum omnes gentes, 631; psalmus 117 Confitémini, 590; et totus psalmus 118 Beáti immaculáti, per Horas distributus, 592.

Finitis psalmis stant Fratres et subiungunt

Ant. Chorus Angelórum eum (eam) suscípiat, et in sinu Abrahæ eum (eam) cóllocet: ut cum Lázaro quondam páupere ætérnam hábeat réquiem.

Orémus Oratio

Diri vúlneris novitáte percússi, et quodámmodo córdibus sauciáti, misericórdiam tuam, mundi Redémptor, flebílibus vócibus implorámus, ut Fratris nostri (Soróris nostræ) ánimam ad tuam cleméntiam, qui fons pietátis es, reverténtem, blande lenitérque suscípias; et quas illa ex carnáli commoratióne contráxit máculas, tu, Deus, sólita benignitáte cleménter déleas, pie indúlgeas, oblivióni in perpétuum tradas, atque hanc, laudem tibi cum céteris redditúram, et ad corpus quandóque reversúram, Sanctórum tuórum cœtibus aggregári præcípias. Qui vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Postea dicitur Pater noster...

Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Non intres in iudícium cum servo tuo (ancílla tua), Dómine. ℟. Quia non iustificábitur in conspéctu tuo omnis vivens.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimam eius.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus Oratio

Partem beátæ resurrectiónis obtíneat, vitámque ætérnam habére mereátur in cælis per te, Iesu Christe Salvátor mundi: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus Oratio

Deus, cui soli cómpetit medicínam præstáre post mortem, præsta, quæsumus, ut ánima fámuli tui (fámulæ tuæ) terrénis exúta contágiis in tuæ redemptiónis parte numerétur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus per ómnia sæcula sæculórum.

℟. Amen.

Tunc dicunt Horas suas qui eas dicere habuerint.

IV. - PRECES DIVERSÆ

Orationes itinerantium

In itineris ingressu dicendæ

In viam pacis dírige nos, Dómine.

Canticum Benedíctus Dóminus Deus Israël, 554.

Ant. In viam pacis et prosperitátis dírigat nos omnípotens et misércors Dóminus: et Angelus Ráphaël comitétur nobíscum in via, ut cum pace, salúte et gáudio revertámur ad própria.

Ant. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.

Ant. Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito anticípent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

Ant. Adiuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Ant. Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génetrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo benedícta.

Ant. Angeli, Archángeli, Throni, et Dominatiónes, Principátus, et Potestátes, Virtútes cælórum, laudáte Dóminum de cælis, et oráte pro nobis.

Ant. Magne Pater sancte Domínice, mortis hora nos tecum súscipe, et hic semper nos pie réspice.

Ant. Christi pia grátia Sanctos sublimávit, quos Patris Domínici Ordo propagávit: nos eórum méritis pétimus iuvári, atque suis précibus Deo commendári.

Ant. Sancti Dei omnes intercédere dignémini pro nostra omniúmque salúte.

Ant. Lux ætérna lúceat eis, Dómine, cum Sanctis tuis in ætérnum, quia pius es.

Kýrie eléison. Christe eléison. Kýrie eléison. Pater noster. Et ne nos.

℣. Benedíctus Dóminus die quotídie. ℟. Prósperum iter fáciat nobis Deus salutárium nostrórum.

℣. Vias tuas, Dómine, demónstra nobis. ℟. Et sémitas tuas édoce nos.

℣. Utinam dirigántur viæ nostræ. ℟. Ad custodiéndas iustificatiónes tuas.

℣. Erunt prava in directa. ℟. Et áspera in vias planas.

℣. Convérte nos, Deus, salutáris noster. ℟. Et avérte iram tuam a nobis.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti. ℟. Dei Génetrix, intercéde pro nobis.

℣. Angelis suis Deus mandávit de te. ℟. Ut custódiant te in ómnibus viis tuis.

℣. Pie Pater Domínice, tuórum memor óperum. ℟. Sta coram summo Iúdice pro tuo cœtu páuperum.

℣. Exsultábunt Sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Oráte pro nobis, omnes Sancti Dei. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

Dóminus vobíscum vel Dómine exáudi.

Orémus

Deus, qui fílios Israël per maris médium sicco vestígio ire fecísti, quique tribus Magis iter ad te, stella duce, pandísti: tríbue nobis, quæsumus, iter prósperum tempúsque tranquíllum: ut Angelo tuo sancto cómite, ad eum quo pérgimus locum, ac demum ad ætérnæ salútis portum perveníre felíciter valeámus.

Deus, qui Abraham púerum tuum, de Ur Chaldæórum edúctum, per omnes suæ peregrinatiónis vias illæsum custodísti: quæsumus ut nos fámulos tuos custodíre digneris. Esto nobis, Dómine, in procínctu suffrágium, in

via solátium, in æstu umbráculum, in plúvia et frígore teguméntum, in lassitúdine vehículum, in adversitáte præsídium, in lúbrico báculus, in naufrágio portus: ut, te duce, quo téndimus próspere perveniámus, et demum incólumes ad própria redeámus.

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne: ut inter omnes viæ et vitæ huius varietátes tuo semper protegántur auxílio.

Deus, qui nos in tantis periculis constitútos pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adiuvánte vincámus.

Prótege, Dómine, fámulos tuos subsídiis pacis: et beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis confidéntes a cunctis hóstibus redde secúros.

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas; concéde propítius: ut a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui, Patris nostri, patrocínio sublevémur.

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum Ordinis nostri exémpla nos próvocent, quátenus, quorum memóriam ágimus, étiam actus imitémur.

Tríbue, quæsumus, Dómine, omnes Sanctos tuos iúgiter pro nobis oráre; et eos cleménter exaudíre dignéris.

Absólve, quæsumus, Dómine, ánimas famulórum famularúmque tuárum ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

Procedámus in pace. ℟. In nómine Dómini. Amen.

Salutatio B. Mariæ Virg.

Mane, meridie, et vespere dicenda

Extra tempus paschale:

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ. ℟. Et concépit de Spíritu Sancto.

℣. Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum, benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui, Iesus. ℟. Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

℣. Ecce ancílla Dómini. ℟. Fiat mihi secúndum verbum tuum.

℣. Ave, María... ℟. Sancta María...

℣. Et Verbum caro factum est. ℟. Et habitávit in nobis.

℣. Ave, María... ℟. Sancta María...

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Génetrix. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus Oratio

Grátiam tuam, quæsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem eius et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Tempore paschali

℣. Regína cæli, lætáre, allelúia. ℟. Quia quem meruísti portáre, allelúia.

℣. Resurréxit sicut dixit, allelúia. ℟. Ora pro nobis Deum, allelúia.

℣. Gaude et lætáre, Virgo María, allelúia. ℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúia.

Orémus Oratio

Deus, qui per resurrectiónem Fílii tui, Dómini nostri Iesu Christi, mundum lætificáre dignátus es: præsta, quæsumus, ut per eius Genetrícem Vírginem Maríam perpétuæ capiámus gáudia vitæ. Per eúndem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

ANNIVERSARIA DEFUNCTORUM
in toto Ordine celebranda
ET OBITUS MAGISTRORUM ORDINIS

Quando in choro vel in capitulo, præsente conventu, finita fuerint quæ de Kalendario et de Martyrologio pronuntianda sunt, dicatur ℣. Pretiosa, etc., ut in Ordinario 555 notatum est.

Si vero recitandus fuerit obitus, vel anniversarium, tunc antequam dicatur Commemorátio Fratrum, dicendum est: Obitus venerábilis Fratris N. Magistri Ordinis, vel Anniversárium... ut infra notatur. Et illico subiungat lector: Item Commemorátio Fratrum, Sorórum, Familiárium, Benefactórum defunctórum Ordinis nostri.

Si eodem die incidant obitus et anniversarium, semper addatur: Item Commemorátio...

IANUARIO

Die 8. Obitus venerábilis Fratris Ioséphi Maríæ Larróca Hispáni, Septuagesimiquárti Magístri Ordinis. Item Commemorátio...

Et sic semper in aliis.

Die 18. Ob. V. F. Bárnabæ Vercellénsis, Quintidécimi Magístri Ordinis.

FEBRUARIO

Die 4. Ob. V. F. Vincéntii Aiéllo Lucaniénsis in regno Neapolitáno, Septuagesimisecúndi Magistri Ordinis.

Die 6. Anniversárium Patrum et Matrum.

Die 9. Ob. V. F. Andréæ Frühwirth Austríaci, Septuagesimiquínti Magistri Ordinis: qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P. (1)

Die 19. Ob. V. F. Muniónis Hispáni, Séptimi Magistri Ordinis. P.

Die 21. Ob. V. F. Augustíni Pipía, Sexagesimiprími Magístri Ordinis: qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

Die 23. Ob. V. F. Ioánnis de Molendíno, Vigésimi Magístri Ordinis: qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 26. Ob. V. F. Antoníni Cloche Galli, Sexagésimi Magístri Ordinis.

MARTIO

Die 1. Ob. V. F. Petri de Palma, Decimioctávi Magístri Ordinis.

Die 3. Ob. V. F. Stéphani Ususmáris, Quadragesimiséxti Magístri Ordinis.

Die 9. Ob. V. F. Francísci Ferdinándi Jabalot Parménsis, Sexagesimioctávi Magístri Ordinis.

(1) Litteris P Obitui apposita indicat Magistrum Ordinis qui pontificali dignitate fuerit insignitus.

Die 16. Ob. V. F. Leonárdi Státii Florentíni, Vigesimiquínti Magístri Ordínis.

APRILI

Die 8. Ob. V. F. Guarini de Giáco Galli, Deciminóni Magístri Ordínis.

Die 12. Ob. V. F. Aimerici Placentíni, Duodécimi Magístri Ordínis.

Die 21. Ob. V. F. Garsiæ de Loaísa Hispáni, Trigesiminóni Magístri Ordínis: qui fuit sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

MAIO

Die 2. Ob. V. F. Ludovici Theissling Alcmariénsis, Septuagesimiséptimi Magístri Ordínis.

Die 6. Ob. V. F. Ioánnis Baptístæ de Marínis Románi, Quinquagesimiséptimi Magístri Ordínis.

Die 16. Ob. V. F. Petri Rochim, Vigesimiséptimi Magístri Ordínis.

Die 25. Ob. V. F. Nicolái Rodúlfii Florentíni, Quinquagesimiquínti Magístri Ordínis.

IUNIO

Die 7. Ob. V. F. Simónis Lingoniénsis, Vigesimiprími Magístri Ordínis. P.

Die 11. Ob. V. F. Antoníni Bremond Massiliénsis, Sexagesimitértii Magístri Ordínis.

Die 13. Ob. V. F. Ioánnis Thomæ de Roccabérti Hispáni, Quinquagesimioctávi Magístri Ordínis. P.

Die 16. Ob. V. F. Sixti Fabri Lucénsis, Quinquagésimi Magístri Ordínis.

Die 20. Ob. VV. FF. Eliæ Petragoricénsis Tolosáni, Vigesimisecúndi Magístri Ordínis: et Balthasáris de Quiñónes Toletáni, Sexagesimiquínti Magístri Ordínis.

Die 25. Ob. V. F. Leonárdi Mansuéti Perusíni, Trigesimiprími Magístri Ordínis.

Die 30. Ob. V. F. Emmanuélis Suarez Hispáni, Octogésimi Magístri Ordínis.

IULIO

Die 6. Anniversárium ómnium sepultórum in Cœmetériis nostris.

Item Ob. V. F. Ioánnis de Fenário, Quadragesimisecúndi Magístri Ordínis.

Die 9. Ob. V. F. Thomæ Hyacínthi Cipollétti Asculáni, Septuagésimi Magístri Ordínis.

Die 14. Ob. V. F. Humbérti de Románis, Quinti Magístri Ordínis.

Die 20. Ob. V. F. Francísci Romæi, Quadragesimiquínti Magístri Ordínis.

Die 27. Ob. V. F. Gerárdi de Adaumário, Decimiséptimi Magístri Ordínis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 29. Ob. V. F. Bárnabæ Sáxoni de Neápoli, Trigesimiquárti Magístri Ordínis.

AUGUSTO

Die 1. Ob. V. F. Ióachim Turriáni Véneti, Trigesimiquínti Magístri Ordínis.

Die 3. Ob. V. F. Hippólyti Maríæ Beccaríæ de Monte Regáli, Quinquagesimiprími Magístri Ordínis.

Die 4. Ob. V. F. Bartholomæi de Comátiis Bononiénsis, Trigesimitértii Magístri Ordínis.

Die 7. Ob. V. F. Thomæ Firmáni, Vigesimiquárti Magístri Ordínis.

Die 8. Ob. V. F. Hugónis Vaussemáni Galli, Sextidécimi Magístri Ordínis.

Die 9. Ob. VV. FF. Hervæi Natális Britonis, Quartidécimi Magístri Ordínis: et Ioánnis Claré Galli, Trigesimiséptimi Magístri Ordínis.

Die 12. Ob. V. F. Bonaventúræ García de Parédes Hispáni, Septuagesimioctávi Magístri Ordínis.

Die 27. Ob. V. F. Vincéntii Bandélli Lombárdi, Trigesimiséxti Magístri Ordínis.

Die 28. Ob. V. F. Albérti Clávari Genuénsis, Décimi Magístri Ordínis.

Die 29. Ob. V. F. Angeli Domínici Ancaráni Faventíni, Septuagesimiprími Magístri Ordínis.

Die 30. Ob. V. F. Augustíni Galamíni, Quinquagesimitértii Magístri Ordínis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

SEPTEMBRI

Die 1. Ob. V. F. Berengárii de Landóra, Tertiidécimi Magístri Ordínis. P.

Die 4. Ob. V. F. Martíni Stanislái Gillet Galli, Septuagesiminóni Magístri Ordínis. P.

Die 5. Anniversárium familiárium et benefactórum Ordínis nostri.

Die 9. Ob. V. F. Thomæ de Vio Caietáni, Trigesimioctávi Magístri Ordínis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális. P.

Die 12. Ob. V. F. Hierónymi Xaviérre Cæsaraugustáni, Quinquagesimisecúndi Magístri Ordínis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 15. Ob. V. F. Salvi Cassétæ Sículi, Trigesimisecúndi Magístri Ordínis.

Die 17. Ob. VV. FF. Bernárdi de Júzico Burdegalénsis, Undécimi Magístri Ordínis: et Pauli Constábilis Ferrariénsis, Quadragesiminóni Magístri Ordínis.

Die 21. Ob. V. F. Martiális Auribélli Avenionénsis, Vigesiminóni Magístri Ordínis.

Die 22. Ob. V. F. Thomæ Ripóll Tarraconénsis, Sexagesimisecúndi Magístri Ordínis.

Die 24. Ob. VV. FF. Francísci Silvéstri Ferrariénsis, Quadragésimi Magístri Ordínis: et Seraphíni Sicci Papiénsis, Quinquagesimiquárti Magístri Ordínis.

Die 27. Ob. V. F. Maurítii Benedícti Olivíéri Salusiénsis, Sexagesiminóni Magístri Ordínis.

OCTOBRI

Die 9. Ob. V. F. Pauli Butigéllæ, Quadragesimiprími Magístri Ordínis.

Die 15. Ob. V. F. Bartholomæi Texérii, Vigesimiséxti Magístri Ordínis.

Die 28. Ob. V. F. Vincéntii Iustiniáni Chiénsis, Quadragesimiséptimi Magístri Ordínis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

NOVEMBRI

Die 4. Ob. V. F. Ioánnis Teutónici, Quarti Magístri Ordínis. P.

Die 7. Ob. V. F. Antónii de Monroy Mexicáni, Quinqua-

gesiminóni Magístri Ordinis. P.

Die 13. Anniversárium ómnium Fratrum et Sorórum Ordinis nostri.

Die 16. Ob. V. F. Albérti de las Casas Hispáni, Quadragesimiquárti Magístri Ordinis.

Die 18. Ob. V. F. Guidónis Flammochéti, Vigesimioctávi Magístri Ordinis.

Die 21. Ob. VV. FF. Stéphani Bisuntíni, Octávi Magistri Ordinis: et Seraphíni Cabálli Brixiénsis, Quadragesimioctávi Magístri Ordinis.

DECEMBRI

Die 1. Ob. V. F. Thomæ Turci Cremonénsis, Quinquagesimiséxti Magístri Ordinis.

Die 3. Ob. V. F. Ioáchim Briz Hispáni, Sexagesimiséptimi Magístri Ordinis. P.

Die 11. Ob. V. F. Alexándri Vincéntii Jandel Nanceiénsis in Gállia, Septuagesimitértii Magístri Ordinis.

Die 15. Ob. V. F. Conrádi Asténsis, Trigésimi Magistri Ordinis.

Die 16. Ob. V. F. Ioánnis Thomæ de Boxadors, Sexagesimiquárti Magistri Ordinis: qui fuit Sanctæ Románæ Ecclésiæ Cardinális.

Die 17. Ob. V. F. Hyacínthi Maríæ Cormier Aurelianénsis, Septuagesimiséxti Magístri Ordinis.

Die 20. Ob. V. F. Augustíni Recuperáti, Quadragesimitértii Magístri Ordinis.

Die 23. Ob. V. F. Pii Iosáphi Gaddi Foroliviénsis, Sexagesimiséxti Magistri Ordinis.

PSALMORUM INDEX NUMERICUS

Psalmus	*pag.*
1. Beatus vir, qui non abiit	572
2. Quare fremuerunt gentes	573
3. Domine, quid multiplicati	573
4. Cum invocarem	610
5. Verba mea auribus	625
6. Domine, ne in furore... Miserere mei, Domine	644
7. Domine, Deus meus	645
8. Domine, Dominus noster	574
9. Confitebor tibi... narrabo	575
10. In Domino confido	578
11. Salvum me fac, Domine	673
12. Usquequo, Domine	673
13. Dixit insipiens in corde	617
14. Domine, quis habitabit	618
15. Conserva me, Domine	674
16. Exaudi, Domine, iustitiam	618
17. Diligam te, Domine	619
18. Cæli enarrant	632
19. Exaudiat te Dominus	622
20. Domine, in virtute tua	622
21. Deus, Deus meus, respice	753
22. Dominus regit me	723
23. Domini est terra	632
24. Ad te, Domine, levavi	662
25. Iudica me, Domine	692
26. Dominus illuminatio	634
27. Ad te, Domine, clamabo	635
28. Afferte Domino	626
29. Exaltabo te, Domine	623
30. In te, Domine, speravi	637
31. Beati quorum	639
32. Exsultate, iusti	640
33. Benedicam Dominum	705
34. Iudica, Domine	647
35. Dixit iniustus	715
36. Noli æmulari	648
37. Domine, ne in furore	651
38. Dixi: Custodiam	652
39. Exspectans exspectavi	664
40. Beatus qui intelligit	666
41. Quemadmodum desiderat	667
42. Iudica me, Deus	654
43. Deus, auribus	669
44. Eructavit cor meum	675
45. Deus noster refugium	676
46. Omnes gentes	625
47. Magnus Dominus et	677
48. Audite hæc, omnes gentes	678
49. Deus deorum, Dominus	679
50. Miserere... secundum	584
51. Quid gloriaris	692
52. Dixit insipiens in corde	693
53. Deus, in nomine tuo	592
54. Exaudi, Deus... et ne	695
55. Miserere mei, Deus, quoniam	697
56. Miserere mei, Deus, miserere	697
57. Si vere utique	698
58. Eripe me de inimicis	699
59. Deus, repulisti nos	700
60. Exaudi, Deus, deprecationem	705
61. Nonne Deo subiecta	707

Psalmus	*pag.*
62. Deus, Deus meus, ad te	581
63. Exaudi, Deus... cum deprecor	778
64. Te decet hymnus	684
65. Iubilate Deo..., psalmum	707
66. Deus misereatur nostri	655
67. Exsurgat Deus	708
68. Salvum me fac	711
69. Deus, in adiutorium	734
70. In te, Domine, speravi	734
71. Deus, iudicium	723
72. Quam bonus Israël Deus	725
73. Ut quid, Deus, repulisti	727
74. Confitebimur tibi	729
75. Notus in Iudæa Deus	730
76. Voce mea... ad Deum	767
77. Attendite, populе meus	737
78. Deus, venerunt gentes	741
79. Qui regis Israël	756
80. Exsultate Deo	742
81. Deus stetit in synagoga	757
82. Deus, quis similis	742
83. Quam dilecta	758
84. Benedixisti, Domine	746
85. Inclina, Domine	768
86. Fundamenta eius	759
87. Domine, Deus salutis	798
88. Misericordias Domini	760
89. Domine, refugium	714
90. Qui habitat	610
91. Bonum est confiteri	777
92. Dominus regnavit, decorem	580
93. Deus ultionum	785
94. Venite, exsultemus	549
95. Cantate Domino..., cantate	654
96. Dominus regnavit, exsultet	684
97. Cantate Domino... quia	714
98. Dominus regnavit, irascantur	744
99. Iubilate Deo..., servite	580
100. Misericordiam, et iudicium	685
101. Domine, exaudi..., et clamor	788
102. Benedic, anima..., et omnia	799
103. Benedic, anima..., Domine	790
104. Confitemini Domino, et	769
105. Confitemini Domino... Quis	772
106. Confitemini Domino... Dicant	774
107. Paratum cor meum	786
108. Deus, laudem meam	793
109. Dixit Dominus	604
110. Confitebor... in consilio	604
111. Beatus vir, qui timet	605
112. Laudate, pueri	605
113. In exitu Israël	606
114. Dilexi, quoniam	642
115. Credidi, propter quod	642
116. Laudate Dominum, omnes	558
117. Confitemini Domino... Dicat	585
118. Beati immaculati	592
119. Ad Dominum cum tribularer	643
120. Levavi oculos meos	643
121. Lætatus sum	643
122. Ad te levavi oculos meos	670
123. Nisi quia Dominus	671
124. Qui confidunt in Domino	671
125. In convertendo	671
126. Nisi Dominus	672
127. Beati omnes	702
128. Sæpe expugnaverunt me	702
129. De profundis	702
130. Domine, non est exaltatum	703
131. Memento, Domine, David	703
132. Ecce quam bonum	731

Psalmus	*pag.*
133. Ecce nunc benedicite	611
134. Laudate nomen Domini	656
135. Confitemini Domino... quoniam	731
136. Super flumina Babylonis	732
137. Confitebor tibi... quoniam	733
138. Domine, probasti me	763
139. Eripe me, Domine, ab homine	764
140. Domine, clamavi	765
141. Voce mea... ad Dominum	766
142. Domine, exaudi... auribus	745
143. Benedictus Dominus	795
144. Exaltabo te, Deus	796
145. Lauda, anima mea	686
146. Laudate Dñm quoniam	716
147. Lauda, Ierusalem, Dominum	747
148. Laudate Dominum de cælis	582
149. Cantate Domino canticum novum: laus eius	777
150. Laudate Dominum in sanctis	779

PSALMORUM INDEX ALPHABETICUS

Psalmus	*pag.*
119. Ad Dñm cum tribularer	643
27. Ad te, Dñe, clamabo	635
24. Ad te, Dñe, levavi	662
122. Ad te levavi oculos	670
28. Afferte Dño, filii Dei	626
77. Attendite, populе meus	737
48. Audite hæc, omnes	678
118. Beati immaculati in via	592
127. Beati omnes qui timent	702
31. Beati quorum remissæ	639
40. Beatus qui intelligit	666
1. Beatus vir, qui non abiit	572
111. Beatus vir, qui timet	605
33. Benedicam Dominum	705
102. Benedic, anima mea,... et omnia	799
103. Benedic, anima mea,... Domine	790
143. Benedictus Dñus Deus	795
84. Benedixisti, Domine	746
91. Bonum est confiteri	777
18. Cæli enarrant	632
149. Cantate Dño... laus	777
95. Cantate Dño... cantate	654
97. Cantate Dño... quia	714
74. Confitebimur tibi, Deus	729
9. Confitebor tibi... narrabo	575
110. Confitebor tibi... in consilio	604
137. Confitebor tibi... quoniam	733
104. Confitemini Dño, et	769
105. Confitemini... Quis	772
106. Confitemini... Dicant	774
117. Confitemini... Dicat	585
135. Confitemini Dño	731
15. Conserva me, Domine	674
115. Credidi, propter quod	642
4. Cum invocarem exaudivit	610
129. De profundis clamavi	702
43. Deus, auribus nostris	669
49. Deus deorum, Dñus	679
62. Deus, Deus meus, ad te	581
21. Deus, Deus meus, respice	753
69. Deus, in adiutorium meum	734
53. Deus, in nomine tuo	592
71. Deus, iudicium tuum	723
108. Deus, laudem meam	793
66. Deus misereatur nostri	655
45. Deus noster refugium	676
82. Deus, quis similis erit	742
59. Deus, repulisti nos	700
81. Deus stetit in synagoga	757
78. Deus, venerunt gentes	741
93. Deus ultionum Dominus	785
114. Dilexi, quoniam	642
17. Diligam te, Domine	619
38. Dixi: Custodiam	652

Psalmus	*pag.*
109. Dixit Dñus Dño meo	604
35. Dixit iniustus	715
13. Dixit insipiens in corde	617
52. Dixit insipiens in corde	693
140. Domine, clamavi ad te	765
7. Domine, Deus meus	645
87. Dñe, Deus salutis meæ	798
8. Domine Dñus noster	574
101. Dñe, exaudi... et clamor	778
142. Dñe, exaudi... auribus	745
20. Domine, in virtute tua	622
6. Domine, ne in furore... Miserere	644
37. Domine, ne in furore... Quoniam	651
130. Dñe, non est exaltatum	703
138. Domine, probasti me	763
3. Dñe, quid multiplicati	573
14. Domine, quis habitabit	618
89. Domine, refugium	714
23. Domini est terra	632
26. Dominus illuminatio	634
22. Dominus regit me	723
92. Dñus regnavit, decorem	580
96. Dñus regnavit, exsultet	684
98. Dominus regnavit, irascantur	744
133. Ecce nunc benedicite	611
132. Ecce quam bonum	731
58. Eripe me de inimicis	699
139. Eripe me, Domine	764
44. Eructavit cor meum	675
144. Exaltabo te, Deus meus	796
29. Exaltabo te, Domine	623
19. Exaudiat te Dominus	622
60. Exaudi, Deus, deprecationem	705
54. Exaudi, Deus,... et ne	695
63. Exaudi, Deus,...cum	778
16. Exaudi, Dñe, iustitiam	618
39. Exspectans exspectavi	664
80. Exsultate Deo adiutori	742
32. Exsultate, iusti, in Dño	640
67. Exsurgat Deus	708
86. Fundamenta eius	759
85. Inclina, Domine	768
125. In convertendo Dominus	671
10. In Domino confido	578
113. In exitu Israël	606
30. In te, Domine, speravi	637
70. In te, Domine, speravi	734
65. Iubilate Deo... psalmum	707
99. Iubilate Deo... servite	580
34. Iudica Dñe nocentes	647
42. Iudica me, Deus	654
25. Iudica me, Domine	692
121. Lætatus sum in his	643
145. Lauda, anima mea	686
147. Lauda, Ierusalem	747
148. Laudate Dñum de cælis	582
150. Laudate Dominum in	779
116. Laudate Dominum, omnes	558
146. Laudate Dñum quoniam	716
134. Laudate nomen Domini	656
112. Laudate, pueri, Dominum	605
120. Levavi oculos meos	643
47. Magnus Dominus et	677
131. Memento, Domine, David	703

Psalmus	*pag.*
56. Miserere mei, Deus, miserere	697
55. Miserere mei, Deus, quoniam	697
50. Miserere mei... secundum	584
100. Misericordiam, et iudicium	685
88. Misericordias Domini	760
126. Nisi Dominus ædificaverit	672
123. Nisi quia Dominus	671
36. Noli æmulari	648
61. Nonne Deo subiecta	707
75. Notus in Iudæa Deus	730
46. Omnes gentes	625
107. Paratum cor meum	786
72. Quam bonus Israël	725
83. Quam dilecta tabernacula	758
2. Quare fremuerunt	573
41. Quemadmodum desiderat	667
124. Qui confidunt in Domino	671
51. Quid gloriaris in malitia	692
90. Qui habitat in adiutorio	610
79. Qui regis Israël, intende	756
128. Sæpe expugnaverunt	702
68. Salvum me fac, Deus	711
11. Salvum me fac, Domine	673
57. Si vere utique iustitiam	698
136. Super flumina Babylonis	732
64. Te decet hymnus	684
94. Venite, exsultemus	549
5. Verba mea auribus	625
76. Voce mea... ad Deum	767
141. Voce mea... ad Dominum	766
12. Usquequo, Domine	673
73. Ut quid, Deus, repulisti	727

Cantica

Audite, cæli, quæ loquor	782
Audite verbum Domini	716
Benedicite, omnia opera	581
Benedictus Dominus Deus	554
Benedictus es,... Deus Israël	627
Benedictus es,... Deus patrum	587
Cantemus Domino	720
Confitebor tibi, Domine	630
Domine, audivi auditionem	751
Ego dixi: In dimidio	659
Exsultavit cor meum	690
Hymnum cantemus Domino	686
Magnificat	562
Magnus es, Domine	655
Miserere nostri, Deus	779
Nunc dimittis servum tuum	565
Vere tu es Deus absconditus	746

INDEX ALPHABETICUS

FESTORUM ET MEMORIARUM DE TEMPORE ET DE SANCTIS

				Pag.
Abdon et Sennen Mm.	30	iulii	II,	643
Ægidii Abb.	1	sept.	II,	733
Agapiti Mart.	18	aug.	II,	703
Agathæ Virg. et Mart.	5	febr.	I,	909
Agnetis Virg. et Mart.	21	ian.	I,	874
Agnetis secundo	28	ian.	I,	895
Agnetis de Monte Politiano Virg. O. P.	20	april.	I,	998
Alberti Magni Ep., Conf. O. P. et Eccl. Doct.	15	nov.	II,	937
Albini Ep. et Conf.	1	mart.	I,	945
Alexandri, Eventii et Theoduli Mm.	3	maii	I,	1032
Alfonsi M. de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct.	2	aug.	II,	645
Alfonsi Navarrete O. P. et Soc. Mm.	10	sept.	II,	741
Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct.	7	dec.	I,	815
Ambrosii Sansedonii Conf. O. P.	20	mart.	I,	970
Andreæ Apostoli	30	nov.	I,	801
			II,	961
Andreæ Corsini Ep. et Conf.	4	febr.	I,	908
Angelæ Mericiæ Virg.	1	iunii	I,	1074
			II,	543
Angelorum Custodum	2	oct.	II,	801
Annæ Matris B. M. V.	26	iulii	II,	638
Annuntiatio B. M. V.	25	mart.	I,	971
Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct.	21	april.	I,	1003
Antonii Abb.	17	ian.	I,	867
Antonii de Padua Conf. et Eccl. Doct.	13	iunii	II,	550
Antonii M. Zaccaria Conf.	5	iulii	II,	611
Antonini Ep. et Conf. O. P.	10	maii	I,	1047
Apollinaris Ep. et Mart.	23	iulii	II,	633
Apparitio B. M. V. Immaculatæ	11	febr.	I,	918
Ascensio Domini			I,	496
Assumptio B. M. V.	15	aug.	II,	685
Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct.	2	maii	I,	1031
Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct.	28	aug.	II,	716
Barbaræ Virg. et Mart.	4	dec.	I,	811
Barnabæ Apostoli	11	iunii	I,	1078
			II,	548
Bartholomæi Apostoli	24	aug.	II,	710
Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.	12	iunii	II,	550

				Pag.
Basilii Ep., Conf. et Eccl. Doct.	14	iunii	II,	551
Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct.	27	maii	I,	1066
			II,	533
Benedicti Abb.	21	mart.	I,	970
Benedicti XI Pp. et Conf. O. P.	7	iulii	II,	612
Bernardi Abb. et Eccl. Doct.	20	aug.	II,	703
Bertrandi a Garriga Conf. O. P.	6	sept.	II,	736
Bibianæ Virg. et Mart.	2	dec.	I,	808
			II,	968
Birgittæ Vid.	8	oct.	II,	836
Blasii Ep. et Mart.	3	febr.	I,	908
Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct.	14	iulii	II,	621
Britii Ep. et Conf.	13	nov.	II,	937
Brunonis Conf.	6	oct.	II,	825
Cæciliæ Virg. et Mart.	22	nov.	II,	952
Caietani Conf.	7	aug.	II,	672
Callisti I Pp. et Mart.	14	oct.	II,	843
Camilli de Lellis Conf.	18	iulii	II,	623
Caroli Ep. et Conf.	4	nov.	II,	912
Casimiri Conf.	4	mart.	I,	945
Catharinæ Virg. et Mart.	25	nov.	II,	959
Catharinæ de Ricciis Virg. O. P.	13	febr.	I,	927
				1094
Catharinæ Senensis Virg. O. P.	30	april.	I,	1018
Cathedra S. Petri Apostoli	22	febr.	I,	934
Ceslai Conf. O. P.	17	iulii	II,	623
Christinæ Virg. et Mart.	24	iulii	II,	633
Christophori et Cucuphatis Mm.	25	iulii	II,	637
Chrysogoni Mart.	24	nov.	II,	959
Claræ Virg.	12	aug.	II,	682
Clementis I Pp. et Mart.	23	nov.	II,	956
Commemoratio Baptismatis D.N.I.C.	13	ian.	I,	161
— — omnium Fidelium defunctorum	2	nov.	II,	906
— — S. Pauli Apostoli	30	iunii	II,	578
Compassio B. M. V.			I,	982
Conceptio Immaculata B. M. V.	8	dec.	I,	816
Conversio S. Pauli Apostoli	25	ian.	I,	888
Cordis Iesu			II,	51
Cordis Immaculati B. M. V.	22	aug.	II,	705
Cornelii Pp. et Cypriani Ep. Mm.	16	sept.	II,	774
Coronæ Spineæ Domini	24	april.	I,	1005
Corporis Christi			II,	23
Cosmæ et Damiani Mm.	27	sept.	II,	782
Crispini et Crispiniani Mm.	25	oct.	II,	865
Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm.	8	aug.	II,	673
Cyrilli Alexandrini Conf. et Eccl. Doct.	9	febr.	I,	915
Cyrilli Hierosolymitani Conf. et Eccl. Doct.	18	mart.	I,	959
Damasi I Pp. et Conf.	11	dec.	I,	827
Decollatio S. Ioannis Baptistæ	29	aug.	II,	725

				Pag.
Dedicatio Basilicæ SS. Salvatoris	9	nov.	II,	916
— — Basilicarum SS. Petri et Pauli	18	nov.	II,	948
— — Ecclesiæ propriæ	22	oct.	II,	854
Dianæ, Cæciliæ et Amatæ Virg. O. P.	9	iunii	I,	1077
			II,	547
Dionysii, Rustici et Eleutherii Mm.	9	oct.	II,	841
Domini N. I. C. Nativitas	25	dec.	I,	59
— — Pretiosissimi Sanguinis	1	iulii	II,	583
— — Regis	Dom. ult.	oct.	II,	870
Dominici Conf. Patris Nostri	4	aug.	II,	647
Dominici Sylensis Abb.	20	dec.	I,	831
Donati Ep. et Mart.	7	aug.	II,	673
Elisabeth Vid.	19	nov.	II,	949
Emerentianæ Virg. et Mart.	23	ian.	I,	885
Ephræm Syri Diac., Conf. et Eccl. Doct.	18	iunii	II,	553
Epiphania Domini	6	ian.	I,	124
Euphemiæ Virg. et Mart.	16	sept.	II,	774
Eusebii Presbyteri et Conf.	14	aug.	II,	685
Exaltatio Crucis	14	sept.	II,	744
Fabiani Pp. et Sebastiani Mm.	20	ian.	I,	873
Familiæ Sanctæ			I,	141
Felicis Presbyteri et Mart.	14	ian.	I,	865
Felicis de Valois Conf.	20	nov.	II,	950
Felicis et Adaucti Mm.	30	aug.	II,	730
Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.	29	iulii	II,	642
Franciscæ Romanæ Vid.	9	mart.	I,	957
Francisci Conf.	4	oct.	II,	814
Francisci de Capillas Mart. O. P.	15	ian.	I,	865
Francisci Caracciolo Conf.	4	iunii	I,	1075
			II,	545
Francisci de Paula Conf.	2	april.	I,	983
Francisci de Posadas Conf. O. P.	20	sept.	II,	777
Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct.	29	ian.	I,	895
Francisci Xaverii Conf.	3	dec.	I,	809
				1101
Gabrielis Archangeli	24	mart.	I,	971
Georgii Mart.	23	april.	I,	1004
Germani Ep. et Conf.	31	iulii	II,	644
Gervasii et Protasii Mm.	19	iunii	II,	554
Gordiani et Epimachi Mm.	10	maii	I,	1051
Gorgonii Mart.	9	sept.	II,	741
Gregorii Magni Pp., Conf. et Eccl. Doct.	12	mart.	I,	958
Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct.	9	maii	I,	1046
Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf.	17	nov.	II,	947
Guillelmi O. P. et Soc. Mm.	29	maii	I,	1067
			II,	534

				Pag.
Henrici Imperatoris Conf.	15	iulii	II,	622
Henrici Susonis Conf. O. P.	15	febr.	I,	933
Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct.	30	sept.	II,	800
Hieronymi Æmiliani Conf.	20	iulii	II,	626
Hieronymi, Valentini et Soc. Mm. O. P.	6	nov.	II,	914
Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct.	14	ian.	I,	864
Hippolyti et Soc. Mm.	13	aug.	II,	683
Hyacinthi Conf. O. P.	17	aug.	II,	698
				976
Iacobi Apostoli	25	iulii	II,	633
Iacobi a Voragine Ep. et Conf. O. P.	13	iulii	II,	620
Ianuarii Ep. et Soc. Mm.	19	sept.	II,	776
Ignatii Ep. et Mart.	1	febr.	I,	898
Ignatii a Loyola Conf.	31	iulii	II,	643
Ignatii Delgado, Dominici Henares Epp. O. P. et Soc. Mm.	11	iulii	II,	619
Imeldæ Virg. O. P.	13	maii	I,	1056
Impressio Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.	17	sept.	II,	775
Innocentii V Pp. et Conf. O. P.	22	iunii	II,	555
Innocentium Mm.	28	dec.	I,	851
Ioachim Patris B. M. V. Conf.	16	aug.	II,	695
Ioannæ de Aza Matris S. P. N. Dominici	8	aug.	II,	673
Ioannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid.	21	aug.	II,	704
Ioannis Apostoli et Evangelistæ	27	dec.	I,	843
Ioannis Baptistæ de la Salle Conf.	15	maii	I,	1057
Ioannis Bosco Conf.	31	ian.	I,	897
Ioannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct.	27	ian.	I,	893
Ioannis a Cruce Conf. et Eccl Doct.	24	nov.	II,	958
Ioannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.	27	mart.	I,	982
Ioannis a Deo Conf.	8	mart.	I,	956
Ioannis Dominici Ep. et Conf. O. P.	10	iunii	I,	1078
			II,	548
Ioannis Gualberti Abb.	12	iulii	II,	619
Ioannis Massias Conf. O. P.	18	sept.	II,	775
Ioannis de Matha Conf.	8	febr.	I,	914
Ioannis a Vercellis Conf. O. P.	1	dec.	I,	808
			II,	967
Ioannis et Pauli Mm.	26	iunii	II,	565
Ioannis O. P. et Soc. Mm.	9	iulii	II,	612
				969
Iordani Saxonis Conf. O. P.	14	febr.	I,	932
Ioseph Sponsi B. M. V. Conf. et Eccl. univ. Patr.	19	mart.	I,	959
Ioseph Opificis, Sponsi B. M. V. Conf.	1	maii	I,	1026
Iosephi Calasanctii Conf.	27	aug.	II,	715

				Pag.
Iosephi, Melchioris Epp. O. P. et Soc. Mm.	27	iulii	II,	640
Irenæi Ep. et Mart.	3	iulii	II,	610
Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct.	4	april.	I,	984
Iuliani Ep. et Conf.	27	ian.	I,	894
Lamberti Ep. et Mart.	17	sept.	II,	775
Laurentii Mart.	10	aug.	II,	674
Leodegarii Ep. et Mart.	2	oct.	II,	811
Leonis Magni Pp., Conf. et Eccl. Doct.	11	april.	I,	997
Lucæ Evangelistæ	18	oct.	II,	849
Luciæ Virg. et Mart.	13	dec.	I,	828
Ludovici Regis Conf.	25	aug.	II,	714
Ludovici Bertrandi Conf. O. P.	9	oct.	II,	838
				988
Ludovici M. Grignion a Montfort Conf. O. P.	28	april.	I,	1012
Machabæorum Mm.	1	aug.	II,	644
Mannis Conf. O. P.	30	iulii	II,	642
Marcelli Mart.	4	sept.	II,	736
Marcelli I Pp. et Mart.	16	ian.	I,	866
Marcellini Presb. et Petri Exorc. Mm.	2	iunii	I,	1074
			II,	544
Marci Evangelistæ	25	april.	I,	1009
Marci Pp. et Conf.	8	oct.	II,	837
Marci et Marcelliani Mm.	18	iunii	II,	554
Margaritæ Virg. et Mart.	20	iulii	II,	627
Margaritæ ab Hungaria Virg. O. P.	18	ian.	I,	868
				1081
Mariæ B. Virg. Annuntiatio	25	mart.	I,	971
— — Apparitio	11	febr.	I,	918
— — Assumptio	15	aug.	II,	685
— — Conceptio Immaculata	8	dec.	I,	816
— — Cor Immaculatum	22	aug.	II,	705
— — Compassio			I,	982
— — de Monte Carmelo	16	iulii	II,	623
— — de Mercede	24	sept.	II,	782
— — Nativitas	8	sept.	II,	737
— — ad Nives	5	aug.	II,	656
— — Nomen SS.mum	12	sept.	II,	743
— — omnium Gratiar. Mediatricis	8	maii	I,	1040
— — Patrocinium	22	dec.	I,	835
— — Præsentatio	21	nov.	II,	951
— — Purificatio	2	febr.	I,	899
— — Reginæ	31	maii	I,	1068
			II,	535
— — a Rosario	7	oct.	II,	826
— — Septem Dolorum	15	sept.	II,	758
— — Visitatio	2	iulii	II,	603
Mariæ Magdalenæ	22	iulii	II,	627
Marthæ Virg.	29	iulii	II,	641

				Pag.
Martinæ Virg. et Mart.	30	ian.	I,	896
Martini Ep. et Conf.	11	nov.	II,	919
Martini de Porres Conf. O. P.	5	nov.	II,	913
Matthæi Apostoli et Evangelistæ	21	sept.	II,	778
Matthiæ Apostoli	24	febr.	I,	941
Mauri Abb.	15	ian.	I,	866
Mauritii, Exsuperii, Candidi, Vitalis, Innocentii et Soc. Mm.	22	sept.	II,	781
Medardi Ep. et Conf.	8	iunii	I,	1077
			II,	547
Mennæ Mart.	11	nov.	II,	922
Michaëlis Archangeli	29	sept.	II,	783
Monicæ Vid.	4	maii	I,	1033
Nativitas Domini	25	dec.	I,	59
— — S. Ioannis Baptistæ	24	iunii	II,	556
— — B. M. V.	8	sept.	II,	737
Nazarii, Celsi et Pantaleonis Mm.	28	iulii	II,	641
Nerei, Achillei et Pancratii Mm.	12	maii	I,	1056
Nicolai Ep. et Conf.	6	dec.	I,	811
Nicolai a Tolentino Conf.	10	sept.	II,	742
Nicomedis Mart.	15	sept.	II,	771
Nominis Iesu			I,	112
— — Mariæ	12	sept.	II,	743
Norberti Ep. et Conf.	6	iunii	I,	1076
			II,	546
Octava Nativitatis Domini	1	ian.	I,	91
Omnium Sanctorum	1	nov.	II,	888
Omnium Sanctorum O. P.	12	nov.	II,	923
Pascha Resurrectionis			I,	415
Patricii Ep. et Conf.	17	mart.	I,	958
Patrocinium B. M. V.	22	dec.	I,	835
Pauli primi Eremitæ Conf.	15	ian.	I,	866
Pauli a Cruce Conf.	28	april.	I,	1012
Pentecostes			I,	521
Petri Martyris O. P.	29	april.	I,	1013
Petri de Alcantara Conf.	19	oct.	II,	853
Petri Cælestini Pp. et Conf.	19	maii	I,	1059
			II,	528
Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.	4	dec.	I,	810
Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct.	23	febr.	I,	940
Petri Nolasci Conf.	28	ian.	I,	894
Petri et Pauli Apostolorum	29	iunii	II,	569
Petri Sanz Ep. et Soc. Mm. O. P.	3	iunii	I,	1075
			II,	544
Petronillæ Virg.	31	maii	I,	1072
			II,	542
Philippi et Iacobi Apostolorum	11	maii	I,	1053
Philippi Nerii Conf.	26	maii	I,	1065
			II,	532

				Pag.
Pii V Pp. et Conf. O. P.	5	maii	I,	1034
Pii X Pp. et Conf.	3	sept.	II,	735
Polycarpi Ep. et Mart.	26	ian.	I,	893
Præsentatio B. M. V.	21	nov.	II,	951
Praxedis Virg.	21	iulii	II,	627
Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.	1	iulii	II,	583
Primi et Feliciani Mm.	9	iunii	I,	1078
			II,	548
Priscæ Virg. et Mart.	18	ian.	I,	871
Processi et Martiniani Mm.	2	iulii	II,	608
Proti et Hyacinthi Mm.	11	sept.	II,	742
Pudentianæ Virg.	19	maii	I,	1060
			II,	529
Purificatio B. M. V.	2	febr.	I,	899
Quatuor Coronatorum Mm.	8	nov.	II,	915
Quintini Mart.	31	oct.	II,	870
Quirici et Iulittæ Mm.	16	iunii	II,	553
Raphaëlis Archangeli	24	oct.	II,	854
Raymundi a Capua Conf. O. P.	5	oct.	II,	824
Raymundi Nonnati Conf.	31	aug.	II,	732
Raymundi de Pennafort Conf. O. P.	23	ian.	I,	881
				1088
Reginaldi Conf. O. P.	17	febr.	I,	934
Regis D. N. I. C.	Dom. ult.	oct.	II,	870
Remigii Ep. et Conf.	1	oct.	II,	801
Romualdi Abb.	7	febr.	I,	913
Rosæ Limanæ Virg. O. P.	30	aug.	II,	727
				982
Rufi Ep. et Mart.	27	aug.	II,	715
Sabinæ Mart.	29	aug.	II,	726
Sadoc et Soc. Mm. O. P.	2	iunii	I,	1074
			II,	544
Saturnini Mart.	29	nov.	I,	801
			II,	960
Scholasticæ Virg.	10	febr.	I,	917
Septem Dolorum B. M. V.	15	sept.	II,	758
Septem Fratrum Mm.	10	iulii	II,	618
Septem Fundatorum ordinis Servorum B. M. V. Cc.	12	febr.	I,	923
Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii Mm.	8	oct.	II,	837
Silvestri Pp. et Conf.	31	dec.	I,	864
Simonis et Iudæ Apostolorum	28	oct.	II,	866
Stanislai Ep. et Mart.	7	maii	I,	1039
Stephani Protomartyris	26	dec.	I,	836
Stephani I Pp. et Mart.	2	aug.	II,	646
Stephani Regis Conf.	2	sept.	II,	734
Teresiæ Virg.	15	oct.	II,	844
Teresiæ a Iesu Infante Virg.	3	oct.	II,	812
				995

				Pag.
Theodori Mart.	9	nov.	II,	919
Thomæ Apostoli	21	dec.	I,	831
Thomæ de Aquino Conf. O. P. et Eccl. Doct.	7	mart.	I,	947
Thomæ Ep. et Mart.	29	dec.	I,	863
Tiburtii Mart.	11	aug.	II,	682
Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.	14	april.	I,	998
Timothei Ep. et Mart.	24	ian.	I,	887
Timothei et Symphoriani Mm.	22	aug.	II,	710
Transfiguratio Domini	6	aug.	II,	657
Translatio S. P. N. Dominici	24	maii	I,	1060
			II,	529
Trinitatis			II,	1
Urbani I Pp. et Mart.	25	maii	I,	1065
			II,	532
Ursulæ et Soc. Virg. et Mm.	21	oct.	II,	854
Valentini Presbyteri et Mart.	14	febr.	I,	933
Vedasti et Amandi Epp. et Cc.	6	febr.	I,	913
Venantii Mart.	18	maii	I,	1058
			II,	527
Vincentii Martyris	22	ian.	I,	878
Vincentii Ferrerii Conf. O. P.	5	april.	I,	985
Vincentii a Paulo Conf.	19	iulii	II,	625
Visitatio B. M. V.	2	iulii	II,	603
Vitalis et Agricolæ Mm.	4	nov.	II,	913
Viti, Modesti et Crescentiæ Mm.	15	iunii	II,	552
Xysti, Felicissimi et Agapiti Mm.	6	aug.	II,	670

INDEX RERUM

QUÆ POST PROPRIUM SANCTORUM HABENTUR

	Pag.
In festis I classis psalmi ad I Vesperas	[1]
In Dedicatione ecclesiæ et in anniversario eiusdem	[3]
In festis B. Mariæ Virginis	[20]

COMMUNE SANCTORUM

extra tempus paschale

Commune Apostolorum et Evangelistarum	[37]
Commune unius Martyris	[51]
Commune plurimorum Martyrum	[73]
Commune unius Confessoris	[94]
Commune unius Virginis	[123]
Commune unius non Virginis	[143]

tempore paschali

Commune Apostolorum et Evangelistarum	[155]
Commune unius Martyris	[159]
Commune plurimorum Martyrum	[163]
Commune unius Confessoris	[167]
Commune Virginum et non Virginum	[171]
Officium de B. Maria Virgine in sabbato	[172]
Officium parvum B. Mariæ Virg.	[181]
Psalmi graduales	[189]
Officium Defunctorum	[190]
Septem psalmi pœnitentiales	[210]
Litaniæ Sanctorum	[216]

APPENDIX AD BREVIARIUM

I. Excerpta e Missali romano et Missali Ordinis Prædicatorum:	
Preces ante et post Missam	3*
Præparatio ad Missam	3*
Gratiarum actio post Missam	16*
II. Excerpta e Rituali romano:	
Litaniæ approbatæ	23*
SS. Nominis Iesu	23*
Sacr. Cordis Iesu	25*
Pretios. Sanguinis D. N. I. C.	27*
B. Mariæ Virg.	28*
S. Ioseph	30*
Benedictio apostolica in fine concionum	31*

Pag.

III. Excerpta e Collectario Ordinis Prædicatorum:

Absolutiones sacramentales 31*
Absolutio generalis pro Regularibus 33*
Benedictio pro Tertiariis sæcularibus 35*
Benedictio mensæ 35*
Benedictiones rerum variæ 38*
Orationes pro Domino Papa et benefactoribus in capitulo 45*
Oratio pro Capitulo generali et euntibus ad illud 47*
Orationes in visitatione infirmorum 48*
Benedictio apostolica in articulo mortis 53*
Commendatio animæ in transitu exsistentis . . 55*
Suffragia egressa anima dicenda 62*

IV. Preces diversæ:

Orationes itinerantium 65*
Salutatio B. Mariæ Virg. 68*

ANNIVERSARIA DEFUNCTORUM ET OBITUS MAGISTRORUM ORDINIS 69*

Printed in Italy

Stampato coi tipi della Casa Editrice Marietti - Torino

GTU LIBRARY
3 2400 00583 9570

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.